
2049



16-2

ARS MEMORIÆ,

Sive

Clara & perſpicua

METHODUS

Excerpendi Nucleum rerum ex omnium Scientiarum monumentis.

Expedita quoque ratio per apertas Rhetorices vias excerptis utendi.

OPUS

Litterarum Sedulis Cultoribus, novelli; præcipuè Verbi Divini Præconibus, ac vitæ religioſæ

TYRONIBUS UTILE

Editum

à

R.P. THOMA ERHARDT

Weſſofontano Ord. S. Benedicti in exempta Congregatione SS. Angel. Cuſtod. Theologo

Libellus ſecundus Partis tertiæ.

Sumptibus Joannis Strötter Bibliopolæ. Anno 1715.

Benevolo Lectori.

ITerum interpellandus es benevole Lector. Jam divenditis multis Exemplaribus amici me, & Superiores monuêre, ut tertiæ Partis moli partitione conſultum irem. Pareo bono tuo, & Inventionem, ac ornatum Rhetoricum in unum libellum cöegi. Siquid à me in morem, aut decorem hac in re peccatum eſt, mihi, & typographo indulge. Vive, & vale, ac pro me ora.

Profectûs tui ſtudioſus

Auctor.

CAPUT VII.

De Uſu ſacræ Architectonices, *ſeu* de Diſpoſitione.

983 *Diſponere orationem.*

EUſebius. Mirè afficior iſtarum rerum commemoratione. Video lapidicinas Locorum fæcundiſſimas hauriri poſſe ſemper, exhauriri nunquam. Demiror figurarum ſplendores, & varietatem. Theatrum ingens mihi aperiri in palatio mole & majeſtate magnificentiſſimo videor, quoties animum ad Rhetorices prodigioſas artes adverto. *Eubulus.* Ex veritatis tripode loqueris Euſebi, cùm Rhetoricam regium palatium pulcherrimô inſtructum theatrô dicis. In hoc theatrũ produci poſſunt virtutes omnes, ut amemus; vitia quæque, ut deteſtemur. Nihil tam magnum, quod non capit; tam mirum, quod non exhibet; tam præſtans, quod genuinis conveſtitum coloribus non repræſentat. Angeli, Cœlites, Deus ipſe cum immenſa ſua divinarum Perfectionum majeſtate in hoc theatrum prodire non dedignatur.

tur. Spectare hîc licet nunc ſcenam horrificam divinæ iuſtitiæ impios plectentis, nunc profuſæ charitatis probos remunerantis. Verumtamen mi Euſebi, cùm non ſolùm ſpectatoris partes velis, ſed etiam choragi munus obire jubearis, totus in eo eſſe debes, ut priùs ipſam Rhetoricam ſuo cum regio gynæceo in ſcenam prodire videas. Hanc provinciam mihi ſumo & forſan non infeliciter, ſi ſpectes, ut diſcas, diſcas, ut docere poſſis. Producam autem in hoc theatrum non ſolùm illas perſonas, artefacta, quæ Rhetorica in ampliſſimâ ſuæ *Diſpoſitionis* aulâ numerat, ſed etiam, quæ ſibi ex vaſti regni ſui finibus ad majeſtatem accerſit: exhibebo inquam non tantùm *Orationem*, *Chriam*, & cætera Rhetorices ornamenta, ſed etiam *Comœdiam*, *Epiſtolam*, aliáque amœnioris Muſæ inventa, quæ aut firmamentum, aut pulchritudinem à Rhetorica repetere ſolent. Ordinem ſectabor, non quem dignitas, ſed methodus, ac ſeries exigere videbitur. Sit itaque.

§ I.

§. I.

Exordia, eorúmque pangendorum ratio exhibentur.

I. E*Uſebius.* Ut ritè ſpectem, & ſpectatam affabrè conſtruere diſcam orationem, quid primò eandem compoſituro ſpectandum? *Eubulus.* Quæſtio, hoc eſt inquirenda eſt res, eaque una, de qua dicere velis. Cumque juxta dicta n. 270. videris, an ſit quæſtio actionis, vel cognitionis, animus vertendus eſt ad Exordium quæſtioni aptum. *Euſebius.* Quid eſt? *Eubulus.* Oratio, quâ ſenſim ſine ſenſu ſe orator inſinuat in audientium animos, ut eos aptè diſpoſitos ad reliquam dictionem utiliter, & libenter audiendam inflectat, & emolliat, *Euſebius.* Quotuplex eſt? *Eubulus.* Si materiam ſpectes, tot ſunt Exordiorum genera, quot rerum: ab omnibus enim quæcunque animum incurrunt, duci poſſunt. Si formam attendas, triplex eſt, Principii, Inſinuationis, & ex abrupto. 384. *Efformare Exordium*

Principii. 1. Principium eſt, cùm apertâ viâ, & ſine ullo circuitu auditores aggredimur; & rem dicendam exponimus. Hujus Exordii uſus eſt, cùm quæſtio ſtatûs jam aliunde nota eſt, & audientium animi non tam impellendi, quàm frænandi ſunt. *Euſebius.* Quomodo fit? *Eubulus.* Si ex viſceribus cauſarum ſine ambitu producitur, & non tam res dicenda, quàm modus rei dicendus affertur. Formulæ eſſe poſſunt hæ. „Dicturus e. g. de „obedientiâ, illud mihi præprimis „ſtatuendum eſſe putavi, quod ſanciunt ii, qui vaſtiſſima maria trajicere proponunt &c. Aut. „Utinam „is eſſem, qui poſſet vobis hanc Chriſ„ti ſententiam declarare! Eſt illa ſub„limis: adde cauſam: „eſt plena „myſteriis &c. iterum. Tum delabere ad ſecundam partem, & dic. „At cùm in rebus magnis etiam pa„rùm confeciſſe, non careat ſuâ com„mendatione, dicam &c.

Inſinuationis, ex 2. Inſinuationis Exordium eſt, cum piâ fraude latenter dicenda tamdiu ſupprimimus, donec quaſi aliud agentes in auditorum animos ir-

irrepamus eo verborum adhibito circuitu, qui placere poſſit, & dicendis, licet amara ſint, aut ardua, quendam dulcorem, aut facilitatem inſpergere. Eſt hoc Exordii genus omnium frequentiſſimum, & pulcherrimum, quin & non rarò ſummè neceſſarium, tum præcipuè, cùm auditorum animis alia prorſus ſententia, quàm noſtra eſt, inſidet. Aut cùm res dicenda eſt, quæ initiô videri poſſit ingrata, aut cùm dicendum eſt multùm occupatis, fatigatis, vel etiam parùm affectis. Ne incaſsùm agas, inchoandum eſt à quiete, ut inducas fatigatos, à jucundis, ut trahas tœdioſos; à gratis, ut demulceas afflictos. Hæc impetrabis, ſi Exordium ducas ab inſigni hiſtoriâ, à Similitudine, ab Exemplis, aut aliô Locô, ut pedetentim quaſi non obſervatus poſſis propoſitionem adire. Sic malè ordiréris tuam orationem, ſi volens ſuadere S. Ioanni Gualberto nobili, & præfervido juveni, ut fratricidæ

ignoſcat, præfigeres Exordium Principii, hoc eſt, laudare merita, aut præſtantiam Charitatis erga inimicos. Optimè autem ordiéris hoc, vel ſimili Exordio Inſinuationis. „Illa tua Gualberte animi tui excelſa „virtus domi culta, militiæ ſpectata „prolixæ panegyri materiam præbet. „Annos prævolas benefactis, & ſi „operum tuorum faſtos intueor, ſenem veneror; ſi vultum juventâ „floridum, longè majora mihi promitto. Cùm illuſtriſſimæ familiæ „ſplendorem intueor, neſcio, num „plus gloriæ ab illa acceperis naſcendô, an illi reddideris operandô. Ampliſſimam ſanè natalium „tuorum celſitudo gratulandi, & operum tuorum magnitudo imitandi „materiam præbet. Utinam eſſent „in patria noſtra plurimi, qui illam „laudibus, hanc moribus exprimerent! Cumque eum in modum laudibus capiendi animum ergò aliquamdiu immoratus fueris, irrepe ad ſecundam partem, de qua mox infra n. 385, & ſubde. „Quare non „potui ſine graviſſimô dolore audire „fratrem tibi ſimillimum occiſum.

In-

„Injuriam hanc totius patriæ vulnus „exiſtimarem, niſi ſcirem fratrem „tuum in te ſuperſtitem eſſe. Sacræ „Themidos ipſemet ego jura, & „juſtæ vindictæ iram vocarem, ni„ſi hoc quoque tuæ deberetur vir„tuti, ut factis illuſtriſſimis orbi „innoteſcat. Innoteſcet autem ſi „unquam aliàs longè præclariſſi„mùm, cùm cædem, quam vin„dicare poſſis ex jure, indulgeas ex „fortitudine. Viciſti hactenus a„lios, jam pulcherrima tibi data eſt „occaſio vincendi teipſum. Ecce jam habes apertam viam ad propoſitionem, ſi dicas. „Qua ex vic„toriâ quanta tibi naſcitura ſit laus, „bonâ tuâ veniâ demonſtratum eo.

3. *Euſeb.* Sed quî conſtruitur Exordium ex abrupto? *Eubul.* Omitte ea omnia, quæ de comparandis auditorum animis diximus, & quodam quaſi impetu abreptus à vehementiori figurâ orationem aggredere. Quale eſt notum illud Ciceronis. „Quo„usque tandem abutére patientiâ no„ſtrâ, Catilina? Locum autem potiorem habent hæc Exordia, cùm ſubitò dicendum eſt, aut de negotiis *Abrupto.*

fervidis, aut ira, furor, aliúsve vehemens motus exprimendus. Fermè inchoantur à figurâ Interrogationis, Obteſtationis, Exclamationis. Materiam verò ſolent exigere à perſonis tum dicente, cum audiente, vel ab inſolentiâ alicujus operis inexpectati. Eam eruere, ſi adjuncta n. 215. diſcuſſeris, facillimum erit. Præprimis attende *Locum* : *Modum*, & *Perſonas*.

Porro egregia, & frequens eſt hæc exordiendi ratio in brevibus, hiſtoricísque oratiunculis. Atque hæc omnia nobis illuſtret Mutius Scævola nobilis adoleſcens, qui indignum ratus populum Romanum ab Etruſcis obſideri, obtentâ à ſenatu veniâ furtim in hoſtis caſtra conſilio perimendi Porſenam irrepſit. Cumque jam in regium tentorium penetrâſſet, ac quis è duobus Porſena eſſet, diſcriminare non poſſet, procerum quendam pro Rege habitum vulneravit. Deſtitutus conſilio, non tamen animô Scævola metuendus magis quàm metuens ſic Regem alloquens orationem inchoavit.

Ro

„Romanus ſum civis. Cajum Mu-
„tium vocant. Hoſtis hoſtem occi-
„dere volui, nec ad mortem minus
„animi eſt, quàm fuit ad cædem; &
„facere, & pati fortia Romanum
„eſt. Nec unus in te ego hos ani-
„mos geſſi: longus poſt me ordo
„eſt idem petentium decus. Hoc
„tibi juventus Romana indicimus
„bellum, nullam aciem, nullum præ-
„lium timueris; uni tibi, & cum ſin-
„gulis res erit. Liv. l. 2.

985. *Locis omnibus, ſub requiſitis tamen ſex: Protaſi*

II. Ex hactenus dictis vides Exordia duci poſſe ex omnibus Locis. Ut autem tibi hanc Exordiorum rationem quàm facillimam reddam, notes, neceſſe eſt omnia eorum requiſita. *Euſebius*. Quænam ſunt? *Eubulus*. Primum eſt *propoſitio* (Protaſin dicunt) à qua facilè deſcendi poſſit ad rem propoſitam, ſeu inventam, & incluſam in quæſtione ſeu actionis illa ſit, ſeu cognitionis. Secundum eſt *ratio*, quâ propoſitio ex quocunque demum Loco eruta ſit, probatur, confirmatur, vel refutatur. Tertium eſt *Redditio*, ſeu *Apodoſis*, quâ ratio corroboratur. Quartum

ratione Protaſis.

Apodoſi

Complexione Protaſis, & Apodoſis

Concluſio, ſeu *Complexio*, quâ Protaſis trahitur ad particularem illius rei, de qua dicturus es, circum, eumque ita deſcriptum, ut non facilè extra eum, cùm argumenta proxima, & remota producis, ferri poſſis. Quintum eſt *captatio benevolentiæ*, & ſextum denique præcipuè ſacris oratoribus ſolemnis eſt *invocatio*. Hæc ſingula illuſtrabimus exemplô Exordij ducti à definitione.

captatione benevolentiæ

invocatione

1. Propoſitio ſit tritum illud. *Temperantia eſt omnibus neceſſaria. Euſebius.* Quomodo pro allata theſi venabor Protaſin? *Eubulus.* Affer Temperantiæ definitionem. *Euſebius.* Sed quâ figurâ? *Eubulus.* Quamcunque prudenti judiciô ex genere dicendi, in quo tua quæſtio verſatur, probaveris. Ex Apoſtrophes formâ hæc ratio prodit.

Definitione

„Doce nos Doctorum maxime „Gregori, ut Temperantiæ naturam ritè cognoſcamus, ejúsque leges in moribus noſtris conſtanter „retineamus. Virtutem dicunt moralium ordine ultimam, ſed neceſſita-

„ſitate primam. Ejus præſidiô men-
„tis ſuæ ſtudioſus homo paſſiones ap-
„petitûs concupiſcibilîs egregiè refræ-
„nat, ne in ſenſuum illecebras, guſ-
„tûs præcipuè, & tactûs, vitiōsè, &
„turpiter excurrant,

Ne autem hæc Protaſis intra Philoſophicum corticem hærens potius terreat, quàm alliciat auditorem, debes datæ definitionis addere rationem, & veluti flores explicare ad ineſcandos animos. Jam quod de definitione dixi, dictum exiſtimes de genere, cauſis, effectis, conjugatis, aliisque Locis; atque adeo, ſi Exordium cœpiſſes à genere, dares rationem generis; ſi à cauſis, cauſarum &c. ***Euſebius.*** Ex quo ergo Locô probem allatam Temperantiæ Protaſin? ***Eubulus.*** Ex Similitudine, velut ſi dicas.

„Sunt námque humanæ mentis
„cupiditates effrænibus equis ſimil-
„limæ. Niſi lupatum ſenſibus inje-
„ceris, aurigam animum facilè per
„devia, & invia vitiorum raptabunt,
„collident, & miſerè contrucida-
„bunt.

Sed ut & hæc ſimilitudo perſpi-

cua fiat, debes eam reddere, & novis novæ rationis coloribus proponere. Quod idem ſentiendum eſt de Effectis, ſi hæc loco Similitudinis poſuiſſes. Et hæc ratio dicitur Apodoſis, quæ magno judiciô ſic ineunda eſt, ut ſine vi poſſit Protaſi conjungi. *Euſebius.* Quis Locus conjungendæ Apodoſi, & Protaſi ſelectiorem materiam ſuggerit? ***Eubulus.*** Quivis: is tamen eligendus, qui planiore viâ deducit ad propoſitionem. En ut id præſtet in exemplô noſtrô Inductio n. 285. fusè declarata.

„Periculi hujus tragica cupis e„xempla? Eſavus cùm ſe impotenti „gulâ ſinit in vile lentis edulium fer„ri, primogenituræ exuitur præro„gativâ, & paternâ benedictione „ſpoliatur. Samſon mortalium „robuſtiſſimus, terror ille Phi„liſtæorum, cùm unius muliercu„læ formâ ſibi oculos ſinit ineſca„ri, robore, ſimul & vitâ exui„tur. David immanem illum Go„liathum ſternere potuit, quamdiu „temperantiæ leges tenuit. At ubi ocu-

„oculis fræna ceſſit in vetitas formas,
„proſtratus ipſe eſt caſu horrendo, ac
„regiam purpuram, priorem nomi-
„nis gloriam adulteriô, & homici-
„diô conſpurcavit.

Hoc, vel ſimili modô productâ Apodoſi facillimus eſt ad propoſitionem aditus. *Euſebius.* quomodo inſtituitur? *Eubulus.* Complexione dictorum. En normam.

„Noſtróne diutius in diſcrimine tri-
„pudiabimus? Abſit: alienô, docti &
„cauti temperantiæ ſtudiis id ipsâ
„neceſſitate coacti propulſabimus.

Tum captas benevolentiam materiâ ex adjunctis audientium accitâ ſic:

„Hæc verò pericula loquens cùm
„ſalutem veſtram in tutiſſimo locô
„reponere cupiam, polliceor eos mi-
„hi ad audiendum animos, quos at-
„tuli ad dicendum, communis nem-
„pe ſalutis procurandæ avidiſſimos.

Tandem pergis ad invocationem, in qua concinnanda magnopere curandum, ne antequam crambem potius ad concitandam nauſeam, quàm orexin recoquas. Qualis foret, ſi ſemper illo triviô utereris. „In tanto

„to rei negotio ne deficiam, invoca-„te mecum bonos Superos, & inci-„pio in nomine Jeſu, & Mariæ. Sed invocatio ex ipſa re nata ſit, oportet, & pro materiæ varietate varia, nunc Apoſtrophe ad Deum, Angelos, & nunc aliâ figurâ interſtincta. Uti eſt.

„Tu Deus, qui tot minis, tot ſup-„pliciis ad temperantiæ cultum com-„pellere ſoles, da menti aciem, da „linguæ vim, da cunctis, quotquot „adſunt, capaciſſimos animos, ut „hujus ſummè neceſſariæ virtutis mo-„numenta ad commune emolumen-„tum producam. Hac ſpe nixus in-„cipio.

Hæc forma Exordii magis perſpicua reddetur, ſi argumenta proxima (de quibus n. 274) hîc ſubjuncta conſideraveris.

Primum eſſe poſſet ex oppoſitis. „Sublatâ Temperantiâ perditur illud „grande omnis virtutis inſtrumen-„tum valetudo corporis. Secundum ab Effectis. „Temperantiæ officium „eſt mentem maximis vitiis gulæ, & „luxuriæ occludere.

Tertium ab Exemplis. „Probi qui-

„quo

„que ritè agnitâ hujus virtutis neceſſi-„tate in ejus ſtudia arduis factis con-„ceſſerunt. In epilogo conſciſci po-teſt deſiderium connitendi ad inſig-nem perfectionem hujus virtutis.

2. Eadem ratio tenenda eſt, ſi Exordium ducis à Diviſione. Exem-plum ſit hæc propoſitio. *Abſtinentia, eſt inſigne medium ad omnes virtutes comparandas.* Protaſis eſto hæc. Va-rii varia laudant in Abſtinentia. Quam ſic efferes. 386. *Diviſione*

Protaſis à Diviſione. „Extollant „alii magnam illam abſtinentiæ vim, „qua nos Angelis ſimiles efficit, & à „brutis diſcernit. Producant alii „Servatoris noſtri, Sanctorumq́ue, „quibus hanc virtutem docuerunt, „mirifica exempla. Commemorent „alii effuſam humanæ cupiditatis li-„bidinem, quam frangit. Alii alia „perorent.

Ratio „Omnibus ſuppetent talia, „quibus recenſendis non linguam ſo-„lùm, ſed & omnem operam utiliſſi-„mè commodabunt. *Apodoſis* Me „tamen præ cæteris in ſtuporem ra-„pit mirabilis illa poteſtas, quam in

„om-

„omnes virtutes ſeu aquirendas ſeu „conſervandas indepta eſt. Hanc „ſingularem eximiæ laudis prærogativam Temperantiæ ipſe ſanctimoniæ Magiſter Matt. 16. 24. tribuit. „Siquis vult, inquit: poſt me venire, abneget ſemetipſum.

Complexio. „Optarem equidem „ego tam inſigni argumento eum oratorem qui ad exaggerandam hujuſce medii vim ipſam ſuam tam in aquirendis, quàm conſervandis virtutibus poſſet interponere experientiam.

Captatio benevolentiæ. „Quia tamen ex eo genere hominum eſtis, „qui ſuapte ſponte in omnes probitatis vias feruntur, non minore fiduciâ dicam, ac vos benevolentiâ „de virtute dicentem audire ſoletis.

Proxima hujus Exordii argumenta eſſe poſſent. 1. *ex effectis.* Temperantia impedimentis virtutum, ut cupiditate evacuat mentem. 2. *Ex eisdem.* Animum virtutibus implet. 3. *ab exemplis.* Affer SS. hominum jejunia, eremos, ſpeluncas &c.

387. *Locis omnibus* Atque adeo mi Euſebi quod d de

definitione, & diviſione diximus, de omnibus Locis dictum exiſtima. Singuli ſunt liberaliſſimi fontes Exordiorum. Fidem tibi paucis facio.

3. A conjugatis ſic exordiri poteris præconia e. g. *Abſtinentiæ*. *conjugatis*

„Quantam ſanctioris vitæ ſtudioſi „debeant Virtuti Abſtinentiæ exiſti„mationem, norunt ii, qui non „ſolùm illicitis didicerunt abſtinere, „ſed & gaudent juxta pulchra abſti„nentium exempla licitis carere. O „quantos hæc virtus viros format! „cùm enim in uſu ciborum omni vo„luptate penitus abſtineant, ingen„tem virtutum, queis ſolis anima „nutritur, famem excitant.

4. Notatis iis, quæ n. 195 de hypotheſi ad theſin, & n. 197 de theſi ad hypotheſin revocanda diximus, expeditam viam ſternere licet ad Exordia ducta à genere. Si dicis e. g. *Abſtinentia eſt præſtans* hypotheſin habes, hoc eſt ſpeciem. Cùm itaque hanc ad theſin reducis, hoc eſt ad genus, & ab illo incipis, condis Exordium à genere. Atque adeo cùm abſtinentiæ genus juxta dicta *Genere*

n. 194.

n. 194 ſit virtus, ab hac exordieris.
Specie. Par prorſus eſt ratio de Specie. Dicturus de virtute in genere, laudet in Exordio quandam in ſpecie e. g. Abſtinentiam, ac dicat.

„Mira vis abſtinentiæ! Hanc ſi „junxeris orationi, neſcio quid à li„beraliſſimo Deo non poſſis impe„trare. Teſtatur id omnis divinæ „paginæ ſcriptura. Abſtineo veterum „teſtimoniis; cùm Abſtinentia ad „aſſerendam hanc ſibi prærogativam „ſola ſatis pro ſe peroret. Quantas „gratias ſua in ſpelunca impetra„vit jejuniis Benedictus! Venerem „triumphare potuit in ſenticeto. Ab„ſtinentiæ tamen nihil cedit reli„quus virtutum chorus. Juſtitia, & „Clementia Reges, & regna; Zelus „& Religio ſacerdotes, & orbem „chriſtianum gubernat. Non poſ„ſum ſingulas virtutes exhibere „omnes in una laudemus.

Similitudine 5. Exordia Similitudinis fermè ſunt, ſi incipimus à particulis *ſic*, *ſicut*, *velut*, *quemadmodum &c.* Exemplum ſit eadem propoſitio.

„Quemadmodum ii, qui in qua
„dan

„dam arte cupiunt præcellere, illud „ſibi præprimis tenendum ſanciunt, „ut magiſtrum ſuum quàm exactiſ„ſimâ ratione imitentur. Ita quoq; „qui in virtutis ſtudio inſignem pro„fectum facere contendunt, Chriſ„tum illum omnis virtutis ſummum „Doctorem gnaviter æmulentur ne„ceſſe eſt. Hunc ſi tu ſequi cone„ris, quàm admiranda diſces exem„pla (dicam potius an documenta?) „prodigioſæ abſtinentiæ. Quadra„genarium in eremo ducturus jeju„nium ſylvarum latebras adit, & tu „ſympoſia, & gulæ illecebras ſecta„beris? Abſit à te tam gravis in pri„ma virtutis rudimenta ſolœciſmus. „Expungenda eſt hæc labes &c.

6. Exordiis præbent materiam, & decorem Diſſimilitudines conglobatæ, velut ſi inchoës dicturus de Abſtinentiâ. *Diſſimilitud.*

„Quanta fæditas gulæ! quanta „pulchritudo abſtinentiæ! quanta „illius damna! hujus quanta emo„lumenta! Illa corpus ſaginat ver„mibus, animam emaciat virtuti„bus; hæc corpus ſervat ſanctis o-

„peribus, animam exornat donis „cœleſtibus. Illa feras, hæc ange-„los imitatur; illa humi ſerpit, „hæc excelſis cogitationibus ſidera „tranſcendit; illa vitia fovet, hæc „virtutes nutrit; illa damnatur ad „æternam famem in infernô, hæc „invitatur ad æternas epulas in cœ-„lô. Utinam illam famem cogita-„rent homines, & timerent; utinam „perpenderent has epulas, & con-„cupiſcerent! Quis excitabit hanc „ſanctam, & ſalubrem orexin? Ego „ſanè, ſi, quæ Abſtinentiæ promiſ-„ſæ ſunt, delitias explicâro &c.

588. *Contrario*

7. A Contrario ducimus Exordium, cùm ipſo initiô dicendi probandam ſuſcipimus ſententiam contrariam. Uſus hujusmodi Exordiorum ſpectat potiſſimùm ad orationes, quæ pompam, & dignitatem ſibi vendicant, aut cùm frænādæ ſunt vehementes paſſiones. Atque tum id genus Exordii etiam eſt neceſſarium. Niſi enim in ipſo aditu quaſi obſequi videaris, vix, aut ne vix quidem benevolentiam emendicabis. Quàm neceſſarium eſt hoc Exordium ad ponendas animi tempeſtates, tam proficuum quoq; eſt ad practicas

ticas fidei noſtræ veritates: ac proin frequenter adhibetur ab Eccleſiaſtis. Locum ſibi quoque facit in funebri oratione, & ferme ſemper, ubi contraria hominum exiſtimatio auſferenda eſt. Suaſurus itaque Regi clementiam ſic exordiéris.

„Non fruſtra fulmen gerit Jovis „aquila. Neſcit dominari, qui neſ„cit fulminare. Regium eſt vindi„care ſcelus, & majeſtatem purpu„ræ tueri ſuppliciis. Brevis eſt per „ſtrata delinquentium cadavera ad „gloriam via. Leonem ira, & mu„gitus ferarum Regem facit. Nequit „patrocinari bonis, qui malis iraſci „nequit. Verùm ne ira ſuos egreſ„ſa fines impotentiùs feratur, cle„mentiæ frænum admittat neceſſe „eſt. Homo es, & hominibus præ„ſides. Humana fragili conſiſtunt „pede, ne ruant tenenda ſunt, non „impellenda ad lapſum. Cœli, ter„ræque Monarcham Deum ſuſpice: „parcit omnibus, & ipſis ſuppliciis „miſericordiam admiſcet &c.

8. Si memoriâ tenes ea, quæ n. 214. de Repugnantibus diximus, ab iis facilè duces Exordium. Oſten- *Repugnantibus.*

ſurus itaque naturam Clementiæ, ejusque præſtantiam, ſic dices.

„Multi grande ſibi nomen de cle-„mentiæ laudibus parare conten-„dunt. Eos tamen conatus ceu im-„pios ipſi damnarent, ſi exulcerati „animi ſui odia penitiùs introſpicere „dignarentur. Delictis facem præ-„ferunt, & delinquentibus protervè „iraſcuntur. Et Clementiam dices? „Defectum nullum diſſimulare poſ-„ſunt irritati, grandia ſcelera impu-„nita ſinunt incurii. Et Clemen-„tiam dices? Pœnam nec intendunt „juxta æquitatis, nec remittunt jux-„ta pietatis leges, ſed quô fertur „impetu effrænis animus, ſupplicia „infliguntur. Et Clementiam dices? „Aliâ prorſus facie hæc ſe ſpectan-„dam præbet. Iraſcitur, ſed piè; „punit, ut emendet, &c. perſequi-„tur malos, ut conſervet bonos &c.

389. *Adjunctis* III. Sed nullus Locus tam amplam, pulchram, & præſtantem Exordiis rationem præbet, quàm Adjuncta. Longiſſimi laboris eſſet ſingula ſectari. Pauca propino. Ex *Quis* adjunctis perſonarum, ut ducas Exordium, notes neceſſe eſt, eas trifariam

ſariam dividi : alia eſt oratoris, alia auditoris, alia, de qua inſtituitur oratio. A te, ſeu adjunctis oratoris inchoas, ſi animo ad ætatem tuam, facundiam, officiúmve converſo dicis e. g. „Tantámne ad eloquentiam „ego natus ſum, ut auſerim mihi „provinciam panegyriſtis ſumere „tum, cùm laudandus eſt is, qui „ſolus laudem facit, & laudabilem, „Chriſtus ? &c. Dicam tamen &c. cur ? „Quia ad laudandum Deum „invitantur etiam muri, ſaxa, mon„tes &c.

Ab auditoribus incipis, ſi eorum perpendis affectus in rem illam, de qua dicturus es. Si illa grata eſt, ſimiles exordiendi formulas imitaberis. „Quamquam multa ſint,quæ „mihi de S. Joſephi prærogativis dic„turo ſilentium imponant &c. Fla„grans tamen ille affectus, quem in „aliis ita & in audiendi promptitu„dine affertis, linguam evocat ad „dicendum. Dicam, quantus ſit il„le, quem vos tot ſtudiis demereri „ſatagitis. Dicam, quantus ſit ille, „cui vos pridem conſecrâſtis &c. „Sed quomodo ego hæc omnia po-

„tero dicere ? Dicam itaque unum, „vobis hactenus ignotum, ſublime, „inexſpectatum. Dein ſine ſtylum dilabi ad propoſitionem. A perſona tandem vendicante ſibi orationem ſic forſan capies normam exordiendi. „Heu! quis dabit mihi co„lores, cùm depingendus; quis ver„ba, cùm deſcribendus; quis robur, „cùm adducendus peccator eſt? Im„par ſum pingendæ peccatoris fædi„tati, niſi colores ex inferni uligine, „ructúque cerberi mutuavero. In„caſsùm laboro in deſcribenda pecca„toris calamitate, niſi ex æneis præ„cordiis verba ferrea deprompſero „&c. Pingam tamen, deſcribam, „adducam hoc monſtrum non qua „decet, ſed qua licet arte &c.

Quid

1. Meminiſti Euſebi, quæ dico n. 220. de adjuncto *Quid*? *Euſebius.* Memini. *Eubulus.* Ab hoc adjuncto ergo exordiris, ſi in facto quopiam conſideras, quàm magnum illud ſit, quàm heroicum, quàm probroſum, aliáſve circumſtantias non neglexeris. Exemplum cape à crapula, ut ſuadeas Sobrietatem.

„Quid

„Quid video, cùm ebrium aſpicis, „brutum, an hominem? Si homo eſt, „ſtultus; ſi brutum, ſus eſt. Lo-„quentem audi, quid ſimilius ſtulto? „bibentem vide, quid ſimilius bruto? „O facinus probroſum. Omni ra-„tionis uſu deperdito titubat non pe-„dibus magis, quàm linguâ. Quid „fædius. &c. Sed cur diutiùs con-„temeremus in recenſendis iſtis ſor-„dibus linguam noſtram? Potius ver-„ba, & corda conſecremus Sobrieta-„ti, ut ab hoc fædo mortalium ge-„nere ſimus quàm remotiſſimi, illam „verò hominum proſapiam æmule-„mur proximè, qui è cœlo ambro-„ſiam hauriunt &c.

2. Quod locum ſpectat, diſpiciendum, an is à natura, an metaphora, an arte natus ſit. A naturâ ſunt campi, ſylvæ, mare &c. à metaphorâ ſunt via virtutum, purgativa, unitiva, domus mundiſſimæ conſcientiæ, &c. 1. ab arte ſunt templa, palatia &c. A locis primi generis inchoas, ſi excurris in eorum fæcunditatem, pulchritudinem, vaſtitatem &c. ac proin requiri dicis fæcundiſſimum oratorem, qui fæcundita- *Ubi.*

tem robuſtiſſimum, qui vaſtitatem voce poſſit complecti. Exemplum pro ſecundis locis ex hac, quam Sobrietas præbet, formâ cape.

„Omnes in ſtadio currimus, ad „cœlum currimus omnes. Non „quieſcas, donec pervenias; non ab-„rumpe curſum, donec apprehen-„das bravium. Non auditis claman-„tem, & hortantem Paulum? Sic „currite, ut comprehendatis. 1. Cor. „9. 24. Sed quid eveniet ebrio? an „perveniet ad bravium? Quomodo „perveniet, cùm currere non poſſit? „quomodo currere poterit, qui in-„cedere non valet? quomodo ince-„dere valebit, cui nec pedes, nec „oculi officium faciunt? Ah quid „miſero huic curſorum generi eve-„niet in ſtadio! Deficient, interi-„bunt. Linquamus ergo verbis, & „moribus hos curſores; viam Sobrie-„tatis curremus &c.

Tandem pro exordiis materiam præbent loca artis, ſi eorum majeſtatem, ſumptus, incolas &c. referimus. Sic in feſto Dedicationis templi in ejus laudes excurſurus, egregiè inchoabis hoc modo.

Quanta

Quanta Majeſtas! Quid video, cùm hocce templum conſidero? Aulam ego video, in qua Rex ipſe cœleſtis habitat. &c.

Univerſim à deſcriptione loci inſigniter exordieris Protaſin, ſi eundem poſtea in Apodoſi traducas ad metaphoram e. g. Ut probes animam juſti eſſe thronum Spiritûs Sancti; deſcribe in Protaſi thronum quendam regium v. g. Salomonis, & in Apodoſi dic hæc omnia longè pulchriùs inveniri in animâ juſti. Sed de hoc ſummi momenti documento n. 393. Parem decorem hauries ex vago Eventus. e. g. dicturus cum Petro Cellen. l. 5. ep. 13. *caſtra Dei*, clauſtra Benedicti, erue ex *Eventu*, quæ in his caſtris contigerunt, & viam ſternes egregiæ panegyri.

3. Ut autem ex inſtrumentis deducas Exordium, ea bifariam diſcrimines. Alia ſunt ex parte oratoris, alia ex parte rei propoſitæ. Ex parte illius ſunt virtutes, officia, & genus. Ex virtutibus, potiſſimùm conſideretur ſtudium pietatis, æquitatis, gratitudinis, pacis, modeſtiæ, eloquen- *390 quibus auxiliis*

tiæ &c. In officiis conſidera, in quanta collocent auctoritate, quàm magnam exigant in ſui adminiſtratione æquitatem, quanta ſit ea ritè adminiſtrandi neceſſitas &c. In genere reſpiciendum eſt ad nobilitatem, divitias, clientum multitudinem, ad potentiam, & alias fortunæ pediſſequas. Quod ad rem propoſitam ſpectat, perpende, quàm expedita, multa, & illuſtria media ſuppeditentur ad rem illam, ſi bona eſt, conſequendam; & ad eandem ſi mala eſt, propulſandam. Jam Euſebi cùm ab uno horum inceperis tuam orationem, Exordium ducis ab *inſtrumentis.* Exordia ducta à perſonâ oratoris dicuntur *morata*, & ſunt tantæ virtutis, ut quaſi genus quoddam probationis ſubeant. *Euſebius.* Sed qua ratione ejusmodi Exordia conſtruenda ſunt? *Eubulus.* Aggredere rem ſtatim à tua virtute, officio, vel genere, e. g. à pietate.

Virtutum

„Quanta fuerint mea in patriam, „communem matrem noſtram ſtu„dia, norunt ii, qui hâc dexterâ è „nupero exitio ereptam meminiſſe „volunt.

„volunt. Non manum duntaxat, „ſed & linguam, animam ipſam con„ſecravi patriæ. Illâ hoſtes profli„gare, iſtâ ad paria conſilia amicos „invitare prius haud ceſſabo, donec „aut necem feram pro patriâ, aut „eandem inferam hoſtibus patriæ. A modeſtiâ inchoas. „Vereor, ne „dum ego in tam auguſto conſeſſu „ſententiam dicere præſumo, potius „merear arrogantiæ nomine damna„ri, quàm veritatis patrociniô au„diri. Nam &c. Sed &c.

Ab officio inchoas. „Maluiſſem „ego tragicam ſcenam ab aliô re„cludi. Utinam dolorem ſilentiô li„ceret potius ſolari, quàm verbis ir„ritare. &c. Verùm officij mei ratio „non ſinit tacere: ut loquar, itenti„dem mihi occlamat. Aut ſi dicis. „Egóne ſum infauſtus ille vates, qui „ferrum ſemper, aut flammas nunci„et. Aut ſi in confidentia dicis. „Ut „nemo diſcedat ſuô, officiô fungor „meo. Veſtrum eſt delicta vitare, me„um,& vitare ſimul,& punire. Si bonus „es,& bonos amas,malos mecum per-

ſe-

Officier

„ſequere : id tu virtuti, ego meo de-
„beo muneri.

Generum Porro à genere, ſi ſit illuſtre, ſic duces Exordium. „Illuſtria majo-„rum noſtrorum facinora, quibus ſi-„bi ad ſummum honoris faſtigium „aditum aperuerunt, calcaria nobis „ſint, neceſſe eſt ut non tantùm per „eorum veſtigia incedere, ſed & cur-„rere pro meritis ſatagamus. Pri-„ma namque, quam pietas poſuit „nobili filio, lex eſt, patrem ſequi, „illuſtria facere, & pati fortia. Hoc „debitum natura fecit filiis, ut probè „noſcant, & imitentur fortiter facta „majorum. Magnam ego hujus de-„biti partem expunxero, ſi me per-„mittitis, ut illuc quemque veſtrûm „verbis dirigam, quò parentes no-„ſtri tam potenter exemplis deduxe-„runt. Tum certè fratres, erimus „verè filij magnorum, ſi ab infimis „animum abducentes paternam vir-„tutem moribus exprimemus.

Si autem genus oratoris ſit humile, illud in gravi concione vel condat, vel ad concionis laudem transferat hoc modô, Quis ſum ego, ut tan-

tantos inter viros loquar? Patris humile noſtis mapale mei. Cur ergo præſumo in palatium penetrare parvus ad magnates? &c. Verùm hæc laus eſt ſingularis magnitudinis veſtræ, quòd parvos (quos inter ego primus eram) non tantùm dignemini ſtuſtinere, ſed & magnos facere cupiatis. Parvus igitur de meô, magnus de veſtrô dicturus de magnis ad magnos loquendi mihi animum ſumo, quin & audaciam, qua & veſtram tuear majeſtatem, & meam gratitudinem. Dicam enim &c.

Attamen nulla pulchriora in genere deliberativo ſunt Exordia, quàm ſi eruantur ex adjunctis mediorum. *mediorum* *Euſebius.* Quomodo eruenda? *Eubulus.* Repete, quæ n. 98. de Vago *Induſtria* diximus. Hîc itaque, ſi quandam virtutem v. g. Manſuetudinem ſuadere cupis, media pro eadem virtute aquirenda inculcari ſolita conquiras, & ab iis Protaſin auſpicare. Cùmque hæc media per figuram e. g. Exclamationis probaveris, ad Apodoſin perge hôc, vel ſimili ritu.

„Schola eſt Eccleſia virtutum om-
„nium, diſcipuli ſumus omnes, Ma-

giſter

„giſter Chriſtus. Cathedram erexit „in cruce. Hîc docet depoſitis ſe„rinis moribus induere manſuetudi„nem. Audis docentem? Diſcite, „inquit: à me, quia mitis ſum. „Matt. 11. 29. Sic pluribus allatis induſtriis exclamatis. „ô egregiam „artem! ô dogmata artis aquiren„dæ illuſtriſſima! Tum adi Apodoſin. „Sed quamdiu hanc ſcholam ſo„corditer teremus? &c. Sat otio da„tum. Diſcemus dehinc &c.

Eodem modô productis contra iram mediis vitium iræ efficaciter perſequeris. Magnopere tamen cavendum, ne te ſinas à quæſtione actionis, (de qua n. 270.) ad repetenda eadem media per decurſum orationis, aut in peroratione abduci. Id namque, præterquàm quòd non careat nævo inſulſæ repetitionis, enervaret vim ſuaſionis, aut diſſuaſionis. Ergo quoties Exordium à mediis repetitur, oratio ipſa mediis careat, & vel per obteſtationem, aut Apoſtrophen ad Deum, qua propoſitam virtutem petimus, claudatur.

491. *Cur.* 4. Scis Euſebi ex n. 223. per particulam *Cur* denotari finem extrinſecum

cum, ob quem media aſſumuntur, intentiones, agendiq́ue conſilia. Tunc ergo exordiris ab hoc adjuncto, ſi tuam attuleris intentionem, ac ea, quibus te ad dicendum impulſum ſentis, conſilia enarraveris. Idq́ue fieri poteſt dupliciter vel ſimpliciter tuam proferendô, vel optandô alienam. Primi exemplum dedit Paulus 2. Cor. 5. 14. cùm ait: „Charitas Chriſti urget nos, ut verba diu ſuppreſſa tandem promamus. Conſilii mei ratio &c. Norma ſecundi eſt: „Flagrantiſſimus ille PP. noſtrorum in omnium virtutum ſtudia, profuſusq́ue affectus non ſinit diutius tacere. Loquar. Utinam is eſſem, qui ad laudandam virtutem eum animum, intentionisq́ue ſplendorem poſſet afferre, quem illi attulerunt ad faciendam &c.

Dominatur hæc exordiendi ratio potiſſimùm in vehementibus affectibus, & in Exordiis ex abrupto. Exemplum ſit ſævus tyrannus. „I furor, rumpe ſilentii repagula. Tona. Fulmina. Suggere mihi tu livor faces. Ferrô rimabor ſanguineas vias.

5. Cum

Quomodo 5. Cùm ex dictis n. 224. particula *Quomodo* ſit tota in explicanda intentione, contentioneque agendi externâ, nequit Exordiis præbere materiam, niſi ad vota refugias ſimili modô.

„Utinam dicturo mihi de inferni „ſuppliciis vox foret ferrea, & rigidô „ſtarent ſaxô latera. Vociferari cu„pio, ut nemo ſit per vaſti orbis clima„ta, qui vociferantem non poſſit audi„re. Cur enim ullum ego impervi„um voci meæ ſuſtineam mundo an„gulum, cùm nullus ſit, cui diductis „faucibus inferus non inſidietur. Si„nemúsne fratres noſtros deglutiri, ſi „vociferatione, ſi contentione no„ſtrâ poſſint ſervari? Sed eheu! vox „mea quàm anguſto circumſcribitur „horizonte! Cùm ergo vociferari non „poſſim, lamentabor, ut lamentis æ„ternis evadam. Ut & vos lamente„mini, & lamentis evadatis, ingredi„amini mecum inferos. O quàm „multa hîc nobis horrorem incutient, „lachrymas conſciſcent, quàm mul„ta &c.

Quando 6. Si bene meminiſti eorum Euſebi, quæ de tempore n. 225. diximus, illuſtriſſimam exordiendi normam ex

voce

voce *Quando* adipiſcéris. Licet in hiſce exordiis non tantùm ingenii periculum; ſed etiam argumentorum robur capere. Sunt quoque non minùs frequentia in genere epidictico, quàm pulchra. Ne autem ſterilitate in uſu hujusmodi Exordiorum labores, revolve eventus illius temporis, quo, aut de quo pangis orationem. Ne autem illos primùm peregrè accerſere cogaris, cura ſis maturè ea legere, & excerpere, quibus vagi. *Tempus*, de quo n. 95. & *Eventus*, de quo n. 96. augeri ſolent. Ad hunc, & illum facilè convehes ſimilia eruditionis Sacræ exempla. In Feſto Pentecoſtes Spiritus S. in ſpecie linguarum apparuit. S. Jo. Bapt. natus eſt 24. Junij. Chriſtus 25. Martij reſurrexit. Idem dicito de veteri lege. Ut: Abel occiditur 25. Martij &c. Atque ex his notis facilè capies rationem exordiendi, ſi v. g. in Feſto Pentecoſtes dicas: „Elinguis ſim, cùm cœli „linguis pluunt? abſit: loquar, & de lin„guis loquar, meâ, veſtrâ. Quid lo„quar de linguis? Monumenta Lin„guæ diviniſſimæ Spiritûs Sancti, ut „quoties illa dicenda ſunt, noſtræ lin-

„guæ nunquam ſint elingues, ſed fa-
„cundiſſimæ, eloquentiſſimæ. O Di-
„viniſſima Lingua! da mihi linguam,
„ut loquar laudes tuas. In Feſto na-
ti Joannis dicere poſſes. „Vox hodie
„nata eſt. Vocem hanc etiam muti
„Zachariæ loquuntur. Si muti lo-
„quuntur, quis taceat, niſi aut ingra-
„tus, aut improbus? Et ingrati, &
„improbi notam horreſco. Loquar
„ergo, & huic voci non vocem dun-
„taxat, ſed & totam mentem com-
„modabo. Tandem 25. Martii ſic
dices. „Cecidit hodie innocentia,
„cecidit fraternâ manu, & odiô. A-
„bel à Caino humi fuſus exanimis ja-
„cet. Non times innocens juventa? Eti-
„amnum Cainus vivit: non times
„caſum? &c. Non time; inno-
„centiam ſerva, & cadere non po-
„tes. Quisquis innocens vel in mor-
„tem cadit, ſurget ad vitam, in-
„nocentiam vitâ potiorem habe &c.
„& mori non potes &c.

Juvat nonnunquam plures eventus, qui uno die contigerunt, in Protaſi conglobare, dein unum in Apodoſi eligere hoc ritu. „Omnia hæc ſuam „ſibi repoſcerent panegyrin &c.
„Sed

„Sed unum hoc ego ſupremis laudi-
„bus in cœlum ſublatum velim &c.
Tandem tempus hîc ſumi debet latiſſimè, ita ut complectatur dies, & annos non ſolùm in ſe, ſed etiam prout rem quampiam antecedit, comitatur, aut ſequitur; qualia ſunt tempora famis, victoriæ &c. juventutis, ſenectutis. Cavendum tamen ne ad pueriles differentias diſcedamus, uti forent nubila, vel ſerena tempeſtas. Atque adeo, quæ de his adjunctis à n. 390. dixi, etiam de aliis uti habitu &c. dicta exiſtimes velim. Adi n. 226. & 215.

IV. More ſolito Euſebi remittendus es ad priora. Explicavimus n. 227. Antecedentia, & conſequentia. Si eorum paratam habes notitiam, facilè videbis, quàm feliciter operam ſuam conferant ad conſtruẽda exordia in genere deliberativô. Vis e. g. Manſuetudinem (ut exempla noſtra paululùm interrupta repetamus) ſuadere, producito in Exordiô ea, quæ Manſuetudinem debent neceſſariò antecedere. *Euſebius.* Quænam ſunt? *Eubulus.* Ex parte Dei gratia, ex parte concionatoris fa- 392. *Antecedentibus*

cundia, ex parte noſtri manſuetudinis cognitio. Hæc igitur ſi hac, vel ſimili ratione attuleris, Exordium ab Antecedentibus confeciſti.

„Iras ponite, ſumite manſuetudi-„nem. Huc oculos, huc ſenſus, „huc totam mentem. Quanta in „illis fœditas! in hac quanta pulchri-„tudo! In veſtra eſt collocatum „poteſtate hanc adipiſci, illam abji-„cere. Liberaliſſimus Deus eſt: gra-„tiam manſuetudinis, quam omni-„bus offert, negare nequit. 2. Au-„diſti quantâ eloquentiæ ſuadâ ean-„dem inculcent Divini verbi præco-„nes? Intonuére contra iram ver-„bis, & calamis; extulerunt utro-„que mentis, & corporis anniſu „Manſuetudinem. 3. Hiſce viris „igneis, & ignibus virorum etiam „ego me admiſceo, ut ſi non lucem, „umbram ſaltem manſuetudinis fe-„ram. Adamabitis ſanè virtutum „hanc pulcherrimam ſi vel ejusdem „umbram ob oculos ritè ponere mi-„hi datum fuerit. &c.

Conſequentibus 1. Eadem eſt à Conſequentibus exordiendi ratio, quale eſt in dato manſuetudinis exemplo *gloria*, bene-

volentia

volentia apud homines &c. pax in convictu. Sic ergo auſpicabere Protaſin tuam.

„Manſuetudinis merces eſt gloria. „Umbra corpus, manſuetudinem „gloria ſequi ſolet. Amare neſcius, „& amari indignus ſit, neceſſe eſt, „qui hominem non amat, cujus fa„cies, ſermo, & converſatio pla„cidiſſimum rivulum imitatur, quem „turbare nulla tempeſtas poſſit. Bea„titatis gloriam ipſe Deus manſuetis „tribuit. Quid illuſtrius? Utinam „ferinæ mentis infamiam, & Lybi„cis Sylvarum incolis innatam fu„roris ignominiam à nomine ſuo „depellerent mortales, & manſue„tudinis gloriam ſectarentur! Quan„ta foret in conſiliis dandis pax, in „accipiendis conſenſio, in convictu „tranquillitas? &c.

Apodoſis Sed ut ut magna eſt manſuetudinis gloria, longè tamen major eſt ejusdem neceſſitas &c. Adde rationem, & perge ad propoſitionem.

2. Animô ad dicta n. 231. conversô à cauſis ritè poteris ducere Exordia. Forma ſit hæc. *393. Cauſis*

„Miraberis forſan, quâ tandem ego

„mentis, aut facundiæ præſidentiâ ro-
„ſtrum conſcendere auſerim, cùm
„ubique & animo rerum momenta,
„& oculis ea ſeſe virorum maximo-
„rum majeſtas obiiciant, ut non ſo-
„lùm reverentia, ſed & neceſſitas ſi-
„lentium imperitare videantur. At
„dabis dicturo veniam, ſi dicendi
„cauſas cognoveris. Atque tum ad-
„ditis cauſis ſubde. Dicam ergo &c.

materiali in quâ, circa

3. Hæc ferme à cauſis in genere exordiendi eſt forma. Nunc quamlibet in ſpecie productam contemplemur. Habes n. 231, cauſam materialem variè diviſam. Singula diviſionis membra non tam offerunt, quàm obtrudunt Exordiis normam, præſertim n. 232. cauſa materialis *in qua*; quæ cùm juxta ibidem dicta nihil aliud ſit quàm formarum accidentalium ſubjectum, facillimum erit ab his ſubjectis ordiri. Dicturus itaque de laude ſcientiæ, incipe ab intellectu; dicturus de virtute, à voluntate vel vitiis, vel naturâ exordire. Di quàm ille ſit præſtans, velox in Protaſi, in Apodoſi autem probato, quantùm perficiatur ſcientiâ. Eodem modo in Protaſi dic de voluntate, quàm

ſ

ſit prona, ad malum, cæca &c. in Apodoſi ſubiice. Sed gaudete: his malis medebitur virtus. Atque ex his vides, quàm plana ſit ad egregiam propoſitionem via.

Sed an ulla ſit tam in genere demonſtrativô, quàm deliberativo exordii pulchrior ratio, ac illa, quæ capitur à cauſa materiali *circa quam*, vehementer dubito. Et hæc ipſa pulchritudo accerſitu eſt facillima. Nam ubi cogitatu deprehenderis, circa quid aliqua res verſetur, & illud in Exordii materiam converteris, ab hoc loco tuam orationem diceris auſpicari, e. g. Gula verſatur circa ciborum, & potûs breviſſimas illecebras, ſuperbia circa futiles honores. Ac proin cibus gulæ, & honor ſuperbiæ eſt, & dicitur materia *circa quam*. Cumque ab his viliſſimis honoribus, à breviſſimis his illecebris orationem inchoaveris, conſtruis, quam loquar, à materia *circa quam*, Exordium. Par judicium eſto de virtute quavis. Unde materiam *circa quam* Manſuetudinis dices injurias, probra; fortitudinis chriſtianæ rotas, famem, ſitim &c. aliarum virtutum alia prædicata,

quorum notitiam cùm conſuetudine notandi quivis ſibi facillimè parare poſſit , illis recenſendis ſuperſedeo , & te ad n. 233. remitto , ex quo Martyrum conſtantiam ſic dilaudabis.

„Protrahe truculente Nero imma-„nitatis tuæ inſtrumenta : infractam „fortiſſimorum pugilum conſtantiam „non vinces. Cibum omnem inter-„dicit, & potum : fami, ſitique per „inediam hilariter opſonabunt. Ro-„tas minare, & cataſtas; inſilient in-„territi, ſuaviter amplectentur. Ani-„mam extorquere poteris, non pote-„ris conſtantiam; vitam aufferre po-„teris, non fidem.

Cauſa autem materialis *ex qua* cùm tantùm inveniatur in compoſitis phyſicis , exordiendi quoque rationem ſolùm tunc præbet , cùm rem quampiam phyſicam præ manibus habemus; veluti ſi panegyris pangenda foret de Templô, palatio, turri, ſtatua &c. Pompam habent hæc Exordia , ſi Protaſis tota eſt in hypotypoſi e. g. Templi , palatii &c. in ſubſidium causâ formali ex n. 234.

&

& efficiente ex n. 235. accerſitâ, ita quidem ut ſingulæ operam ſuam deſcribendo templo commodent. e. g.

Cauſa materialis. „Quantæ mo„lis erat, ut magnifica hæc ſupremi „Numinis conſurgeret ædes! Tu Ly„bia miſiſti è verſicolore ſinu tuo „marmora. Tu è pretioſis viſceri„bus tuis India dediſti aurum &c. „Natura omnis opes ſuas viſa eſt huc „contuliſſe. Vide, quantum hîc „rutilet in gemmis &c. *efficiens.* Sed „ars naturæ nihil cedit. Cœlum, „non templum mihi videre videor. „Ooliab, Beſeleel, & cætera arti„ficioſæ antiquitatis prodigia revixe„runt, atque artis ſuæ hîc documen„ta poſuére &c. *formalis.* Si ocu„los tollo, quantam altitudinem, ſi „circumfero, quantam pulchritudi„nem, ſi ad aras mitto, quantam „majeſtatem obſtupeſco? Ne autem videaris parturire montes, & naſcatur ridiculus mus, non omnia ſtatim in Protaſi afferenda ſunt, ſed quod maximum, & inexſpectatum eſt, ſervare debes ad Apodoſin, uti in exemplo eſt. *Templum hoc eſt re-*

gia Regis cæleſtis. *Euſebius.* quomodo nectenda eſt hæc propoſitio dictis ? *Eubulus.* Attendere debes, ex quo Loco ſit deprompta. Cùm itaque ſit ex cauſa finali, juxta naturam cauſæ hujus hoc ritu nectenda eſt Apodoſis Protaſi. „Sed cur „Ars, Natura, Religio, Magnificen„tia hac in fabrica virtutes ſuas adeo „exeruerunt ? An ut &c ? Sed ut con„derent regiam Deo, Regi Regum. Ut tranſeas ad propoſitionem, dices. „In hac regia quid Rex ipſe, „ejusque Religioſiſſimi proceres ege„rint ad commune totius Germaniæ „emolumentum, demonſtratum ibo. Ne autem in Confirmatione incidas in novam difficultatem, cura ſis, ne extra peripheriam in propoſitione deſcriptam unquam abeas. Unde velut Deum Regem hujus regiæ dixiſti, ita dices Religioſos hujus Regis conſiliarios, curiam dices ſacra tribunalia, regium conclave dices ſummam aram Euchariſtico Deo inhabitatam. Gynecæum dices virginum imagines, reliquias &c. Decurres dein quàm facilis ſit in hac aula admiſſio. Fures admittuntur, ut abſol-

ſolvantur &c. Atque hoc Euſebi documentum præprimis tibi inculcatum velim, ante omnia autem illa, quæ de connectenda Protaſi & Apodoſi diximus.

4. Ex dictis n. 234. patet, cauſam 394. *formali* formalem prope totam eſſe in evolvendis iis, quæ quælibet res in ſua ratione differentiali comprehendit. Vides itaque facilè quàm egregiam de virtute quadam, aut vitiô dicturis materiam hæc cauſa præbeat, præcipuè ſi plures formæ conglobentur. Exemplum ſit *Manſuetudo.*

„Beatam obeo provinciam! De vir-
„tutibus ad virtutes loquar! Perge
„Fortitudo, & meritis tuis orbem
„chriſtianum imple: contra adver-
„ſos caſus animos firma, & fortunæ
„ludibriis ſuperiores redde. Perge
„Prudentia &c. Sed quid de te di-
„cam Manſuetudo? Tu mentis auri-
„ga es, iræ moderaris habenas, &
„eò nobis es charior, quò illa eſt
„pejor. Sine te quis ſerenum con-
„ciliet? Nemo. Nubila ſedebunt in
„fronte, in ore perſtrepent tonitrua,
„ex oculis erumpent fulmina. Con-
„ſciſcat tempeſtatem modicam immi-
„tior

„tior caſus, niſi tu ponas ventos ani-
„mi, grandinabit. Sine te placa-
„tum nihil eſt; ſine te quid placebit?
„*Apodoſis.* Cedimus ergo tibi lu-
„patos iræ. Dominare. Ut autem
„imperium tuum nemo detrectet &c.
„aggredimur &c.

Efficiente

5. Ex hac efficiente, quam n. 235. fusè ventilavimus, eruis Exordium, ſi inchoas ab illo principiô, à quo res illa, de qua loquéris, profecta eſt. Velut autem hoc principium varium eſt, ita quoque varia ex cauſa efficiente prodire ſolet exordiendi norma in omni genere dicendi frequentiſſima. Sic diſſuaſurus peccatum, inchoa à dæmone, cupiditate, cæterisque cauſis impellentibus, cumque dæmonis malitiam, cupiditatis fæditatem in Protaſi deſcripſeris, facilis erit Apodoſis, & reliqua exordij compago. Eadem ratione ſuaſurus virtutem, incipe à Deô primo ejusdem auctore, gratia divina, ab impulſu angeli tutelaris, actibus frequentatis &c. Mirum eſt quanta ſit huic exordiendi formæ vis in genere demonſtrativô, cùm aliquas veritates velut quasdam Virtutes con-

conveſtimus, & tanquam laudis effectrices producimus in Protaſi, uni dein virtuti palmam vendicamus in Apodoſi tanquam primo laudis principio. Exemplum ſit Caſtitas S. P. N. Benedicti triumphans in ſenticeto.

„Ut omni laudum majeſtate S. Pa-„tris Noſtri, exornaretur ſanctimo-„nia, viſæ ſunt virtutes omnes ſin-„gula ſua decora contuliſſe. Quan-„tam pulchritudinem attuliſti tu in-„contaminatiſſima Innocentia. Vix „Benedictulus tuus pedem in mun-„do poſuit, ne immunditiem contra-„heret in vaſtam ſolitudinem extu-„liſti. Sic Locutus de aliis virtutibus aggredere Apodoſin. „At quam-„quàm omnes, quotquot eſtis cæleſ-„tîs aulæ lectiſſimæ Principes pro-„fuſâ manu in Benedictum theſauros „veſtros congeſſeritis, haud tamen, „ut reor, gravatè feretis, ſi Caſtita-„ti in exornando Benedicto palmam „dedero. Vos militis iſtaDucis præ-„rogativam contulit. Vos cœpiſtis, „iſta conſummavit ſanctitatem &c. Adiens dein propoſitionem potes animum reflectere ad ea, quæ infra n. 402. dicam, & omnia reliqua S. Pa-

tris

tris facinora ad unam Caſtitatem ceu effectus ad ſuam cauſam derivare.

Atque hæc exordiendi ratio extendi poteſt, ſi cujusdam improbi, ejúsque ſceleris deteſtationem cupis excitare e. g. Apoſtaſiæ, ſi modò ſcelera, quæ hanc anteceſsére, vel ſecuta ſunt, tanquam antecedentia, diſpoſitionem conſequentia, aut effectus eidem colliges in aliquo mediô, quale hîc eſt vepretum S. Patris.

395. *finali*

6. Sed ut cauſa finalis in genere morum eſt omnium fæcundiſſima, ita formandis Exordiis præprimis apta. Reviſe illam n. 238. Cognito itaque cujusdam rei, ad quem ordinatur, fine, circumſpice, quàm efficacia ſint, quàm multa, quàm facilia ad illum media. Atque adeo ſi mediis in Apodoſin reſervatîs orationem auſpicatus fueris à fine, illuſtre Exordium efformabis. Facem dictis præferat iterum Caſtitas.

„Apage ſordes! Nihil nobis cum „luto voluptatum. Ut ſimus angelis „quàm ſimillimi, laborandum eſt. Cumque plures fines, in quos tendit Caſtitas attuleris, tali formulâ potes ad Apodoſin, & media tranſire.

„Et

„Et O nos beatos! Ut tanto animæ „ornamentô potiamur, haud „accerſendum illud eſt,per maris, & „aquarum diſcrimina, ſed modera- „to potu quæritur,& invenitur. Non „intendenda intellectûs acies, ocu- „lorum circumrotanda ſollicitudo,ut „Caſtitatis pretium capere, & pul- „chritudinem videre poſſis, & indi- „piſci. Oculis fidei ſpecta, corporis „claude, & tua erit caſtitas &c. Pul- chrè hiſce præmiſſis, faciliter adibis propoſitionem, ſi ſimilibus dictis adi- tum aperueris. „O execrandam no- „ſtram ſocordiam, ſi tantum bonum „aquiſitu tam facile non quæramus! „Sed abſit hæc nota. Ut non ſolùm „ſimus in quærendo diligentes, ſed „etiam in inveniendo felices, ſine- „mus nos à fide, à ratione, exem- „plis rectà ad illam metam deduci, „ad quam collimat Caſtitas, nihil in- „vium voluptatis, prohibitæ formæ „aſpiciemus. Ne à cœptis reſilias, „primus ego dux ero &c. Vim hu- jusmodi Exordiorum capies, ſi tales proximas inveneris, quæ manent in cauſa finali dicáſque à caſtitate præ- cipi, e. g. curam oculorum, ſobrie-

tatem

tatem &c. ut pedicas oculorum, mentis libertati longè infeſtiſſimas evadamus, ut in cœlo acutiſſimè videamus &c. Atque his præſtantiam Caſtitatis & eandem normam ſecutus cujusvis alterius virtutis excellentiam graviter poteris perſuadere.

Effectus 7. Ut radii à ſole, ita effectus à cauſis profluunt. Si ergo illa, quæ ex cauſâ quacunque manant, corrivas in frontem orationis, ab Effectis, de quibus n. 241. exordiris. Hujus generis Exordia non ſolùm pulchra, ſed etiam neceſſaria ſunt in materia difficili, & prolixa. Normam ſumamus ab hoc effectu Caſtitatis. *Liberat à tyrannide carnis.*

„Io! gaudete Chriſti aſſeclæ. Deferbuit Neronis furor; ſica hebetata eſt Diocletiani; Juliani rota confracta jacet: Chriſtus, Chriſtique Sacra non feriendô, ſed ferendô Cæſarum immanitatem triumphârunt. Signum victoriæ crux in coronis Regum jam pulcherrima gemma eſt. Jacent tyranni! Sed quid hoc? audio ad arma cani. *Conſurgamus* clamat noſter Induperator Chriſtus Jerm. 49. 14. *ad prælium.* Vivit etiamnum

„amnum tyrannis, non illa, quæ mi-
„nis, ſed blanditiis; non illa, quæ
„enſe, ſed carne pugnat, & eò lucu-
„lentioribus damnis, quò levioribus
„voluptatibus luxuria. Sævit hæc
„tyrannis non ſolùm in corpora, quæ
„proſtituit; ſed etiam in animas, quas
„jugulat. Inferus omnis quid vaſtiſ-
„ſimo claudit ſinu, niſi ab hac tyran-
„nide horrendùm exanimata cada-
„vera? Quid conſilii? Sinemúsne
„hanc tyrannidem diutius in noſtro-
„rum fratrum cladibus tripudiare?
„Cur non certatim rapimus arma Caſ-
„titatis? Hac duce ſuperabimus car-
„nis tyrannidem &c.

8. Tandem à Comparatione, quam vide ſis n. 244. ducitur Exordium, ſi à notioribus incipimus, & ad minus nota progredimur. En lucem affundit dictis iterum *Virginitas*. 396. *Comparatione.*

„Ita ipſius naturæ magiſterio edoc-
„ti ſumus, ut ſordes odio, mundi-
„tiem amore proſequamur. Porcus
„ſit, aut porco fædior, qui voluta-
„brum præferat areolis. Nulla fæ-
„dior ſentina, quàm luxuria; nulla
„pulchritudo ſuavior, quàm caſtitas.
„Fieri nequit, ut, quisquis ſordibus

„voluptatum nondum inſuevit, illius
„formâ non capiatur. Faſtos ego
„Eccleſiæ appello; licet ii omnigeno
„reliquarum omnium virtutum pro-
„digio abundent, nullis tamen magis
„exornantur, quàm Virginum, &
„virginitatis monumentis. Puelli,
„& puellæ tenerrimæ ut unam hanc
„ſervarent gemmam, non dubitâ-
„runt perdere vitam. Inermes ar-
„matos vicerunt exercitus: mori po-
„terant, non fædari. &c.

Sed nunquam aut meliorem, aut frequentiorem Exordiis locum facit Comparatio, quàm cùm tota theſis occupatur in illa definiendi ratione, qua v.g. 1. inſignis pictor dicitur Apelles; 2. aut excellentes in aliqua virtute e. g. in zelo Eliæ, 3. in fortitudine Judithæ &c.; aut res 4. ſublimis, mons; 5. dura, ſaxum; 6. profunda, mare; 7. pulchra, ſol &c. Atque tunc ut à comparatione non indecorùm exordiaris, deſcribe ſtatim in Protaſi fundamentum comparationis, hoc eſt, artem prodigioſam (liceat prioribus exemplis inhærere) Appellis in pingendo, zelum Eliæ, fortitudinem Judithæ, altitudinem montis, duritiem ſaxi, profunditatem maris, pulchri-

pulchritudinem ſolis, & ſic de aliis. Ad Apodoſin deinde hac vel ſimili formulâ tranſi. 1. *Talis Appelles* eſt Anſelmus, qui virtutes in ſuis libris tam vivis coloribus depinxit, ut qui viderit, eas non poſſit non amare, ſectari &c. 2. *Etiam novæ legi* ſuus eſt Elias Benedictus, non ille, qui ignem de cœlo, ſed Regem ſuperbum Totilam in terram jecit. 3. *Una fuit Bethuliæ* Juditha, Roma centenas numerat. Juditha Franciſca fuit, nec unum duntaxat Holofernem vicit. 4. *Longè ſublimior* mons eſt ſpiritualis perfectio. In hunc montem invitamur à Chriſto &c. 5. *At dura dicito* Caucaſi ſaxa, duriſſima dicam ego hominum corda. Illa arte, & igne conteri poſſunt: hæc ſi poſſint, nolunt. Omnes artes evoca, ignem ex inferis mutua: nec illis ſceleſti hominis pectus emollire, nec iſtô liquefacere poteris. 6. *Verùm enim verò prius* mea naufragabitur oratio, quàm ego fundum illius maris, cui tamen potior hominum pars innavigat, humanæ malitiæ attigero. Tu amantiſſime Servator ſupreme Architalaſſe bolidem mihi commoda, ut ſaltem parùm dimetiri queam illam abyſſum perverſitatis, in

quam ſe homo audet peccando præcipitare. 7. *Novus jam hodie ſol* Benedictus in Eccleſiæ horizonte apparuit. Utinam ab acutioribus illis aquilis Joanne, Paulo mentis aciem mutuare liceret, ut vobis hunc Solem cum omni radiorum gloriâ, influxuumque fæcunditate, & magnitudinis ſuæ majeſtate repræſentare poſſem. Atque hæc Exordia inſigniter auſpicantur illam panegyrum ſpeciem, quæ deſumuntur à metaphorica definitione. Curandum autem, ut in inveniendis proximis à metaphorâ non diſcedatur. Unde ne tuus ſol hîc loco ſeptimô poſitus eclypſin patiatur in Confirmatione, illæ duntaxat rationes afferendæ ſunt, quibus evinci poteſt S. Benedictum eſſe Solem. Plura in hanc rem, quam tibi planè maximi eſſe cupio, vide §. ſeq. 400. n. 3.

397. *Locis extrinſecis*

V. A Locis intrinſecis veniamus ad extrinſecos n. 247. p. 3. c. 3. §. 6. fuſè deductos. Singuli facilem, & expeditam formandis Exordiis viam præbent: ne tamen hæc ipſa ſpinis conſepta videatur, nota ſis, *Exemplum* comparari vel à majori ad minus, vel à minori ad majus; vel à pari ad par. In judiciis tenet vim præjudicii, in con-

conſultationibus, ſeu in genere deliberativo ſpecies argumenti eſt; in demonſtrativo Comparatio. ***Auctoritas*** duplex eſt, certa, & incerta, certa eſt, quæ ſumitur à fide, S. Scriptura, traditionibus Apoſtolicis. Incerta eſt ab homine. Si petitur à rumore adhuc recenti, ***fama*** dicitur; ſi autem jam ætatem tulit, ***adagium*** dicitur. Si jam olim examinata à ſapientibus eſt, ***præjudicium*** habes, ſi petitur ex legibus, ſancitis, diplomatis, ad ***tabulas*** revocanda eſt. Si ſacramentô firmata ſit, ***jusjurandum***; ſi ſuppliciis extorta, ***tormentum***; ſi cujusdam fide digni hominis verbis aſſerta ſit, ***teſtimonium*** producis. ***Teſtimonium*** autem duplex eſt Sacrum, & profanum. Ad illud ſpectant S. Scripturæ oracula, SS. PP. Conciliorúmq; ſententiæ. Ad hoc revocantur Poëtarum, Hiſtoricorum, & Philoſophorum dicta. Cùm itaque ex his, vel ex iis, quæ à n. 247. ad n. 254. diximus, exordiendi materiem capis, Exordium tuum erit ex Locis extrinſecis. Lucem dictis: & ***Virginitati*** grande feret encomium illud Sap. 6. 20.

„Ponite faſtum, & ventum ſuperbi „Thraſones. Non ſucceſſuris cona- ***auctoritate***

 „tibus

„tibus fatigamini. Nunquam enite-
„mini in altum. Aut ſi enixi eſtis, ca-
„detis eò lapſu funeſtiore, quò con-
„tentiore ſtudio aſcendiſtis. Si ſapi-
„tis, Sapientiam divinam audite, &
„quam ipſa oſtendit, gloriæ viam
„adite. Hanc viam quisquis illiba-
„tis mentis, & carnis pedibus ingre-
„ditur, & conſtanter progredi labo-
„rat, Regum honores, Cæſarum glo-
„riam, & omnia humanæ laudis faſti-
„gia transgredietur. Ipſam Divinam
„Sapientiam, quàm habemus viæ Du-
„cem, interpello dictorum vadem.
„*Incorruptio* (virginitas) *facit eſſe pro-*
„*ximum Deo.* Sap. 6. 20. Proximum
„facit non angelis tantùm, ſed Deo,
„non &c. O grande Virginitatis præ-
„conium &c. Atque hæc apertum, ut
vides, tramitem ſternunt ad demon-
ſtrandam maximam virginitatis glo-
riam.

aliis⁎ Cæterùm cùm in reliquis Locis ex-
trinſecis non ſit ulla nova exordiend
difficultas, exemplis abſtineo.

Quòd ſi verò alii Exordiorum, &
hîc non reſerati fontes ſupereſſe vide
antur, opinor ego illos ex uno de rela
tis dimanare. Tales ſunt, ſi inchoë
ab inſigni eruditione, conſuetudine
fabul

fabulâ, apophthegmate, ænigmate, à judicio, aut ſupplicio inaudito; vel quavis quæſtione inſigni. Vel ſi mavis dico plures ſæpe Locos in unum Exordii fontem confluere. Velut ſi ab adjunctis rei, perſonæ, loci exordiaris; pugnantes inter ſe ſententias afferas, illorum e. g. ſuadentium vitæ licentiam, & aliorum urgentium ſalutis curam; vel ſi initium ſumas ab affectibus variis gaudii, triſtitiæ &c. Si tandem exordiendi cauſam capias ab illuſtri figura, uti Præteritione, Exclamatione &c. formam potius, quàm materiam Exordii referre debes ad figuram. Nolim itaque diutius materiæ immorari, ſed ad formam Exordii tranſeo.

VI. Forma proin ut jam innuebam Exordii ſunt figuræ. Sed cùm ipſis, ſeu in Exordio, ſeu alia orationis parte collocentur, nulla nova difficultas accedat, te ad c. 6. ablego. Juvat tamen monuiſſe, aliquas eſſe figuras, quæ ſingularem decorem Exordiis aſpergant. Suntque Dubitatio, Antitheſes, Hypotypoſis, Occupatio, Licentia, Diſtributio, Suſpenſio, & aliæ, quas lectio, & uſus noſſe docebit. Ut autem fulgeat 398. *Exornare Exordia figuris*

decor figurarum in materia Locorum, animus in Exordiis identidem reflectendus eſt ad debitum affectum, veluti an ſit lætitiæ, ſpei, doloris, indignationis. Atque hic affectus erit tibi auriga, ac moderator amplificationis per totum Exordium ſine multis ambagibus inſtituendæ.

§. II.

Propoſitio, ejúsque formandæ ratio proponitur.

399 *Conſtruere Propoſitionem*

I EUſebius. Cùm Propoſitio licet minima, maximi tamen momenti pars ſit orationis, quid mihi, ut eam ritè efformem, agendum? *Eubulus.* E tripode loqueris, cùm Propoſitionem minimam, maximi tamen momenti partem dicis. Licet enim pauciſſimis exigat verbis includi, ea tamen tam ſelecta, ponderoſa, & perſpicua expoſcit, ut ſemen totius orationis dici poſſint. Velut namque ex emortuo ſemine incaſsùm arborem, ita ex enervi Propoſitione fruſtra orationem exſpectaveris. Sicut autem compoſituro Propoſitio princeps ſtudiô, ita etiam poſt Exordii Protaſin, & Apodoſin ordine prima cura eſſe debet. Ut verò, quæ

quæ hîc dicturus ſum, evadant clariora, relege prius quæ toto §. 1. c. 5. recenſui de Quæſtione n. 270. Ibi videbis Quæſtionem, & Propoſitionem eſſe unam eandem rem; quamquàm primum nomen aſſumere magis gaudeat, cùm formatur ad invenienda argumenta, & ſecundum, cùm ad eadem proponenda præmittitur. Eſt námque nihil aliud, quàm oratio, quâ, quid dicendum erit, paucis, diſtinctis, & tam claris verbis proponimus, ut non poſſit non intelligi. Qualis eſt. *Superbia eſt hominum ignominia.* Aut *Humilitas eſt glorioſa.* Aut. *S. Benedictus eſt Architalaſſus.* Aut. *Judas eſt reus mortis.* At verò cùm clara, & omnibus pervia communiter vilitatis cenſurâ notentur, hîc opus, hîc labor eſt, ut Propoſitio & à claritate fulgeat, & tamen à raritate placeat. *Euſebius.* Quas ſuades regulas, ut Propoſitio aliàs trita, & vulgaris induat novitatem? Eubulus. *claram.* *novam*

1. Suaſurus rem quampiam, aut diſſuaſurus, laudaturus etiam perſonam aliquam, exprime illam in vulgari theſi, e. g. *Debeo laudare S. Benedictum.* Iamque hanc propoſitio- *novitate Loci*

 nem

nem circumducito ad ſingulos Locos, donec eidem emendices egregium argumentum, quod ſine vi converti poteſt in ſubſtantivum. Si perveneris e. g. ad cauſam efficientem, n. 235. percurre ſingulas voculas in *margine* poſitas, & e. g. n. 236. dic: debeo laudare S. Benedictum, quia *permittit* in ſuum Ordinem omnibus, etiam prædonibus aditum. Converte jam hanc propoſitionem in prædicatum, ſubjectúmque nexum copula *eſt*, & prodit. *S. Benedictus eſt, aditus veniæ. Euſebius.* Non placet hæc propoſitio. *Eubulus.* Progredere ergo ulterius, & ventila *efficit*. Quid invenis, quod effecit S. P. B.? *Euſeb. Effecit, ut fulciretur Eccleſiæ domus. Eubulus.* Placet hæc theſis? *Euſebius.* Ita: niſi trivia foret. *Eubulus.* Ut ergo hac labe penitus exuatur, muta ut prius, & *fulcio*, verte in *fulcimentum.* Sed non placet tibi Plauticum hoc nomen ceu minus emunctum à vitiô Latinitatis, & è vernaculâ linguâ minus ſignificativum? uti ſunt: Aufenthalt / Unterſtützung / Stärckung. *Euſebius.* Ita eſt. Quid porro agendum? *Eubulus.* Converte *fulcimentum* in aliquod

liquod ſynonymum perſpicuum, diviſu facile, & pro ſubjectæ materiæ naturâ nobile, ac magnificum; quale v. g. eſt *Columna*, & dic *S Benedictus eſt fortiſſima Eccleſiæ columna.* Et ne putes hactenus dicta plus temporis, & laboris aufferre, quàm fructûs ferant, conquire mecum allatæ propoſitioni ſuas proximas, ac 1. ex adjunctis dic: quàm hæc columna à ſua, & filiorum puritate candida: quàm à ſuo in ſentibus illis Sublacenſibus fuſo, & filiorum per varia tormenta dato ſanguine, ſit rubicunda; quàm fortiter tot ſæculis ad tot dæmonis, & monaſtici ordinis hoſtiles aſſultus immota ſteterit. 2. ex cauſa efficiente dic: quis erexit hanc columnam? Deus. Quando? cùm Eccleſiæ domui ruinam Infidelitas, & Impietas undique minabatur. Quantis impendiis? Orbis univerſi ſtudiis. Italia fundum contulit, magnitudinem Hiſpania, Splendorem Gallia, virtus ſublimitatem. 3. ex effectis dic: quàm magna ſint onera huic columnæ impoſita, quàm difficiles legationes, gentium converſiones &c. Quin integris trecentis an nis ſola ſuſtulit totius Eccleſiæ

cleſiæ molem &c. Ex his vides, quàm ampla dicendi materies ſuggeratur ex unica ritè formata propoſitione, quàm præterea magno tibi evaſura ſit emolumento hæc induſtria, ſi eandem pari ritu ad alia exempla extendere non gravéris. Hic Allegoriæ uſus facilis evadit, ſi eandem in proximas dividas, ac ſequaris ordinem rationis, non temporis Adi 442. n. 2. Ex hoc modô comparans S. Benedictum aquilæ, dic eum ſimilem aquilæ volanti per ardua, dum mundum deſerit: volanti per ſublimia, dum Deum in carne videt: volanti per diſtantia, dum ampliſſimum Ordinem condit. Hac ratione Allegoriis inſperges amœnam varietatem.

metaphora 2. Similis re, modô, dictis tamen diſſimilis eſt, ſi animum advertimus ad artem conſtruendi metaphoras. Diximus de hoc pulcherrimo Rhetorices ornamento toto n. 305. Si ergo vel lectione vel arte hauſeris notitiam hoc vitium e. g. luxuriæ, hanc virtutem e. g. humilitatis, hunc Sanctum e. g. S. Benedictum, de quo dicere debes, è metaphoræ regulis dici cloacam, arborem gratiarum fæcundiſſimam, Montem altiſſimum,

parum-

parumper ſubſiſte, ac trutina, an metaphoræ ſic inventæ ſuas poſſis proximas invenire, atque proin periculum facito in omnibus Locis, & næ haud quaquàm incaſsùm facies, ſed etiam ex Locis primo contuitu ſterilibus multam materiam ad dicendum poteris eruderare.

Elogij

3. regula Propoſitionis eandem faciem præfert, non tamen eodem modô ſumit, & eſt *Elogium.* Ex dictis n. 97. vidiſti, quàm inſigni præconio paucis nonnunquam verbis contexto illæ ipſæ res, aut perſonæ, de quibus nobis dicendnm eſt, afficiantur nunc à Regibus, magnatibus, nunc à Purpuratis PP. SS. Pontificibus nunc à Deo ipſo in S. Scriptura. Hæc ergo præconia formandis novis propoſitionibus (mirum!) quantum decorem, & virtutem contribuant. Fidem verbis adſtruo iterum exemplîs. Dicere debes e. g. de S. P. Benedicto, quem tibi filialis reverentiæ nomine non poſſum non ſæpius adducere. Adi vagum *Elogium*, & oculis percurre ſingulas totius alphabeti litteras. Si Benedictum amas, & induſtriam excerpendi, varia reperies,

ries S. Patriarchæ à variis attributa præconia. In meo vago *Elogium* dicitur à S. Odilone *Angelus*, ab Aimoino *Benedictus*, à Spiritu S. *Cypreſſus*, à Stephano III. *Doctor gentium*, à Gregorio M. *Exemplar hominum* à S. Petro Apoſtolo *Frater*, ab Aimoino *Gedeon*, à S. Zacharia Papa *Homo Dei*, à Spiritu S. *Ignis*, & *Luna*, à Guerico Abb. *Moyſes*, à Ven. Petro Mauritio Abb Clun. *Notarius Charitatis*, à Petro Dam *Organum Spiritûs S.* à B. Alcuino *maximus Paſtor*, ab Oderiſio Abb. *Reſerator æternæ juſtitiæ*, à Stephano Tornacenſi *Stabularius fidelis Samaritani.* á Goffrido Vindocinen. Card. *Templum Spiritûs S.* & tandem iterum *Vas auri* Hæc & plura alia, quorum (ſi licet ominari) ad duo millia in Gloria S. Bened. to. 1. l. 4. ſuis cum citationibus afferam, elogia illuſtriſſimæ panegyri peramplam materiam ſuggerere poſſunt, dummodo te legibus Rhetorices fideliter aſtringas. *Euſebius.* Quæ ſunt hæ leges? *Eubulus.* Examina 1. quis ſit, qui tribuit unum ex præfatis elogiis, quantæ ſit auctoritatis, tum à doctrina cum probitate

repe-

repetitæ; quàm conforme ſit ejusmodi dictum S. Scripturæ, vitæ, & geſtis S. Patris. 2. Conſidera dein adjuncta (mirum quantùm in omni panegyri dominantur) illius rei, quæ in comparationem, laudemque aſſumitur. Exemplum ſit *Vas auri*, cujus encomium Spiritus S. ex Eccl. 50 10. S. Patri tribuit in officio Parvo mille jam, & amplius annis apud Caſſinates recitari ſolitô. *Euſebius.* Quæ autem ſunt adjuncta vaſis? *Eubulus.* Quàm ſit ſolidum, pulchrum, magnum, quàm pretioſum liquorem contineat, quàm diligenti curâ, & in quàm mundo loco aſſervetur? quàm multi ex ipſo depromant, quàm magno emolumentô; an poſſit evacuari &c. 3. hæc omnia ſervatis metaphoræ legibus in S. P. Benedictum deriva. Vas ille eſt *ſolidum*: nullis percuſſionibus Florentij, indololatriæ &c. potuit confringi. *Pulchrum* figulus fuit Deus ipſe, officina Nurſia. *Magnum*, continet aurum charitatis, qua nihil eſt majus. *Pretioſum* à magnis gratiis, quas aurum charitatis exigit: talem: gratiam dices ſoliditatem patientiæ, pondus humilitatis &c. Fulgorem Fortitudinis. Vas iſthoc

Deus

Deus poſuit in Sublacenſi ſolitudine, ne Romæ periculis rapacis mundi expoſitum ſpoliaretur ſuo aurô. Ex hoc vaſe depromunt varias opes omnia orthodoxa regna; jam à 1170. annis, & 117. diebus; tot enim, ſi diem mortis D. Patri collocamus ad an. 543. jam ad hunc, quo, hæc Idibus Julij in Feſto S. Henrici ſcribo, annum 1713. fluxerunt anni. Sanè ex hoc vaſe Germaniæ Bonifacius fidem &c. hauſit &c. Evacuari hoc vas nunquam poſſe probant recentia exempla, & ab omni retro ætate repetita. Tandem 4. hiſce orationibus Exordium inſigni cum eruditionis laude haurire ab hypotypoſi rei, ex qua metaphoram duxiſti, potes. e. g. Vis cum S. Odilone probare, S. Benedictum eſſe *ſolem*? deſcribe in Protaſi Exordii hunc ſpectabilem *ſolem*, in Apodoſi dic S. P. illuſtriorem ſolem, opta oculos aquilæ &c. Eadem ratio tenenda eſt, ſi cum Paulo V. dicis *Lumen* clariſſimum, aut cum S. Gregorio M. *Paulum*, & ſic de aliis.

400. everſionis Rhetoricæ. II. Meminiſti 3. Euſebi me dicere n. 303. omnia, quæcunque ſeu mente, ſeu lingua proferimus, eſſe ex ali-

quo

quo Loco Rhetorico, eoque, cùm unus ſit mutus, geminô; principali unô, alterô auxiliari. Videtur quidem nil Loci Rhetorici in hac propoſitione reperiri poſſe. *S. Amantius, qui in Eccleſia Weſſofontana colitur, eſt Martyr*; certum tamen eſt *S. Amantius* eſſe ex adjunctis perſonæ, *Martyr.* ex effectis fortitudinis Chriſtianæ. Licet autem aliàs uterque ſit fæcundiſſimus, hîc tamen, quantùm ambo ſua ſterilitate jaceant, quis non videt? Evertito ergo utrumque, atque alios, qui vitam ſpirent, ſubroga. *Euſebius.* Qui ſunt illi? *Eubulus.* Quos examine deprehenderis, & judicii regulâ. Ego deprehendo cauſam efficientem, velut Deum, virtutem fortitudinis, contemptum vitæ, fidem fortiſſimam, conſtantiam in tormentis, harum cauſarum efficientium adjuncta ſi attulero, mirum eſt, quantas S. Amantio laudes poſſim congerere, licet, quod dolemus, hiſtoria vitæ præter authenticum martyrii teſtimonium nobis ſit ignota. *Euſebius.* Quomodo afferam hæc adjuncta? *Eubulus.* Deſcribe quàm efficacibus argumentis amorem vitæ convulſerit a-

mor Chriſti, quam fortiter contempſerit tormenta &c. Potes hîc admiſcere varias eruditiones à pretiô vitæ repetitas, & eas animare per Erotemata, quàm chara nempe Amantio fuerit Chriſtus, fides, anima, utpote propter quam mortem ipſam non horruit, ſed amavit. Si porro has tres cauſas efficientes Deum, virtutes, & amorem vitæ, per omnes n. 236. recenſitas particulas circumduxeris, ampliſſimam laudibus S. Amantii, & tuo ingenio materiam parabis. Veluti ſi recenſeas quid Deus permiſerit tyranno, ſatellitibus &c. ut iſtam gloriosè coronaretur? quid ſuaſerit? quid captârit? quid creârit? Aut, quid e. g. Fides effecerit? & dic conſtantiam quid auſerit? & dic omnes virtutes; quid deſtruxerit? & dic metum moriendi &c. Hoc modô ventilatâ efficiente perges ad alium Locum e g. ad finem, qui cùm ex n 238. ſit totus circa bonum, & media ad id aſſequendum apta, producito quàm magnum ſit bonum fuſi ſanguinis teſtimoniô aſſerere Chriſti Sacra, lau-

reâ

reâ martyrii donari in cœlis, &c. Mediis dein manum appone; ac inter ea repone tot Martyrum exempla, robur divinæ gratiæ &c. Atque adeo productis mediis poteris te recipere ad Effecta (n. 241. elucidata habes) finîs; qualia ſunt, ſi deduxeris, quàm magnum ſit in cœlis jam S Amantii patrocinium Proba ſis id à beneficiis, prodigiis &c. Prætereo jam alios Locos, & hoc unum te monitum velim, hanc formandæ propoſitionis rationem ad quodvis genus, de quo n 195. perſonarum extendi poſſe, quin & debere, quoties panegyri nullam, aut modicam materiam ſuggerit vitæ hiſtoria e. g. Judas Thaddæus eſt Apoſtolus S. Rochus eſt Confeſſor S. Fauſta eſt Virgo. &c Ne autem hæ propoſitiones videantur auditoribus enerves; fulciendæ ſunt energico quodam epitheo, v. g. S. Thaddæus eſt Apoſtolus igneus. His lumen afferent quæ hîc n. 402. dicemus.

4. In Epidictico porro genere pulchra eſt propoſitio, qua cujus- *facinoris unici.*

dam perſonæ potiora, & illuſtriora geſta, ad unum facinus reducimus. *Euſebius.* Da Exemplum. *Eubulus. S. Benedictus ſcripſit Regulam Sanctam.* Aut *Vidit in vita eſſentiam divinam.* In hujusmodi Exordiis potes Protaſin auſpicari ab hoc, vel ſimili Præteritionis modò. „Laudent alii in D. Benedicto vitæ „rigores, mirentur alii fugam ſæ„culi in prima vitæ aurora cœp„tam. &c. Dein in apodoſi recipe te ad factum ſingulare hoc modô. „Mentem, & linguam meam ra„pit unicus ille Divi aſpectus, quo „Deum vidit. Propoſitionem adibis hoc ferme ritu. „Hujusce uni„us aſpectûs laudes utinam poſſem „ego vobis ob oculos ponere! &c. „Nixus tamen veſtrâ benevolentiâ, & „videntis patrociniô videbo viſionẽ. Sed ne in Confirmatione talium panegyrum hæreat aqua, ſtatuendum eſt illud ſingulare factum primò in cauſa finali, quàmprimum illud egregia Narratione per hypotypoſin, vel aliam graviorem figuram attuleris, exaggerandumque quàm mul-

ta

ta media , inſtrumenta , dotes &c. tum à Deo , cùm à natura , tum à ſtudio , cùm à virtute fuerint repetenda , & conferenda , ut aptaretur S. Benedictus e. g. ad videndum Deum. Atque huc accerſes naturam ex auguſtiſſima domo paterna, & ſæculo fugam , perpetuam in Sublacenſi ſpecu cum angelis converſationem , miram in ſenticetô de impuritate victoriam, &c. Tam per hypotypoſin illud ipſum tempus, quo Deum vidit, adduces , narrabis contemplantis ardorem ; divides , quæ vidit in Deo præterita , & futura , velut ſunt ordinis sui amplitudo , merita , ſanctimonia &c. Ex his educes debitos effectus : uti , quàm magnum ortum ſit in animo S. Patriarchæ gaudium , quàm intenſus Dei viſi amor , quàm frequens admiratio , quàm vehemens veniendi ad Deum per beatam mortem deſiderium , quæ lachrymæ,quæ verba , quæ ſuſpiria. Licebit dein vaticinari, aut quæritare , an auſura ſit ægritudo , vel mors aggredi eum virum , qui ſalutem , & vitam vidiſſet ?

Tum reſpondebis non auſuram, hinc fuiſſe accitam á ſtante Benedicto &c. Dehinc deſcribes beatiſſimam mortem, viam palliis ſtratam, concitabis plauſum, & in Peroratione te, & auditores S. Patri commendabis, ut omnes ad videndum Deum ducat poſt mortem, quem ipſe anticipato beatitudinis privilegio vidiſſet in vita. Denique ad id ipſum impetrandum promittes S. Patri oculos, ora, ſtudiáque tuo, & auditorum nomine ad ejus geſta legenda, laudes enarrandas, & quaſvis prærogativas propagandas. Ut tibi autem hic modus adornandis ad feſta Chriſti, Sancti cujusque Sermonibus admodum proficuus, etiam facilis evadat; debes hiſtoriam, aut illud factum ſingulare dividere in ſua membra velut argumenta (de quibus n. 273.) proxima, & quodvis ex legibus 435. n. 1. dandis, & aptis Locis, figuriſque efferre

hiſtoriæ ſingularis

5. Dictis ſimillima eſt illa laudandi forma, quâ totius laudis fabricam uni hiſtoriæ inædificamus. Hanc ſi per Protaſin protuleris in Exordio, totam

totam Apodoſin occupa in exaggeranda rei magnitudine. E. g. *Protaſis S. Bonifacius Germaniam convertit. Apodoſis* Quî fieri potuit? fuit illa ſedes non tantùm errorum, ſed etiam immanis crudelitatis; impatiens non ſolùm, quas Chriſtus, ſed etiam quas natura dat, legum Sed his inſuperhabitis aditum ut pares Propoſitioni, da cauſam confectæ converſionis per reſponſum ſale, & ingeniô non vacuum, uti eſt. *Quia S. Bonifacius licentiam vivendi in vincula conjecit* Hæ, ſimileſque propoſitiones poſſunt iisdem, quas jam de S. Benedicto dixi, legibus in Confirmatione roborari. Potiſſimam autem vim accipit Confirmatio ſimilium propoſitionum à cauſis efficientibus, & finalibus, cùm dicimus hunc vel illum Divum ſtatim ab incunabulis ad hoc facinus fuiſſe præparatum &c. In utroque tamen tam in facto, quàm hiſtoriâ ſeligendâ ad panegyrin curabis præcellentiam quandam, & inexſpectatum quid, quo capiatur Auditor.

6. Noſti Euſebi amoris ingenium: qui amat, laudat, nec ſatisfacit amori,

artefacti aut cermoniæ externa, in

ri, ſi ſolâ lingua laudet, etiam rebus ſuis linguam ineſſe cupit, ad concinandas laudes, artes (præcipuè nobiliores) evocat ad laudandum, à pictoria imagines, à Comicâ (ne multus ſim in recenſendis aliis ſcientiis, & artibus) ſcenas repetit, & comœdias. Quid quòd nec hiſce ſæpe ſtudiis ſatisfit laudibus amantium, ſed quidquid meditari poſſunt, ingenioſa lætitiâ, producunt: excitant plauſum, accendunt feſtivos ignes, ineunt prælium, exhibent pugnam, adornant triumphum. Nonnunquam æmulantur varios gentium mores, mittunt legationes, munera, epiſtolas &c. invitant ad convivia, colloquia, diſputationes &c. Et ut paucis complectar ſingula: quod amor, de quo n. 257. quod deſiderium, de quo n. 258. quod gaudium, de quo n. 259. ſolet invenire, aut externa quadam ceremoniâ exhibere, laudandi, placendique cupido in laudis materiam convertit. Non patitur in his laudum ſtudiis ſuas ſibi partes deeſſe magiſtra laudandi eloquentia, ſed quod artes aut penicillô pingunt

pingunt, aut quoquô inſtrumento effigiant, ipſa verborum artificiô graphicè imitatur: coloſſos non minus quam illæ, erigit, templa condit, aras conſecrat, coronas contexit, triumphos adornat &c. *Euſebius.* Sed quomodo? *Eubulus.* In Protaſi Exordij ferme ſemper deſcribit rem, de qua inſtituitur comparatio, v. g. triumphum: in Apodoſi longè illuſtriorem triumphũ pollicetur v. g. S.-Benedicto. In Confirmatione per primam proximam afferet cauſas triumphi, efficientem Deum, cœlum omne; finalem, tot à S. P. devictos hoſtes (quos enumerabis) per ſe & ſuos. Per ſecundam deſcribet S. Patrem in curru triumphali ſublimem ſymbolis, & emblematis exornatô. Tertiam proximam occupabit in adjunctis triumphi, recenſebitque, quid Cœlites, quid Angeli, quid tot filij, quid Eccleſia Benedicto acclamet. Peroratio felices dicet auditores, ſi hunc currum triumphalem potuerint per orbem circumducere &c. Atque eadem ratio tenenda eſt, ſi aut coronam contexas, aut imaginem pin-

gas S. Benedicto. Tabulas repete ex auguſtiſſima familia Anicianâ, pictorem dicito ipſum Deum, colores, virtutes; rubrum, ſanguinem fuſum in ſenticeto, candidum; caſtitatem; cæruleum, ſpem; aureum, Charitatem &c. Dic dein in ſupremo Eccleſiæ tholo ſuſpenſam, quanti fuerit habita hæc imago, cùm Romani Principes ad eam ſpectandam palatia ſua deſeruerunt. Tandem dic hanc imaginem an. 543. in Cœli palatia tranſlatam, ut Deo in æternum ob oculos verſaretur, quantùm hîc iſta imago fulgeat *inter* cherubim catervas, ut canit Eccleſia, deſcribe.

401. imaginis III. Porro 7. per formam, ſitum, & partes imaginis explica laudes, aut vituperia rei repræſentatæ e. g. laudes S. Pauli 1. ferro 2. ſtrictô 3. ſtantis explicando in 1. ejus martyrium, in 2. declara ab eo etiamnum ſtringi in improbos gladium verbi divini, in 3. ſtare eum probis paratum ad ferendam opem.

definitionis 8. Rei ſimpliciter definitæ affer cauſas, proprietates &c. e. g. *peccatum eſt averſio à Deô.* ſic ex hoc loco

miſeriam

miſeriam peccatoris graphicè deſcribes, ſi illum cum B. Petro Dam. noſtrô l. 7. ep. 3. definias *pabulum tartari*, ac antecedentia, conſequentia, cauſas &c. hujus pabuli eventiles. Adornando huic orationum generi in omni Demonſtratione inſignem opem conferunt vagi *Elogium & Probrum*.

9. Hujus loci eſt illa ratio, qua pro quavis proximâ adducitur alia definitio: tunc autem curabis, ut ſequens definitio antecedentem ſemper magis explicet. Si itaque dixiſſes in primâ proxima peccatorem cum S. Cæſario Ser. 7. *Adjutorem diaboli*, dices eum in ſecundâ cum B. Petro Dam. l. 2. ep. 18. *cubile diaboli*; ac tandem in tertiâ cum eodem terribilius aliquid, & *corpus diaboli* *repetita in proxima quavis*

10. Unum aliquem Locum, velut Etimologiam, Annotationem, Anagramma in proximas rei ſignificatæ convenientes diſſeca. Sic dices S. Protoparentem noſtrum nomine, & re Benedictum: 1. à præſtantia virtutum, 2. multitudine filiorum, 3. ſublimitate gloriæ. Ita Simon per anagramma *omnis*; S. Catharina *natis* *diviſione uniuc Loci*

chara

chara ex hac diviſionis ratione panegyri eximiam materiam præbet.

verſione ordinis

11. In diſpoſitione orationis inchoa ab imis, & procede ad ſuperiora, aut media, ſumma permiſcens imis nulla habitâ temporis ratione, manente tamen per quandam connexionem ordine rationis: velut ſi in panegyri prius cujusdam Divi mortem recenſeas, & ab hac tanquam ab effectu tranſeas ad ſanctitatem vitæ velut illius cauſam. Aut ſi Divi cujusdam e. g. charitatem declamaturus, prius adumbres ejus contemptum ſui, odium peccati, tum ipſam charitatem ceu effectum, & cauſam; tandem cognitionem, quam de Deo, diviniſque habuit. Ordo autem rationis repetendus eſt aut à ſymbolô, aut authoritate, alióve locô.

genere demonſtrativo

Atque hæc de Propoſitionibus generis demonſtrativi, in quibus formandis univerſim notandum genus perſonarum n. 194. deductum, & in deducendis cauſa efficiens n. 235. recenſita; curandum denique, ut in ſacram panegyrin potior cujusdam Divi vita, & geſta redigantur.

IV. In

IV. In genere deliberativo modus optimus efformandi Propoſitionem eſt 12. Subalternus, de quo p. 1. c. 3. n. 80. Si námque mecum percurris quendam Titulum e. g. *Obedientiam.* invenies ſimiles Subalternos. *Eſt* via ad cœlum. *Eſt* vera ſapientia. *Exhibetur* Superiori tanquam Deo. An non ſingulæ hæ propoſitiones egregiæ orationi fundamentum præbent? præcipuè ſi prædicatum dividas, veluti ſi viam hanc obedientiæ dicas rectam, regiam, tutam, SS. exemplis tritam? Si Sapientiam hanc dicas à Magiſtro Chriſto divinam, à fructibus excelſam, à detectis erroribusglorioſam? Ut vim ſuam exſerat tertia propoſitio, proba ſis totam obedientiæ naturam in eo exiſtere, ut exhibeatur Superiori vices divinas agenti. Contende dein quomodo id fieri poſſit, quàm ſit plenum ſolatio, meritis. Hæ propoſitiones magnum quoque robur in Confirmatione recipiunt ex materia Subalterni. Mihi primæ propoſitionis materia eſt illa B. Petri Dam. op 13 c 21. ſententia. „Obedientia *aurea ad cœlum via eſt.* Secundæ materia eſt illud Ex. 35. 10. Tertiæ

402 *deliberativo*

Subalterni

tiæ demum Ex. 32. 32 & 38 35. & 24. 3. Subſidiantur iſtarum propoſitonum Confirmationi plures Subalterni ſeu homogenii, ſive heterogenii ordine per ſingula folia diſcuſſi: multi aut argumentum, aut argumento rationem præbebunt, vel ad Locum quendam Rhetoricum deducent, ex quo dein ad copiam usque quaſvis probationes licebit expiſcari.

Paradoxi

33. Plus ingenii habet Propoſitio è paradoxô, ſeu illa, quæ á communi hominum opinione eſt valde remota. Velut ſi dicas ſuaſurus jejunium, *eſt optimum animæ ferculum*; aut mortificationem dicas, *citò mori, eſt diu vivere*; aut Silentium *eſt cæleſtis Eloquentia*, aut charitatem inimicorum. *Optima vindictæ ratio, injuriæ remiſſio.* Eadem tenenda via, cùm diſſuademus e. g avaritiam, dicamus. *Divitiæ vitiô partæ, ſunt maxima paupertas.* Similia ſunt. *Libertas vitæ maxima captivitas. Fama, quam virtus non parit, infamia eſt. Superbi cùm ſurgunt, cadunt. Euſebius.* Sed quomodo in paradoxis facili methodô tractem argumenta Confirmationis

tionis? *Eubulus*. Animum reflecte ad dicta de Definitione n. 177. Similitudine n. 199. & Effectis n. 241. Hoc eſt, dic e. g. aſſumpta Syllogiſmi, de quo n. 275. argumentatione in *propoſitione* res quibus anima nutriatur; & in *aſſumptione* hæc omnia tribue in aliquo effectu, ſimilitudine, aut comparatione jejunio. Tandem in *Complexione* per exclamationem, aut aliam figuram dicta recollige. Prodeſt etiam obire v. g *Silentii* ſubalternos in adjunctis conſtitutos, aut cauſa materiali, hoc eſt, ex cauſa materiali deprome, quænam ſint illa, quæ eloquitur ſine verbis? Sunt gravitas animi, cœleſtium conſideratio &c. Ex adjunctis deprome, quàm illuſtrem Angeli, Sancti, vicini quique concionem conſtituant, cùm Silentium perorat, dic Deum ipſum intereſſe huic concioni, moverique ad conferendas gratias &c. Plura alia, quæ dicenda forent, concedenda ſunt ingenio, & exercitationi tuæ

34. Altera formandæ propoſitionis ratio in genere demonſtrativo eſt problema, quo duorum commoda *Problematis*

moda

moda, vel damna magno argumentorum conflictu in medium producuntur. Vis e. g. horrorem peccati exaggerare; pone problema, *an pejus ſit peccatum infernô, an infernus peccato?* Aut ſuadere virtutem, dic: *an majus ſit virtutum, an exercituum robur?* Valet hæc ratio etiam in genere epidictico. e. g. *An Ordo S. Benedicti plus debeat virtutibus, vel artibus.* Ut autem hæ propoſitiones ritè tractentur, in eruendo quovis argumento curanda eſt quædam ſimilitudo pro utraque problematis parte. e. g. Virtutibus debemus tot Sanctos, ſcientiis tot Doctores: illæ ordinem ornârunt, hæ ſuffulſerunt. Sicque digladiantibus inter ſe orationibus adeunda eſt Peroratio, quam corrumpunt ii, qui velut arbitri pro alterutro problematis extremo patrocinium ſumunt. Longè namque melius Auditores dimittimus ſuſpenſos, ut utrumque vel fugiant, vel ament. Formæ hujus Suſpenſionis variæ ſunt ſingulæ tamen ferme hunc habitum ſumunt. „Cùm ergo neſcia-
„mus, pejúsne ſit infernus peccato, an
„peccatū infernô, utrūq; timebimus;
„illud

„illud tanquam matrem omnium ma-
„lorum, hunc tanquam prolem peſ-
„ſimæ matri ſimillimam; illud in exe-
„cratione, hunc in cogitatione cir-
„cumferemus. Multiplici plenæ ſunt
fructu hujusmodi orationes. Una
enim fidelia duos parietes dealba-
mus, ſimulque & inferni, & pec-
cati horrorem perſuademus; ſimul
virtutum, & ſcientiarum laudem ef-
ferimus, & quod aliàs forſan gemi-
no ſermone non confeciſſemus, unô
feliciter aſſequi valemus. Præpri-
mis autem problema ſuadeo, cùm
quaſi murus contrariorum affectuum
eſt perrumpendus. Certiſſimum eſt
utiliorem homini eſſe adverſitatem,
quàm proſperitatem. Sed id tibi aſ-
ſerenti quis credet, cùm illam om-
nes fugiant, hanc inſectentur om-
nes, niſi arte, & marte utaris ad de-
jiciendam hanc opinionem? Utéris
feliciter, ſi ſic ponas problema, *an
melior nobis ſit adverſitas, an proſpe-
ritas*? Nam cùm affectu deſcendis
ſuſtinendo ſententiam pro proſperi-
tate, animis fortiùs inſeres ſenten-
tiam pro adverſitate. Patebit id ex
Effectis, Conſequentibus, teſtimo-

nio virorum magnorum &c. In Peroratione dein emaſculatis animis ſuam proſperitatem adjudica, & ut eâdem bene utantur, precare; fortibus autem, & ad magna natis viris gratulare animi infracti robur, virtutem divinæ gratiæ &c. qua ritè utentes poterunt omnium adverſitatum turbinem cum Paulo provocare.

Tranſitûs de genere ad genus

15. Sæpius remiſſus mi Euſebi denuo remittendus es ad genus n. 194. cujus triplicem rationem perſonarum, habituum, & rerum ſtatuimus. Tale genus eſt virtus, peccatum, Rex, Papa; ſtatus, religio &c. Quoties igitur tranſitum facis de genere ad genus, novam Propoſitionem efformas. *Euſebius.* Quomodo hic tranſitus faciendus? *Eubulus.* Genus, quod uni rei, aut perſonæ convenit verè, alteri tribue per Ironiam. e.g. Cœtui fidelium convenit nomen, & laus *Eccleſiæ.* Id jam nomen tribue v. g. hæreſi Lutheranæ, & dic *Eccleſia Lutheri.* Huic Eccleſiæ aſſigna ſuam Romam, Papam, Cardinales, concilia, præcepta, & næ reperies graviſſimam materiam confutandi quamvis hæreſin, & hære-

ticos

ticos ad ſanam fidem reducendi. Lumine enim veritatis juxta poſitô mirificè detegitur falſitas. Eodem modo ſi gloriam, quæ convenit virtuti, traducas ad ſuperbiam, ſuperbos egregiè licebit exagitare; aut avaros, ſi patientiam, quæ propria eſt probitati, transferas in avaritiam, dicasque quàm patiens ſit famis, quanto ſuæ perſonæ, propriique commodi contemptu excellat &c. Ad inveniendas, & deducendas hujusmodi Propoſitionum proximas, animô identidem recurrendum eſt ad Locos communes; quænam ſcilicet ſint horum generum effecta, conſequentia, hoc eſt, quænam ſint e. g. avaritiæ adeo patienti merita, præmia, quis præmiator? Quis finis? quæ media finîs &c. Cavendum porro, extra Ironiæ, de qua n. 310. & n. 365. ſemitam ne unquam ſaltites, ſed ejusdem filum à capite ad calcem orationis deducas.

16. Reflecte te ad naturam rei, artem, & S. Scripturam. e. g. *Deus odit peccatorem:* ex naturâ, quia hoſtis; ex arte, quia pingitur ut terribile monſtrum; ex Scriptura S. quia *odio* *reflexione ad naturam, artem, & Scripturam.*

eſt Deo impius, & impietas ejus Sap. 14. 9.

amplificatione thesis quoad verba ſingula

17. Deprome ex S. Scripturâ gravem ſententiam, ejusque ſingula verba expendens, ex ſuo, in quô illa ſunt, Loco amplifica.

uſûs

18. Reflecte mentem ad uſum cujusdam rei e. g. rhomphææ, cujus uſus eſt in diſſecando, necando &c. atque adeo dices peccatum rhomphæam, omnem ejusdem uſum transferendô ad effectus peccati. Modum hunc firmabit Eccl. 21. 4. Pari modô, cùm uſus gladii ſit; ad ornatum, 2. ad neceſſariam defenſionem, 3. ad necem malis, ad tutelam bonis, ducente S. Scripturâ ad Epheſ. 6. 17. ad Verbum Dei, ubi gladius Spiritûs dicitur, uſum gladii transferes, dicesque. *Verbum Dei eſt gladius*; quia ornat veſtes (virtutes) animæ: 2. quia tuetur nos adversùs hoſtes, dæmonum aſſultus &c.

ſignorum.

19. Requiſita, ſigna, proprietates rei phyſicæ, & naturalîs transfer ad moralem. e. g. ex requiſitis, ſignis, vel proprietatibus paſtoris proba ſis, qualis debeat eſſe rector communitatis: & econtra ex requiſitis ovis, qualis

qualis ſit ſubditus. Adeatur Vagus *Signum*.

20. Incede 1. per theſin, 2. per hypotheſin, 3. per exempla, aut Adjuncta. Proba ſis ergo ex 1. quàm neceſſaria ſit e. g. patientia; in 2. potiſſimùm Sacerdotibus, ruſticellis; in 3. quàm habeant mira, multaque hujus rei exempla; aut quomodo ipſis ſit exercenda patientia. *Theſis, & hypotheſis.*

21. Amplior materia præbetur, ſi theſin pro loci, temporis, perſonarúmque ratione in varias hypotheſes ſeces: dicturus e. g. per Quadrageſimam de Juſtitiâ Dei; dic in primô ſermone quàm ſit ſevera generatim in omnes peccatores; in ſecundô, quàm ſit irata luxurioſis, in tertiô; quàm ſit infeſta ſuperbis &c. Dividantur hîc prædicatum, & ſubjectum. *varia*

22. In prima proxima explica ſis, quid res ſit; ut e. g. fides: in altera, ejus proprietates, effecta, conſequentia &c: in tertia exercitium fidei, exercitii modum, fructus &c. *Locorum definitionis effectorum, & adjunctorum.*

23. Proba theſin ex cauſis 1. efficiente, 2. finali. 3. formali, 4. exemplis, & 5. adjunctis. Exemplum eſto præceptum quartum Decalogi: & *cauſarum: efficientis finalis formalis exemplorũ, & adjunctorum*

 oſtende

oſtende ex 1. quale ſit à Deo conditore, quàm præſtans, neceſſarium &c. ex 2. per conglobationem cauſarum finalium, ob quas condidit, demonſtra, e. g. utilitatem; in 3. in quonam eſſentialiter conſiſtat; in 4. exemplis ad ejusdem obſervantiam hortare. Tum ex adjunctis 5. eandem doce: e. g. quomodo loqui debeant liberi parentibus &c. Hic modus eſt facillimus, & utiliſſimus, ſi præcepta, leges, imperia tractanda ſunt. Sic ex illo Eccl. 7. 40. *in omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis,* haud infeliciter dices ad inſtaurandos mores.

cōmunium per 24. Poſitæ theſis da varias cauſas, & unâ poſt alteram revictâ gradatim aſcende, ut inſolens quiddam, & inexpectatum pronunciare poſſis. Exemplum ſit illud Eccl. 21. 2. *Fuge peccatum.* Oſtende e. g. in prima proximâ fugiendum peccatum eſſe, quia graviſſimis pœnis in hac, & altera vita ſubiicit: in ſecundâ, quia ſpoliat magnis bonis; & ſic deinceps per ſuſtentationem oſtende tibi de hac re longè majora dicenda. Tandem

dem per Apoſtrophen, vel Interrogationem pronunciabis fugiendum eſſe, quia e. g. *eſt Deicidium.*

25. Multis negatis unum certum affirma. Sit exemplum. Omnes cupiunt illud fauſtiſſimum Matt. 25. 34 audire: *venite.* Cupiunt avari, ſed non audient (hîc ſubde rationem) cupiunt ſuperbi, ſed non audient; quia &c. Tandem infer. *Audient ſoli Benedicti Patris filii.* In Epilogô hortaberis, ut omnes ſtudeant eſſe filii. *affirmationem*

26. Huic ſimilis eſt, ſi multis affirmatis unum neges, ut ſi ſtultum illud agendi conſilium Sap. 2. 6. *Fruamur bonis, quæ ſunt, & utamur creaturâ tanquam in juventute celeriter*: permittas turcis, paganis &c. per Ethopœjam; neges autem id ſine graviſſimo ſcandalô, ſacrilegiô &c. permitti poſſe Chriſtianis. Hujus adde gravem cauſam e. g. Quia paupertate, ignominia crudeliſſima morte affectum Chriſtum, ceu unicum ad patriam Ducem ſequi obſtricti ſunt. Sicque ſortieris ampliſſimum campum invehendi in luxum, in gulam, in voluptates &c. *negationem*

 27. Huic

refutationem 27. Huic ferme par inventione, uſu tamen longè vehementior propoſitio eſt, ſi in Protaſi Exordii proponis verum thematis ſenſum, in Apodoſi autem fingis tot ſenſus hominum contrarios, quot cupis efformare proximas, & tum profitere, oſtenſurum te, quàm graviter hi omnes decipiantur. e. g. *Regnum cœlorum vim patitur Matth.* 11. 12. Contende in Protaſi, quàm hoc dogma ab exemplis, auctoritate dicentis &c. verum ſit; tum in Apodoſi finge contradici à tepidis, ab avaris, à luxurioſis; demum in Contentione ſingulorum ſenſa graviter refelle.

Adjunctorum 28. Theſin quibusdam adjunctis illiga e. g. *Omnes debemus B. V. Mariam colere* 1. Ex *quis*, quia ſumus ejus ſervi obſtrictiſſimi, & ipſa omni cultu eſt digniſſima: 2. ex *quid*, in quo conſiſtat ejusdem cultûs vera ratio; 3. ex *quomodo*, quibus modis ſit colenda.

unius 29. Idem eſt, ſi unum tantùm ſerves Adjunctum, ídque dividas in ſuas proximas. e. g. in theſi poſita *quomodo* eſt B. V. colenda. 1. intellectu per magnam æſtimationem à divina Mater-

Maternitate &c. illa paranda eſt Lectione, oratione: 2. voluntate, amandô, gratulandô prærogativas &c. 3. opere externo de ipſa loquendô, ipſam laudandô, &c.

30. Licet autem Adjuncta ſint præ cæteris locis fæcundiora: non tamen hæc ſolùm, ſed etiam illorum ſinguli aptam theſin parant. e. g. *Myſterium immac. conceptionis probatur ex effectis.* Quia eodem omnes fideles mirificè capiuntur. 1. ſtimulantur ad inſignia opera non docti minus ac indocti. 3. Summi Pontifices perſuaſi ſunt ad inſtituenda Sodalitia, feſtum &c. *Loci cujusvi*

31. Conſidera rem ſecundùm varios ſtatus, quos invita ſubire cogitur. Dicturus ergo de gravitate pecccati, contende 1. quid de ea ſentiat homo in vitâ; in 2. quid de ea experiri cogatur in morte; in 3. quid de ea perferre cogatur poſt mortem. In primo invenies, quàm parum credatur peccati gravitas, vitetur, conſideretur: in ſecundô anguſtias mortis, malæ conſcientiæ torturam, alióſque peccati effectus: in tertiô horrores judicij, purgatorij, inferni. *ſtatûs varij*

 32. Non

conſiderationis varia.

32. Non minus pulchra eſt theſis, ſi conſideres qualis ſit rei ſubjectæ e. g. peccati, virtutis &c. 1. apud Deum, 2. apud probum quempiam. 3. apud improbum exiſtimatio In ſimili theſi magnopere creſcit oratio, aperitur via obteſtationi, aliiſque vehementioribus figuris.

motûs

33. In motibus, deſideriis &c. examina 1. terminum *à quô*, 2. terminū *ad quem*, & 3. media, quibus tenditur. Explicaturus e. g. fructus pœnitentiæ ex illo filij prodigi Luc. 15. 18. ***Ibo ad patrem meum***; declara in 1. miſerrimum peccatoris ſtatum accitis in opem Adjunctis, Oppoſitis, Effectis &c. in alterô admirandam Dei peccatorem ſuſcipientis miſericordiam, jus cœli, gratiam &c. in 3. vim, & efficaciam confeſſionis, doloris &c. Eodem modo egregiè præſtantes charitatis fructus proferes ex illo pſ. 83. 1. ***concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini***, ſi in 1. dicas, quàm vilia ſint ea, quibus hactenus anima noſtra adhæſit: in 2. quàm multa bona inveniantur in Deo, ac quàm bonus ipſe Deus ſit; in 3. odium ſui, mor-

mortificationem, aliáque amantium media, quæ Vagus *Induſtria* ſuggeret.

34. Sentantiam Euſebi gravem ex S. Scripturâ deprome, ac quodvis ejus verbum in ſuo Loco eventila, & divide. e. g. Matt. 14. 27. dicitur *Qui* 1. *non bajulat* 2. *crucem* 3. *ſuam*, *&* 4. *venit* 5. *poſt* 6. *me* : *non* 7. *poteſt* 8. *meus eſſe diſcipulus*. 9. In primo proba neceſſitatem patientiæ ex adjunctis perſonarum, & dicentis authoritate: in 2. quàm meritò, & quanto noſtro ſolatiô materia patientiæ, ſeu quævis adverſitas dicatur Crux in 3. neminem eſſe ſine cruce, eaque varia: in 4. per cruces veniri ad Jeſum; exaggera hîc honeſtatem, gloriam &c. patientiæ: in 5. quanta Jeſus ſequacibus ſuis præmiſerit patientiæ exempla: in 6. quis ſit ille, quem ſequimur: in 7. quàm vana ſint omnia ſine patientiâ: in 8. quàm horrendum ſit, non eſſe Chriſti: in 9. in quo conſiſtat eſſe diſcipulum Chriſti.

vocum ſingularum

35. Ex hoc modô prodit illa illuſtris formandi Continuationes (ut vocant) in una materia per integram Quadra-

403. Continuationum

dragesimam, Adventum, aliúdve tempus ratio. Sicque eventilatis singulis e. g. in Oratione Dominica voculis facilem de eadem hauries dicendi materiam in integrum annum.

vocum omnium simul.

36. Sententiam à speciali emphasi celebrem non divisim ac unam voculam post alteram tracta, sed integram ad quamlibet proximam trahe. Exemplum sit S. P. Benedicti apophthegma. *In omnibus glorificetur Deus.* Dic in 1. proxima, quàm hoc sit æquum; in 2. quàm pulchrum; in 3. quàm dignum omni christiano.

partium communium orationis

37. Thesin utiliter coges ad partes communes Orationis, velut 1. ad Exordium, 2. Propositionem, 3. Narrationem, 4. Confirmationem, 5. Confutationem, & 6. Perorationem. Exemplum dabit hæc thesis. *Debemus omnes esse addicti memoriæ Dominicæ Passionis.* Exordium duces à varia christiani hominis obligatione, dicésque eminere hanc memoriam. Tum facta propositione Passionem Christi breviter, energicè tamen enarrabis; ac ex hac Narratione de-

pro-

promes argumenta, quibus illam perſuadeas: tandem refutatis iis, qui laborem, oblivionem, difficultatem objiciunt, conclude theſin.

38. Hunc modum vehementer confirmat is, qui in ipſa refutatione directè, vel indirectè modos, e. g. hujus memoriæ oſtendit. Uti: „Tu „labores tuos cauſaris: ſed hi ipſi re „fricent tibi memoriam laborum „Chriſti: ab his labori tuo cuivis (ſi „modò velis) veniet meritum, pretium &c. Aut dic per negationes. „Sine his labori tuo nullum eſt me„ritum, pretium nullum. Hæc ratio magnopere juvat memoriam Oratoris.

partium orationis

39. Aptis Locis ſententiam ex S. Scripturâ depromptam explica juxta varios Eccleſiæ ſenſus, in decantatis his verſibus comprehenſos.

ſenſuum Sacrorum

Littera ſcripta docet: quid credas, Allegoria:
Moralis, quid agas: quò tendas Anagogia.

Exemplum ſit. *Plantavit Dominus Deus paradiſum voluptatis à principiô.* Gen. 2. 8. *Litteraliter* paradi-

ſus

ſus eſt locus omni voluptate, amœnitate &c. plenus. Deſcribatur. *Allegoricè*, eſt anima juſti Sed *Moraliter* debet eam juſtus cuſtodire, operari, virtutibus excolere; & tunc *Anagogicè*, transferetur anima in meliorem paradiſum, in cœlum.

Figurarum

Uti autem Loci, ita etiam figuræ Rhetoricæ efformandis propoſitionibus opem conferunt, qualis eſt, ſi

Antiphraſis

40. conjungas per Antiphraſin, aut Paronomaſiam duo ſubſtantiva quoad ſonum ferme eadem, quoad ſignificationem tamen penitus diverſa, qualis eſt illa Petri Cellen. ad Religioſos l. 8. ep. 1. *Jam tenetis portum, & ſedetis ad portam ſanctæ civitatis*; aut ſi

Paronomaſia

41. Contraria ex iisdem figuris explices. Exemplum ſit hocce vernaculum.

(Heyl
Dem (Bußfertigen) (Unbußfertigen) gereichet die Sünd zum ewigen
(Greul

Jam para ſis cuique ſubſtantivo ſuas proximas, & ſingulas emphatica hujus rhythmi repetitione claude. Diſpoſitio eſt talis. Dic in Protaſi, quàm horrendum ſit peccatum: in

in Apodoſi. Sed gaudete peccatores! in veſtra eſt poteſtate, **ob euch die Sünd zum Heyl oder Greul gereichen werde.** In Contentione primam Proximam ſic inſtitues. Erit peccati enormitas ad ſalutem, ſi eandem cognoſcitis; ad damnationem, ſi negligitis. Secundam ſic. Plurimi (eos adduces per Inductionem) è lapſu ſurrexére fortiores: plurimi ſemel lapſi periére in lapſu. Et ſic deinceps. Pari ratione in primo exemplo per ſingulas Proximas contendes à Religioſis ***aut portum*, *aut*** portam ſalutis teneri.

42. Suade, diſſuade, accuſa, excuſa, conſolare &c. Auditores quaſi cum aliis agendo. e. g. Hodie mihi negotium eſt cum mercatoribus. Hos docebo artem ſacræ mercaturæ ingenti cum lucrô exercere. Sicque loquens cum Auditoribus velut cum mercatoribus docebis vel rectam Intentionem, vel preces, ut vocant, jaculatorias &c. *Communicationis indirecta sub*

43. Idem ferme eſt, ſi convenias unum aliquem non uti Concionator, ſed ut amicus, ſocius, frater, pater, dux, medicus &c. *perſonis variis*

44. Aut

Dialogi cum bonis

44. Aut ſi loquaris cum perſonis in theſi expreſſis; velut ſi ſuaſurus perſeverantiam in bonis operibus, colloquaris cum quinque prudentibus virginibus, easque interroges præſidia, quibus ipſæ ad tam illuſtris nominis decus evaſerunt.

malis, ſub

45. Velut econtra ſi inveharis in ſalutis ſuæ oblitos, & fatuas virgines alloquaris, ſinásque tibi ab ipſis dici ſuæ cauſas ruinæ.

nominibus variis

46. In idem prope redit, ſi dicturus de ſignis prædeſtinationis profiteare, te producturum electorum nomina, ſigna, opera.

Eſt hic indirectus ſuadendi modus valde efficax, præſertim ſi

re victione

47. inſtituatur per revictionem; ut ſi ſuſcipias in te patrocinium ſervi conſervum ſuum Matt. 18. ſuffocantis. Ubi ſi varia adduxeris argumenta tuendo ſervum, profitebere ſemper, nullum apud Deum valere. Atque ſic velut aliud agendo neceſſitatem fraternæ charitatis graviter exaggerabis.

Ethopæja

48. Inducito tui loco 1. per Ethopœjam quendam abſentem; aut 2. per

per Idolopœjam defunctum. Cœlitum quempiam, Angelum; aut 3. per Proſopopœjam vitium, virtutem, patriam loquentes. Exemplo primô hortabitur graviter amicus amicum ad concordiam; ſecundô anima purgatorij graphicè depingendo purgantium flammas compellet ad miſericordiam erga defunctos; tertiô Religio Benedictina excitabit ad cultum Regulæ S. Bened.

49. Quaſi dubius inquirito rei cujusdam cauſas aut 1. à præſentibus aut 2. à certo ſtatu; aut 3. à Cœlitibus, Angelis &c. aut 4. à S. Scripturâ; aut 5. à SS. Patribus, & ſic quærendö profer argumenta theſis tuæ. Exemplum ſit illud 1. Cor. 15. 55. ***Ubi eſt mors victoria tua?*** An inter milites, qui &c. Nequaquam: nam & iſti ſalvari poſſunt. Proba id ab Inductione Et ſic eundo per ſingulos ſtatus poteris energicè concitare ſpem ſalutis, declarare fructus Dominicæ Paſſionis &c. *Interrogationis*

50. Idem eſt, ſi reſponſionem in hunc modum vertas e g illius apud Jo. 5. 7. paralytici: ***Domine hominem*** *Reſponſionis*

non habeo, ac inquiras ſumens hujus perſonam in omni ſtatu opem (aut quod idem, quaſi hujus paralytici advocatus) ab opulentis, à dynaſtis &c. dicas autem te, & illum ubique pati repulſam. Atque ſic oſtendes, quàm rara ſit vera inter homines miſericordia.

Suſtentationis 51. Polliceberis in Exordiô grande quodpiam bonum e. g potestatem, & facultatem omnia à Deiparente impetrandi; aut 2. convivium divinum ex illô Jo. 6. 56. *caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*; aut 3. ex illo Matth. 22. 4 nuptias cœleſtes: *venite ad nuptias*; aut 4. regnum, cœleſtem beatitudinem ex Matt. 25. 34. *Venite Benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum.* Ac tum in Contentione per Suſtentationem adfer varia impedimenta, argumenta &c. cur in 1. tam pauci impetrent? in 2. tam pauci reficiantur &c. Sicque amotis obſtaculis facilem expugnabis audientium animos.

Tabularum 52. Sententiam Euſebi deprome ex Evangeliô diei, tum eandem aliâ ex

ex Prophetis, veterique teſtamentô depromtâ illuſtrabis, dicéſque theſin tuam jam in veteri lege fulcitam. Sic in feſto S. Magdalenæ illa Luc. 7. 48 *dimittuntur tibi peccata tua*, ad declarandos pœnitentiæ fructus advocatô in ſubſidium Iſaiâ 35. 7. graviter non minus, ac utiliter elevabis. Nam Iſaias citato locô fusè recenſet veræ pœnitentiæ effectus, & explicitè, quos S. Lucas in ſuo *dimittuntur* &c. ſolùm implicitè attulit.

V. *Euſebius.* Datúrne ratio Eubule inveniendi propoſitiones ad Deliberationem, & Demonſtrationem aptas? *Eubulus.* Enimverò: aliquas adduco. 404. *genere Demonſtrativo Deliberativo ſimul*

53. Adorna problema ex duabus ſententiis in ſpeciem contrariis, ut illud Sap 14. *Odiô eſt Deo impius, & impietas ejus:* & illud Jo. 13. 1. *in finem dilexit eos.* *Problematis ex ſententiis duabus*

54. Similis ratio eſt, ſi ex una ſententia eruas problema, velut ex illo Jo. 1. *Verbum caro factum eſt.* An nempe caro, & Incarnatio Chriſti plus amoris, an timoris in nobis excitet? *unâ*

rebus moralibus

55. Sic in rebus gemino modo formatur problema: primò ex duabus moralibus, uti: an plus in Eccleſia Dei detrimenti afferat luxus, an faſtus? plus noceat otium, an vana occupatio?

mixtis

56. Secundò, ſi rem phyſicam morali jungas. An plures bellô, an gulâ cadant?

allegoricis

57. Ex his naſcitur tertia ratio, qua problema repetitur à Metaphora, Allegoria, Eruditione &c. e. g. An reſpublica plus debeat armatæ, an togatæ Palladi.

Hiſtoria Symbolis Emblematis, &c

58. Primam orationis Proximam auſpicare ab Apologo, Symbolo, Emblemate Hiſtoria &c. Et tunc per omnes partes oſtende rem propoſitam planè ſe ſic habere, uti in hiſtoriâ e. g. præfatus es. Sic ex Hiſtoria S. Benedicti Deum in terris clarè videntis oſtendes, quàm meritò dicatur Pater illuminatus, vir illuminans.

fictione perſonarum

59. Producantur Morales entitates, ſcientiæ, artes, virtutes, quæque, & vitia ceu perſonæ, monſtra, feræ, diaboli &c. ac ſub his metaphoris earum damna, commoda, fugam, aut ſtudi-

ſtudium adducito, ſuade, aut diſſuade. Proderit hîc noſſe harum rerum allegorias Sacras ex S. Scriptura; ſerviet vagus *Elogium*, & *Probrum*.

60. Diſpone totam Sermonis ichnographiam in Quinquepartitam Ratiocinationem, ſeu in Syllogiſmum, ac quamlibet ejus propoſitionem ſuis argumentis proba. Sic dicturus ad Religioſos de S. Regulæ cultu, theſin in hanc formam redige. 1. Æger medici conſiliis, & medicinis uti debet. 2. Etiam Religioſi ſunt ægri, medicus S. Benedictus. 3. Debemus ergo uti ejus conſiliis, regulis, ceu medicinis. Nota tamen Aſſumptionem poſſe propoſitioni præponi, & complexionem utrique, aut econtra; item poſſe propoſitionem omitti, ita ut ſolùm probes Aſſumptionem, & in dato exemplô eſſe S. Benedictum Medicum. Sed tunc ferme quæſtio non amplius eſt facti, ſed cognitionis, ac proin migrat è Deliberatione ad Demonſtrationem, erúntque argumenta ex hac depromenda, veniétque amplificanda hujus Medici experientia, vigilantia &c. Par huic *Ratiocinationis*

 modo

modo eſt, ſi crinomenon conſtituas in antecedenti Enthymematis. Adi 400. n. 2.

traductionis litteralis

61. Quæ S. Scriptura ſub aliqua Metaphorâ, Parabolâ &c. proponit, in ſenſum proprium traducito, ſicque traducta effer è ſuis Locis. Hoc modò fidelium, qui Matt. 25. ſub parabolâ ſervorum exhibentur, officia, & proprietates ex Partitione, cauſâ finali &c. egregiè demonſtrabis.

lectionis variæ

62. Affer ejusdem ſententiæ diverſas Lectiones. Exemplum ſit illud Deiparentis Prov. 8. 18. *Mecum ſunt divitiæ, & gloria &c.* Atque ex his ejusdem gratiæ, & naturæ dotes deprædicabis. Sed cùm Symmachus *to Mecum* vertat *à me*, Deiparæ in humanum genus liberalitatem extolles per Partitionem. Aperitur ex his amplus dicendi campus, præcipuè, ſi tres, aut quatuor varias Lectiones eventiles, velut ſi illud Sap. 4. *conſummatus in brevi, explevit tempora multa*, applices S. Placido Protomartyri. Legunt aliqui pro *conſummatus* 1. *conſecratus*, 2. alij *immolatus*. 3. alij *coronatus*. Dic ergo 1. eum Deo *conſecratum* admiranda vitæ innocentiâ quam

quam illibatam ſecum ſeptennis in monaſterium attulit: 2. *conſummatum* in omni virtutum exercitiô: 3. *immolatum* crudeli martyriô. 4. *coronatum* in cœlo Martyrum Laureâ.

63. His affinis eſt frequens in Sacra Scriptura Antilogia. Elevat theſin, ſi, quæ contraria videntur, conſpirare dicas. *Antilogia*

64. Ut unam theſin graviter explices, prius ejus oppoſitum integro ſermone producito ſtrata tamen in Epilogo, aut ultimis argumentis viâ. En obſcuris de præclara re dictis lucem affundo. Exaggeraturus horrororem peccati prius integro ſermone virtutem; ejúsque ineffabilia bona producito. In fine ſimula metum eundémque concita in Auditoribus, ne tanta bona prodigant, iísve ſpolientur, profitere metum tuum naſci ex vicino hoſte, quem velis ſequenti Dominica ad communem cautelam prodere. Tum promiſſa die conſcendes roſtrum, ac, ut te pollicitis liberes, probabis hunc hôſtem eſſe lethalem noxam, ejúsque in re virtutis,& ſalutis ſtrages, & damna exaggerabis. Sic depicturo inferni horrores dictâ ratione præmittendum erit cœlum. 405. *Oppoſitionis theſium*

 Pari

Pari modô demonſtraturus quàm multa mala immigrent cum lethali noxâ in peccatricem animam; prius doce, quàm multa bona, uti Deus, gratia, omnes virtutes infuſæ &c. emigrent. Hac ratione in omni materiâ duas veritates mutuis ſubſidiis unâ velut operâ graviter exhibebis.

conjunctionis theſium

65. Econtra verò veritates penitus diſparatas per aliquem ordinem rationis in unam theſin, & Orationem conjunge. Sit exemplum ſancita nuper Cæſarem inter, & Galliæ Regem pax, quam in feſto Virginis Præſentatæ ſic produxi. Proxima 1. Hæc pax eſt beneficium Marianum. 2. Quæritur proin, qua gratitudine tantum beneficium nos proſequi deceat. 3. Decernitur innocentia vitæ: Epilogus ad eandem magnopere hortatur.

materia

66. Aliud per totam ferme contentionem dicito, & aliud in fine, & Epilogô conclude. Sit tamen utrumque in cauſâ quadam, effectu, aut ſaltem in ordine rationis connexum. Sic dicturus de gravitate peccati mortalis, per multam Contentionis partem

tem exaggera horrores infernales. Tũ verte ſermonem, ac dicito tibi infernali fumô oculos, ac linguam intercipi, mentem tuam totam abripi ad conſiderandam peccati mortalîs, quô ad tantum malum pervenitur, gravitatem. Tandem in Epilogo Demonſtrativo profiteberis neutrum malum poſſe ſufficienter deſcribi: in Deliberativô autem hortare ad fugam ntriusque.

forma in

67. In uno ſermone bifariam diviſô primam partem da Demonſtrationi, alteram Deliberationi. In prima e. g. lauda ſis hominem à donis naturæ, opibus, forma, ſcientiâ &c. gratiæ, ut virtutibus, jure cœli. &c. In ſecunda parte eum à peccatis, quibus hæc omnia perdit, efficaciter avoca.

Deliberatione Demonſtratione

68. Aut econtra per viam Deliberationis doce in prima parte ſtudium alicujus virtutis; in ſecunda per viam Demonſtrationis oſtende, & proſer aptis figuris laudes eorum hominum, qui in ea virtute eminuerunt. Pulcher eſt Epilogus è legibus Demonſtrationis, uti ſi his hominibus

ſuam virtutem gratuleris: nervoſus repetitur ex præceptis Deliberationis, ut ſi auditori oſtendas viam, qua illos expeditè ſequatur.

406 capitum certorum

69. Quamlibet proximam propoſitæ theſis in ſex capita conſtringe: 1. proba eandem quadam ratione principali, 2. hanc aliâ ratione confirma, 3. hanc iterum ſtabilies Cauſis, Adjunctis, Effectis ſimilibus &c. 4. Eadem magis ob oculos pones Locis extrinſecis, uti exemplis, teſtimoniis eruditionibus ex S. Scriptura repetitis præſertim per Inductionem; 5. dicta exornabis, & exaggerabis Exclamatione, Interrogatione, Apoſtrophe &c. Comparatione majorum, & minorum; demum 6. inferes propoſitam theſin vel apertè, vel occultè. Eodem modô tranſibis ad ſecundam Proximam. Eſt hæc ratio ampla, firmandæ memoriæ apta, &, ut in exemplô patebit, facilis.

Partitionis variæ

70. Neſcio Euſebi, quid tyroni expeditiùs pro efformanda theſi adduci poſſit, ac Enumeratio partium e. g. 1. generum in ſuas ſpecies: 2. Specierum in ſua individua: 3. individuorum

rum in potentias, ſenſus, accidentia; 4. accidentium in ſua ſubjecta; 5. actuum in objecta; 6. operum in fines, eventa, effecta; 7. locorum in ſuas dimenſiones; 8. effectuum in ſuas cauſas; 9. cauſarum in ſua effecta. Sic, ſi cum Hugone Capeto Rege Galliarum S. Benedictum dicas *Aſylon ſecuritatis*, aut cum S. Odilone *Sidus*; aut cum B. Petro Dam. Organum *Spiritus Sancti*; facili opera ingentem cumulum argumentorum coacervare licebit. Flagrat tamen hæc ratio potiſſimùm in Deliberatione. Exemplum ſit. *Servanda eſt caſtitas.* Ex 1. quia virtus, & quidem talis &c. ex 2. quia Angelis ſimiles fecit Benedictos, Caſimiros; ex 3. quia emendat omnes potentias, intellectum, voluntatem &c. omnes ſenſus, oculos &c. ex 4. commendat hominis doctrinam, nobilitatem, talenta naturæ, & gratiæ; ex 5. actus caſtitatis ex objecto ſuô ſunt præſtantiſſimi; ex 6. caſti ediderunt nobiliſſima opera; ex 7. vis caſtra caſtitatis? ſunt fortiſſima contra quosvis hoſtes; vis domicilia? ſunt

ſunt ampliſſima? Regios principes, Henricos capiunt; ex 8. animos, & corpora ſervant à corruptione: interna mentem, externa corpus Deo in thronum præparat.

Huc ſpectat, ſi negatis partibus negamus totum; aut iisdem affirmatis, affirmamus totum. Exemplum primi eſt illud *non eſt pax impiis.* Iſ. 57. 21. Secundi illud pſ. 83. 5. *Beati, qui habitant in domo tua* (h. e. in diſciplinato monaſteriô) *Domine.* In primô divide *eſt*, & *impiis*; nam non eſt his pax, ſeu ſint *ſuperbi, ſeu luxurioſi* &c. & quidem nec in ſpe, nec in re; nec in tempore, nec æternitate. In ſecundo affer varia genera beatitudinis, perſonarum &c. uti laicorum, Sacerdotum. In hac ratione theſeos quære ante omnia voculam, quæ molem totius ſuſtinet, ut hîc eſt *impiis*, & *qui.*

forma judicialis in accuſando

71. Theſin per modum judicii producito e. g. ſuaſurus fugam peccati lethalîs, quære an e. g. peccator reus ſit Deicidii. Tum in Contentione id proba 1. ab effectis, 2. à voluntate peccantis, 3. à natura peccati, 4. à con-

concomitantibus, conſequentibus, teſtimoniis, exemplis. In Epilogô invehéris in Deicidam, exagitabis eum minis &c.

Atque hæc ratio mox è vicino novæ orationi materiam parat e. g. Quàm deteſtabilis ſit hic Deicida. Materiam huic Contentioni venaberis ex Adjunctis, 1. *Quis*, ut quo loco natus, educatus, quibus donis à Deo præventus ſit Deicida, quibus gradibus ad tantum nefas pervenerit; 2. in *Quid* expende criminis naturam, idque cum moribus, ejúsque depravata voluntate compara: 3. *Ubi* ſuggerit locum, in quo crimen commiſſum, uti in territoriô, & Eccleſia Dei: 4. *Quibus auxiliis* monſtrantur arma, quibus uſus eſt, ut ſunt dona Dei, robur, valetudo, ingenium: 5. *cur* miniſtrat fines, intentionem in patrando Deicidio præfixam, uti quam utilitatem, quam voluptatem quæſierit. 6. *Quomodo* totius Tragœdiæ ſeriem brevi emphatica tamen Narratione ob oculos ſtatuit. 7. *Quando* Excute tempus commiſſi ſceleris, uti, quo mul-

ta

ta beneficia accepit, quo infernus diducebat fauces &c.

Pari felicitate ex his erues tertiam Orationem, in qua decides, quo ſuppliciô reus ſit afficiendus, & ex legibus hîc n. 49. & 50. datis concludes omnia ſupplicia eſſe crimine inferiora, etiam ipſum infernum.

defendendo 72. Sic è converſo poteris tibi velut in judiciô conſtitutus ſumere patrocinium e. g. Virtutis à pravis hominibus exagitatæ: ac ſic in primo ſermone proba, quàm graviter probi ab improbis affligantur; in altero, quàm inſigne ferant illi à Deo, angelis, cælitibus, præcipuè à B. V. Mariâ patrocinium; in tertiô, quàm digni ſint efficaci defenſione, & quàm illuſtre referant ſuæ conſtantiæ inter improbos infractæ tam in hac, quàm alterâ vitâ præmium.

Euſebius. Placent mihi hæ variandæ, & formandæ Orationis leges. Sed longa eſt per regulas via, brevis per exempla: his illas illuſtra. *Eubulus.* Parebo prolixè deſideriis tuis, ſi Superi, & Superiores valetudinem, ac annutum dederint, Ope-

re

re ſingulari: interim tui ingenii, & induſtriæ facito periculum, & lucra labore tuo haud inferiora feres.

§. III.

Narratio ejusque conſtruendæ leges adducuntur.

407. *Adornare poſt*

I. EUbulus. Ritè notatis iis, quæ §. 1. & 2. antecedenti dicta ſunt, ultro ſe inſinuat, quæ adhuc de Exordio declaranda foret, ratio captandi benevolentiam, parandi attentionem, & docilitatem auditorum. Nolim itaque diutius hîc immorari, ſed ad Narrationem tranſeamus. *Euſebius.* Optem tamen mihi breviter ſingularum modum prius declarari. *Eubulus.* Pareo.

benevolentiam captatam

Benevolentia capitur à re, & perſona, & utriusque adjunctis. Perſona eſt quadruplex, oratoris, auditoris, clientis, & adverſarii. Orator merebitur benevolentiam primò modeſta ſignificatione propenſæ in Auditores voluntatis, ſi eandem factis, aut deſideriô ſibi eos demerendi graviter

viter declarârit. Secundò ſi comendârit auditores ſine adulationis fucô à nobilitate, à clementia, aut alia virtute, quæ cauſæ noſtræ patrocinium ferre videbitur. In genere judiciali benevolentiam parabit, ſi breviter recenſuerit clientis innocentiam, & merita; adverſarii malitiam, & poteſtatem. A re capitur benevolentia, ſi dixerit eandem utilem, honeſtam, jucundam; ab adjunctis, ſi attulerit ſuam cum cliente vel à Deo, vel naturâ poſitam neceſſitudinem, ſi expectationem vulgi, ſi locum, ſi tempus.

attentionem factam

Attentionem comparamus rebus, & verbis: rebus, ſi pollicitus fueris dicturum te, aut de rebus magnis, vel utilibus, aut atrocibus, aut ſingulorum fortunam ſpectantibus; verbis, ſi attentionem graviter rogaveris. Abſtineo exemplis: paſſim ſunt obvia.

docilitatem comparatam

Docilem reddes auditorem, ſi Propoſitionem, de qua toto antecedenti §. brevibus, & dilucidis verbis attuleris, ita ut rerum dicendarum peripheriam velut ante oculos de-

deſcriptam habeat. Errant hîc illi, qui ſolo genere contenti hujuſmodi ponunt propoſitiones. ***Dicam de oratione, de miſſa, de ſuperbia, avaritia &c.*** Sed addendum eſt prædicatum ex regulis priori §. datis erutum e. g. ***Dicam ſuperbiam eſſe peſtem gloriæ, avaritiam eſſe maximam paupertatem*** &c. His notatis frequens eſt oratori ſubjungere Exordio Narrationem.

II. Eſt autem Narratio rei geſtæ, vel quaſi geſtæ perſpicua, & ornata expoſitio. Narratio rei geſtæ complectitur omnes rerum veritates, geſtorum eventus & hiſtorias; rei autem quaſi geſtæ Narratio ambit parabolas, fabulas, & omnem mythologiæ amplitudinem. Narratio ipſa eſt duplex hiſtorica, & oratoria. Illa rem quampiam prout geſta eſt, aut geſta fingitur, vel geri potuerat, nudè, & terſè in tabulas refert ſine multis Rhetorum, figurarúmque floribus; velut §. 4. n. 512. videbis. Hæc animat materiam ſuam formis Rhetoricis, exornat phaleris, figuris interdiſtinguit, & vario affectuum genere nunc deprimit ad comiſeratione͂, nunc ad plauſum extollit. Adi 489. n.4. **408. *Narrationem*** ***hiſtoricam.*** ***Oratoriam.***

formativam 1. Oratoria Narratio iterum eſt duplex : una format, altera firmat cauſam. Prioris exemplum eſt narratio cædis Clodianæ, utpote quæ cauſa eſt totius ſubſequentis orationis Milonianæ. Dixi *ſubſequentis.* Nam in genere judiciali ut plurimùm ſtatim poſt exordium collocanda eſt Narratio ita jubente lumine rationis, ut neminem e. g. furti damnemus, niſi patrati furti ſeriem retulerimus. Factâ itaque rei prout geſta eſt perſpicua, probabili, & brevi expoſitione ſubjunge Propoſitionem, qua verbis iterum claris, quid in rem taliter geſtam ſtatuendum cenſeas, expones.

firmativámque cauſa 2. Narratio, quæ cauſam firmat, nullam Confirmationis partem dedignatur, amat autem potiſſimùm ultimam proximam. Neſcio namque, quo ullo argumenti genere illa poſſit magis ſtabiliri, & major motus animorum conciri, quàm præclara quadam hiſtoriâ, aut cujusdam facinoris relatione; præcipuè verò cùm in ea nunc exſpectatione ſuſpendis auditorem, nunc admiratione figis;

gis ; ſi diffunderis in hypotypoſes , proſopopœjas &c. eumque , de quo narrationem inſtituis , compellas , hortaris , aut dehortaris. Huc etiam ſpectant Narrationes digrediendi , vel confirmandi gratiâ adductæ : qualis foret, ſi , ut e. g. martyrium S. Petri è cruce pendentis exaggeras,revertaris ad priora facta , dicasque S. Petrum , ut poſſet è cruce pendere , didiciſſe miris (refer ea) experimentis eandem portare.

3. *Euſebius*. Sed quo modô inchoanda eſt Narratio ? *Eubulus*. variô , & dicitur procatastaſis. Nonnunquam ſumitur à gravi motu , vel inſigni figurâ ; nunquam autem pulchriùs , & frequentiùs , quàm ab adjunctis, præprimis autem circumſtantiarum , temporis , modi &c. e g. „Stabant duo exercitus non tam gladiis , quàm odiis armati. Solo fluminis plus ſtrepitûs , quàm aquarum vehentis interjectu diſcriminabantur. *perpolitam initiô inſigni*

III. *Euſebius*. Adornatô initiô quibus ornamentis reliqua Narrationis ſeries eſt conveſtienda ? *Eubulus*. verborum , & ſententiarum. *409. ornatu verborum :*

 1. Pri-

ait, inquit 1. Primum ornamentum verborum conſiſtit in particulis *ait*, *inquiunt*, *inſit*, & ſiquæ ſimiles; quæ ut ritè dictioni reliquæ aptentur, nec initiô, nec in fine ſententiæ ponendæ ſunt, ſed præmiſſa una vel altera voce, hoc modo. „Tum mulier miſera fluentem per lachrymas profuſiſſimas dolorem ingenti ejulatu vociferabatur. Méne, inquit, fortunamque meam &c. Solemus huic ornamento non ſine novo decore præmittere participia, ut patet in dato exemplo, & dando. „Stygiâ furiatus Erynni, ubi, inquit hoſtis, ut mactem? I. furor; ſtrangula. Nullas iræ inducias cedo, I

[Pr]æſens pro [p]ræterito 2. Eleganter uſurpabis pro præteritô præſens, tum potiſſimùm, cùm multa inciſim narranda ſunt. e. g. „Jamque aderat tragœdiæ deſtinata dies. Itur ad fraudes, parantur arma, teguntur conſilia, ac ſub ipſum noctis ſilentium Irrumpitur. „Nulla mali facies aberat. Ingemiſcit tota domus &c. Nova elegantia hujusmodi formis accedit, ſi verbo nominativi poſtponuntur, & per

par-

particulam *qui*, *quæ*, *quod* exponuntur. e. g. „Hæc cùm geruntur, a„deſt ſubito homo peregrinus, quem „& defluæ lachrymæ afflictum, & in„tercepto halitu interpellata vox fu„gatum ſignificabant.

3. Quid pulchrius, quàm cùm cujusdam facinoris ſeries per hypotypoſin plusquamperfectis effertur? e. g. ubi pugna tandem ad manus venit, vidiſſetis Alexandrum primos ordines perrumpere, audiſſetis cadentium fragorem, morientium gemitus, &c. Alius diceret: „viſus eſt „Alexander ordines perrumpere. *plusquãperfectum pro præterito*

4. Parem narrationi decorem afferunt plures infinitivi omiſsô verbô, quô illi regebantur conglobati e. g. „Vix facinus dubio adhuc rumore „per urbem ſparſum eſt, mirari om„nes, pauci dubitare, plures indig„nari &c. En ſupprimitur verbum, cœperunt. *infinitivi conglobati.*

5. Pulcherrima quoque Narrationis phraſis eſt coacervatio participiorum paſſivæ vocis e. g. „Quid „prius memorem, an expilatas ædes, „profanata templa &c.? ubique hor- *participia conglobata*

„rida calamitatis imago animis, ocu-„liſque obiicitur. Extinctæ prius „proles, quàm natæ, matres pro tu-„mulo ſortitæ ſunt; imbellis ætas „membratim conciſa, nulla virgi-„num, & pudoris, nulla ſenum & „cani capitis habita religio. &c.

verba ejusdem tēporis per Diſſolutionem

6. Similia his ſunt, ſi vel per Diſſolutionem, de qua n. 320. ablatis conjunctionibus, vel per Polyſyntheton, de qua n. 317. plura ejusdem temporis, modi, & vocis verba repetimus. Exemplum primi. „Noc-„tem ducebat inſomnem, diem age-„bat laboribus &c. Procedendum e-„rat in publicum? animas quærebat. „Latendum erat? Deum laudabat.

Polyſyntheton

Secundi. „Omnibus omnia velut „alter Paulus erat. Et miræ doctri-„næ, cùm ſcripſit; & haud vulga-„ris eloquentiæ, cùm dixit; & mag-„næ dexteritatis, cùm muneris ſui „quoscunque labores obivit; docu-„menta dedit.

7. Inſigni cum elegantia inſeruntur Narrationi contradictoria, relativa, & paradoxa, ſacræ, & profanæ eruditionis exempla. Argutias

quo-

quoque amat Narratio præcipuè in genere exornativo, breves ſententias, tranſitiones liberas, & velut ultro venientes. En contradictoria. „Horrendam ſæpe undique tem-„peſtatem concitat invidia, nubila „non timet fortis, ſerenô gaudet. En relativa. „Ducis vidiſtis hactenus „fortitudinem, nunc animos mili-„tum ſpectate. Et: meritò pater „paternum exuit animum, cùm fi-„lius nomen filii ſceleribus amiſit. En paradoxa. „Prodeſt ſæpe, quod „nocet, & felicitatis optima parens „eſt infelicitas. Sic ex eruditione profana melius dixeris artificem quẽdam, *Archimedem*, & ex ſacra *Ooliabum*, quàm ſi nudum nomen verſeris. Porro reliquis exemplis brevitatis ſtudia non ſinunt immorari: obvia ſunt ſedulo indagatori.

IV. *Euſebius.* Quid ſunt ſententiarum ornamenta Narrationibus intexenda? *Eubulus.* Figuræ Rhetoricæ? *Euſebius.* Quænam illæ? *Eubulus.* Omnes, quas judiciô, & exercitatione probaveris, Illuſtriores ſunt hæ. 410 *ſententiarum*

Hypotypoſis 1. Si cujusdam fædi facinoris enormitas, aut probi arduitas referendæ ſunt, mirum eſt, quàm inſignem oratori operam exhibeat Hypotypoſis. Adi n. 346. 347. & 348.

Dubitationis 2. Dubitatio, ſervit eleganter, ſi dubia eventilanda, declaranda conſilia, ſi res in arcto poſita deſultoriam expoſcit ſententiam. Plura n. 329.

Suſtentationis. 3. Suſtentatio, pulcherrima eſt, quoties enormis quædam audacia, aut inexſpectata conſilia ſunt referenda; nunquam autem venuſtior, quàm cùm gravior quidam motus, ut admirationis, indignationis amoris &c. eſt concitandus. Si plura cupis, reviſe n. 376.

Comunicationis 4. Communicatio, egregiam præbet normam tam accuſandi, quàm excuſandi cujusdam facti auctorem; ipſum autem factum laudandi, vel damnandi. Exempla hauſiſti n. 332.

Exclamationis 5. Exclamatio. Hæc inſigniter interſecat Narrationem, aut finit: tum autem potiſſimùm uſurpanda, cùm rarum, inſolens aliquid, & admiratione dignum recenſitum eſt. Remetire n. 380.

6. Et

6. Et vivaciſſima cenſetur Proſopopœja, præſertim cùm interſtinguitur dialogis, conſultationibus &c. Habetque venuſtum locum, cùm conſpirationes, inita conſilia ſunt promenda. Repete n. 356. quo repetitô quis non videt, quanta ſit huic figuræ in Narratione vis, ſi nunc oratiunculis directis, nunc indirectis animatur; *Euſebius.* Quæ ſunt directæ? *Eubulus.* cùm quis e. g. Petrus in recto loquens inducitur. *Ego ait Petrus conſilio facem prætuli, & audaciam* &c. *Euſebius.* Quæ ſunt indirectæ? *Eubulus.* cùm quis in obliquo loquens inducitur e. g. „Petrum jactâſſe ferunt, ſe fuiſſe facinoris du„cem, & facem, ſibi non defuiſſe „ad deſignandam cædem ingenium, „nec ad perpetrandam animum. Atque hæc ferme ſunt figuræ Sententiarum ad illuſtrandam Narrationem expeditiſſimæ; alias *verborum* non inſector, licet ſint complures, velut Epizeuxis, Epiplexis, Anaphora &c. quæ in rem operam ſuam utiliſſimè conferent, etiamſi hîc à me haud interpellentur. *Proſopopœja*

Verumtamen Euſebi hæc omnia parùm virtutis, & laudis tuæ Narrationi conciliare poterunt, niſi ea, quæ dicis ad amuſſim harum legum, dicas etiam probabiliter, perſpicuè, breviter, & ſuaviter.

Qui hæc in Narratione conſequitur, næ is magni oratoris numeros implebit. Pro ſingulis lucem fero.

411. *probabilem à narrante, ab* V. Ut fidem mereatur Narratio, narrantis, & rei narratæ habenda eſt ratio. Ex parte narrantis requiritur probitas vitæ, & opinio adamatæ veritatis ab omni partium ſtudiô eximia. Docta quoque ſimplicitatis quædam imitatio. Abſit in narrando quivis inordinatus animi motus, nimia auxeſis, eruditiones ex Medicâ, aliiſque ſcientiis, quæ ſacrum oratorem aut minus humilem, aut minus pudicum probare poſſent, productæ. Si Religioſus es, ſtude, ut multùm ſcias, ſed non minus ſtude, ut neſciant multi te multa ſcire. In combinanda rerum chronologia brevis eſto. Cura ſis, ut procul ab illa Stentorum tribu recedas, qui omnia vociferationibus confecta volunt, aut

con-

confici poſſe putant. Demum veritatem illam in Narratione geñam exiſtima, quæ, ni ex ſingulis partibus eluceat, cæteros figurarum pyropos facilè ſit obſcuratura.

In ipſa autem hiſtoria, ut reddatur probabilis, obſervandæ ſunt res, & perſonæ.

1. Itaque in rebus debet perpendi partium connexio à natura, vel decore repetita. *hiſtoriæ rebus.*

2. An res ſint accomodatæ hominum opinioni, moribus, inſtitutioni.

3. An cauſam ſuam non redarguant, velut ſi diceres gigantem ex pygmæo natum.

4. An in rebus eluceant honeſtas cauſæ finalis, & utilitas ad ingerendam quandã moralem inſtructionem. In hanc legem peccavit ille, qui, ut cujusdam gulonis mores diſcriberet, in fædam, & fædioribus verbis conſarcinatam compotationum hypotypoſin excurrebat. Nauſeam namque & ructum creare, non eſt motus, quem quærit Rhetorica.

Quod verò ſpectat perſonas hiſtoriæ, conſiderandæ ſunt in illis adjunc- *I perſonis ſer*

juncta corporis, & affectiones animi.

adjuncta corporis

Et quidem in particula *Quis* perpende 1. alicujus hominis naturam, an robuſtus ſit, deformis &c.

2. An dives ſit, vel pauper, qualem à paupertate, vel opulentiâ laudem, aut notam referat.

3. An nobili, vel ignobili loco natus ſit, an ruri ſit educatus, an in urbe.

4. Qualis ſit victûs, & veſtitûs ratio, qualis fortuna, nomen, patria, ſexus, ætas &c.

animi

In adjunctis animi debent perpendi 1. probitas, vel improbitas, audacia, vel timiditas. Et ut hæc certius venemur, recurrendum eſt ad parentes, educationem, magiſtros, ſocios ſtudia, & conſilia.

2. An interna mentis facies non reluceat in externo corporis habitu; qualis eſt inceſſus ſuperbus, vel modeſtus; oculi effuſi in libertatem, vel reſtricti.

3. Quænam paſſiones præponderent, an amor, an odium, an timor, vel ira.

4. Tan-

4. tandem probabilitas conciliatur tum rebus, cum perſonis ab aliis adjunctis velut à loco, tempore, modo, finibus extrinſecis. &c.

Euſebius. Sed quis horum omnium uſus? *Eubulus*. Hæ circumſtantiæ, duæ, vel plures ita ſunt Narrationi intexendæ, ut ſimul fidem, & decorem afferant. e. g. velis narrare ingentem hominum ſtragem, à fide & decore laudem merebere, ſi in patenti campô cædentes; in paluſtri verò & torrentibus interceptô cæſos colloces: hinc cædentium expeditas, & numeroſas phalanges, inde cæſorum terrores, & impedimenta recenſeas. 412.

V. Verùm ita perſonarum, rerumque producendæ ſunt circumſtantiæ brevem à ad aſtruendam fidem, ut tamen prolixitate tœdio nulla miniſtretur materia. At hîc opus, hîc labor eſt, omnia dicere, ut credatur, & breviter, ut placeat Narratio. Sunt tamen etiam hîc, ut maritetur brevitati fides, ſuæ leges.

Prima conſiſtit in rebus, quam rebus conſectamur, cùm omnes circumſtantias à Narratione reſecamus, quæ ejus-

ejusdem ſubſtantiam non illuſtrant, augent, muniunt, & complent. „Variô terrâ marique perfunctus di-„ſcrimine tandem in patriâ appulit. „Sed necdum ſibi ſecuritate potius vi-„debatur. Unde ruptis, quas pa-„rentes ponebant, moris è mundi „pelago in ſacræ religionis portum „enavigavit. Satis dixiſti. Inutiliter dices, ſi illa terrâ, marique exantlata pericula in multas ambages diducas. Magis in brevitatem delinquunt, qui eandem rem iterum commemorant. Id quod promiſcuè ſolet evenire, cùm cujusdam facinoris conſilia recenſenda ſunt, & juxta capta conſilia facinus ipſum patratum ſubjiciendum eſt. *Euſebius.* Quid agendum, ne in dato exemplo idem repetatur: *Eubulus.* In deſcriptione facinoris in genere duntaxat repete ſancita conſilia, aut dic facinus fuiſſe truculentiùs patratum, quàm fuerat deſignatum; utendum nonnunquam eſt figurâ Præteritionis. Cura quoque collocanda eſt, ut Narratio inde initium ſumat, unde nulla ponitur neceſſitas, ea, quæ dicta ſunt, repe-

repetendi. Demum ea omnis res recidenda eſt, quæ nullam cognitioni lucem, aut affectui vim miniſtrat.

Altera lex conſiſtit in verbis, quam feliciter aſſequeris, ſi abſtineas inutilibus phraſibus, & phaleris: circumlocutionibûs, & triviis idiotiſmis, præcipuè germanicis, qui niſi ſale condiantur, non tantùm Narrationem infarciunt, ſed etiam tenebris involvunt. Placet mihi hîc debitus uſus figurarum, quæ paucis multa exprimunt, qualis eſt zeugma, ejusque filiæ Protozeugma, Meſozeugma, & Hypozeugma. Adi. n. 321. *verbis*

VII. Ne autem ſtudiô brevitatis in illud Horatii monitum pecces. 413. *perſpicuam ab*

Obſcurus fio, cùm brevis eſſe volo;

Jungenda eſt brevitati perſpicuitas. *Euſebius*. In quo conſiſtit? *Eubulus*. In ſolis, ſed ferme omnibus adjunctis, & quidem 1. verborum, ut ſint uſitata, rebus ſignificandis nata, delecta, & tamen ab uſu non remota, vacua duplici metaphorâ, prægnantia vi ſignificandi. 2. Perſpicua fit Narratio, ſi ſervetur ordo temporis, *adjunctis verborum* *temporum & rerum*

&

& rei geſtæ ſeries ; ita, ut quod primò geſtum ſit, primò narretur, quod ſecundò, ſecundò, & ſic deinceps. Sed id haud intelligendum eſt, cùm uti vis hyſterologiâ, qua ordo rerum geſtarum non ſine decore invertitur.

Connexionum Repete n. 370. 3. Claram reddit Narrationem egregia partium connexio; in quam delinquis, ſi omnia quidem narranda refers, non tamen ſuo loco, & debito modô contexta.

divisionum 4. Itaque ut nihil contortè, aut confusè narretur, tota rei geſtæ ſeries in ſua membra partienda eſt, atque adeo diſtinguendæ ſunt perſonæ, res, loca, tempora, & ita unius deſcriptioni inhærendum, ut alterum non immiſceas. e. g. Goliathum deſcribens nihil afferto de Davide, aut campo, aut circumſtante milite, ſed ubi unum breviter abſolveris, ad alterum gradum move, donec totius rei ordinem velut in theatrum produxeris.

Perſonarum 5. Cùm diverſarum perſonarum proſopopœja adhibenda eſt, ea verba cuique perſonæ tribuantur, ea oris, ac pronunciationis ratio, quam exigeres in ipſa perſona, ſi præſens loqueretur

queretur. Unde promicet ex verbis judicis, majeſtas; ex rei, timor &c. *6.* tandem narrationi nihil ambiguum, abſtruſúmve inſeratur, aut alienum, quod ad finem, aut ſeriem propoſitam non ſpectat, aut aliunde jam decantatum habetur. *materia.*

VIII. Sed nulla virtus ita neceſſaria eſt Narrationi, quàm ſuavitas. Sine hac tœdium potius, quàm fructum parit. *Euſebius.* At quibus rebus aſſequar ſuavitatem? *Eubulus.* exacta mixturâ figurarum, & affectuum. *414. ſuavem à*

A figuris ſuavis eſt 1. ſi Narratio concidatur nunc per exclamationem, nunc per obteſtationem &c. e. g. *ô diem albô notandum calculô.* Atque id ſummè neceſſarium eſt, ne oratio pleno ſemper orbe, & eodem ſemper tono decurrat. 2. ſi varietur proſopopœjâ, hypotypoſi, antithetis, &c. aliis figuris, quæ res geſtas animare, & velut præſentes facere ſolent, velut ſunt communicatio, ſuſpenſio, ſermocinatio, dialogi. 3. Si pro finitis vocibus uſurpes infinitas, velut e. g. Hæc ubi vox in caſtris increbuit, il- *figuris.*

 lico

lico vitæ depoſita ſpes eſt, turbari omnes, fugere in mutuas cædes &c. vidiſſes &c.

affectibus Demum ſuavem reddis Narrationem, ſi concitas varios animorum motus. *Euſebius.* Quî ciendi ſunt? *Eubulus.* Ciebis 1. ſi afferas ſubitos rerum eventus, nova, magna, inaudita, inopinatam fortunæ, patriæ &c. mutationem, 2. ſi inſpergas Narrationi breves hiſtorias, eruditiones, apophthegmata veterum, comparationes perſonæ cum perſonâ, facti cum factô &c. 3. figuris, & affectibus admiſcetur inſignis lepos à multarum rerum varietate aptis verbis, & ſuaviter ſonantibus expreſsâ. Alia namque verba ſibi vendicat timor, alia amor, alia triſtitia, alia alia paſſio. 4. Nunc pleno impetu præcipitanda eſt Narratio, nunc retinenda. Parva preſsè, magna acutè referenda ſunt. Atrocibus invidiam, triſtibus miſericordiam, jucundis lætitiam, & applauſus inſperge. Affectus vehementiores ſuaviter excitabis, ſi duarum, vel plurium perſonarum colloquia breviter alternes. Verùm, ne, cùm

cùm Narrationi ſuavitatem concilio, ipſa regularum multitudine tœdium incurram, omnium dictorum anacephalæoſin hiſce ſeptem voculis, *re*, *perſonâ*, *loco*, *modo*, *tempore*, *motu*, *cauſa*, pono. In *re* conſidera, qualis ſit res, quæ geritur, à magnitudine, inſolentiâ, truculentiâ &c. In *perſonâ*, quis ſit, qui gerit, an fortis, an vir, an fæmina, an puer, vel ſenex &c. In *loco* diſcute, quàm ille ſit ſacer, amplus, anguſtus &c. In *modo*, quibus mediis res geſta ſit, an armis, an fraude, an aperto marte, an invidiâ &c. In *tempore* quære, an res noctu, an lucente ſole, an die ſacro. In *motu* producito, qualis fuerit ſpectantium animus, abſentium ex famâ facinoris affectus, quæ colloquia, conſilia &c. In *cauſa* demum eruendus eſt finis, cur res geſta ſit, quàm ille ſit turpis, aut honeſtus, quàm exſpectâtus, & quàm multis, quamdiu &c. Atque hæc (licet non omnia ſemper ſint afferenda) flectere cures ad ciendum quendam in auditoribus affectum. *Euſebius*. Sed quomodo? *Eubulus*. Adducito rerum geſ-

tarum effectus, conſequentia: ſi læti ſunt, lætitiam; ſi triſtes, triſtitiam excitabis. Vel profer ipſius rei geſtæ turpitudinem, aut pulchritudinem à perſonis inter ſe collatis hauſtam. Aut quatuor rei geſtæ cauſas commemora. Exemplis abſtineo : facili operâ tibi ipſi efformabis, ſi e. g. Chriſti Crucifixi tragœdiam juxta has leges depingas.

§. IV.

Leges, & ſtabilimenta contentionis in genere afferuntur.

418. *Stabilire propoſitionem*

E*ubulus.* Efformatô juxta datas §. 1. regulas exordiô, ac propoſitione, de qua §. 2. ritè conſtitutâ tranſeundum oratori eſt ad facti (ſiqua neceſſaria eſt) Narrationem, ab hac ad Contentionem. *Euſebius.* Quid eſt Contentio? *Eubulus.* Eſt maxima illa orationis pars, quâ firmamenta cauſæ, quam in propoſitione ſtatuiſti, affere debes, comprobare, & exponere tua, rejicere autem, & refellere aliena. *Euſebius.*

Quæ-

Quænam ſunt hæc firmamenta? *Eubulus.* argumenta ex Locis Rhetoricis eruta, debitis argumentationibus prolata, & aptis figuris exornata. *Euſebius.* Quot partibus conſtat Contentio? *Eubulus.* Tribus: propoſitione brevi, confirmatione forti, & confutatione acri. *Euſebius.* Qualis debet eſſe propoſitio? *Eubulus.* Qualem ſupra §. 2. deſcripſimus, ante omnia autem ſit una, & fæcunda. Una quidem, ut unitas totius orationis ex ipſa capi poſſit. Fæcunda, ut quidquid in curſu orationis affertur, in ipſam tanquam in ſcopum referatur. *Euſebius.* Quî ſcopus iſte attingendus? *Eubulus* ſedulâ, & frequenti ad crinomenon reflexione.

I. *Euſebius* Quid eſt confirmatio? *Eubulus.* anima Orationis, quâ hæc vivit, agitque in animos audientium, ſeu eſt pars orationis, quâ per argumenta ex Locis Rhetoricis producta datam in Exordio propoſitionem, ſeu theſin comprobamus. Atque ex his patet materia confirmationis, éſtque id omne, quod auditori volumus perſuadere. Cùm itaque ſolùm ea *Confirmatione noſtrorum*

poſſimus perſuadere, quæ vera ſunt, & nondum cognita ſatis, ineptè laboraret, qui manifeſta, & prorſus incredibilia vellet argumentis ſtabilire. Perpendenda ergo tum res, cum auditor, quem perſuadere cupimus. In re conſidera, an vera ſit, probabilis, & utilis: in auditore capacitatem intelligendi, qua pollet; praxin, artem, ſtatum, quem profitetur. Proin abſunto, cùm ad humilem, ruſticam concionem dicendum, ſublimes, & Theologicæ tam propoſitiones, quàm argumenta. Cùm verò fides noſtra tranſcendat fines naturæ, ac fidei potiora capita ſint in ſeipſis captu difficilia, mollienda ſunt hæc Similitudinibus, Comparationibus, Conſequentibus, & Effectis, ut quod in ſe nequit ritè perſpici, in aliquâ ſui imagine, aut effectu conſpiciatur.

416. hauſta ex Locis, &.

1. *Euſebius* Sed unde deſumenda ſunt argumenta Confirmationis? *Eubulus.* Ex omnibus Locis Rhetoricis, quos ratio aptos propoſitæ theſi probaverit. Prodeſt tamen præ cæteris animum reflectere ad hæc ſex adjuncta, 1, an res propoſita ſit *manifeſta*

niſeſta vel ob multitudinem teſtium, aut connexionem prædicatorum eſſentialium. 2. an ſit *probabilis* e. g. ex conjecturis, ſimilibus, exemplis. 3. an ſit *poſſibilis* e. g. ex ſuis cauſis efficiente, formali, materiali, & finali. 4. an ſit *cohærens* antecedentibus, conſequentibus, & ſuis partibus, vel etiam famæ, teſtimonio, opinioni &c. 5. an ſit *decens* talem perſonam, locum, ætatem, ſtatum &c. 6. an ſit *Utilis* ad conquirenda vera, magna, & firma bona. *Euſebius*. cupio mihi hæc exemplô monſtrari. *Eubulus* Sit ergo illa S. Odonis noſtri l. 1. in vit S. Geraldi c. 35. ſententia. *Nihil virginitati eſt comparandum.*

„2. A *manifeſto*. Centenæ virgi„nes maluerunt vitam, quàm virgi„nitatem perdere. Compara virgi„nitatem Soli: plus illa Eccleſiam, quàm hic mundum illuſtrat. Omnia „inſtaurari poſſunt, Virginitas ſemel „amiſſa nequit ullâ induſtriâ, ulla „ſanctitate recuperari. Si opum, ſi „valetudinis, ſi famæ apud homines, „gratiæ apud Deum, ſi omnium bo„norum jacturam feciſti, damna tua *adjunctis ſex*

„poſſunt reparari: mederi poterit „paupertati Rex, valetudini medicus, „famæ gloria, gratiæ Deus, ac ut „Deus, Rex, & medicus velit mederi, rogare potes, & impetrare. „At ut perditam virginitatem repares, nil precibus potes, nil ſtudio, nil „lachrymis evincere. A *cohærente*. Lux „námque eſt cœleſtis, ſemel extincta, nequit denuo ſuccendi: carbunculus eſt pretioſiſſimus, ſemel amiſſus „quæri poteſt, inveniri non poteſt. „Et eheu jacturam hanc frequentes „facimus, & jacturæ irreparabilis damna non ſentimus, aut, ſi ſentimus, „non deflemus. Vos ergo, qui „theſaurum iſtum adhuc virgineo ſinu illibatè portatis, audite conſilia „S. Petri Mauritij cognomento venerabilîs ſaluberrima. *Facite, cùm* „*poteſtis, ne virginitatis bonum à vobis pereat: cui facere nihil poteſtis* „*ut redeat.* l. 6. ep. 39. ad neptes ſuas „Margaritam, & Pontiam.

Euſebius. Cur exemplum non ordine, & per ſingulas voces propagas? *Eubulus.* Quia neutrum eſt neceſſarium, ut ſingulæ voculæ in quavis

Con-

Confirmatione adducantur, ſed eæ ſolùm, & is earum ordo producendus eſt, quem theſis ſolet exigere, & regulæ de argumentatione datæ. Reviſe n. 275. & ſeqq. præcipuè n. 289.

3. Porro curandum ut in Confirmatione Oratio ſemper creſcat, & augeatur. *Euſebius*. Quomodo augetur? *Eubulus*. Si verbis minus ſignificantibus magis ſignificantia ſubjicimus, & affectum ſemper magis urgemus, quò plus oratio fini appropiat, ídque vel vehementioribus figuris, vel gravioribus argumentis. Ne autem in hoc Contentionis capite deficias, exactam crinomenis curam habe, ſeu, quod idem eſt, cura ſis, ut nihil prorſus adducas, quod theſin tuam aut non probat, aut illuſtrat. Singula dein argumenta, etſi ſint ex uno Loco eruta, varianda ſunt non ſolùm figuris, ſed etiam argumentationibus, adeo, ut ſi primam proximam per Syllogiſmum diduxiſti, alteram diducas per Enthymema, tertiam per Inductionem &c. Atque id non tantùm ſuadet utilitas, ut

417. aucta verba

variata argumentis

quietè; ſed etiam urget ſumma neceſſitas, ut ſine errore tuum thema componas. Licet autem ad producenda ſingula argumenta ſit animus identidem reflectendus ad variandas argumentationes, nequaquam tamen alligandus eſt ordini dialectico, ſed nunc aliqua *proxima* inchoanda eſt ab aſſumptione, ſeu minore, alia à concluſione, alia ſic coordinanda eſt, ut major medium, concluſio primum locum occupet. Exemplum ſit hic Syllogiſmus 1. Virtus, ſine qua innocenter vivere non poſſumus, eſt neceſſaria: 2. talis eſt pudicitia? 3. ergo eſt neceſſaria. Inchoemus ab aſſumptione hoc modô.

argumentatione

„Perdita eſt innocentia, ubi conculcatur pudicitia. Proba ſis à contrario. „Hæc cùm præ foribus animi non excubat, is omni libidini „pateſcit. Confirma id ab effectis pudicitiæ. „Sola namque oculis, „ne in prohibitas facies divagentur, „frænum inijcit, manus ab obſcæno „tactu cohibet, & voluptatum in„cendia extinguit. Jam concluſionem ſic ſubde per optationem. „Utinam

„nam id agnoſceret incauta juven-
„tus ! ô quàm longè pluribus patria
„noſtra gloriari poſſet liliis, quin ip-
„ſa lilietum foret Deo gratum ; an-
„gelis charum &c. Majorem tandem
proba ab adjunctis innocentiæ , &
definitione. „Núllus juventuti ma-
„jor theſaurus , quàm innocentia.
„Si eam dixero illicium hominum ,
„delicium cœlitum, nimis parum di-
„co. Hominibus non ſolùm placet,
„ſed hominum cœtu eximit ; & an-
„gelicis choris inſerit. At conſerva-
„bit præfervida juventus hunc the-
„ſaurum ſine virtutis cuſtodia ? ne-
„quaquam : gemmæ huic inſidian-
„tur tot prædones , quot dæmones
&c. Cùm autem , ut jam alibi mo-
nebam , concluſio , ſi ſuo loco emo-
ta eſt, denuo repetenda ſit, ſic con-
cludes. „Sed quem tot hoſtibus
„murum obijcimus ? Virtutem, pu-
„dicitiam, aures , oculos , & manus
„à lubricis abducere docebimus.

II. Ne autem noſtra argumenta ſic ſtabilita ab adverſariis labefactari poſſint , evertenda ſunt beneficiô Confutationis. Hæc itaque eſt pars Con- *418. Confutatione alienorum.*

Contentionis ſummè neceſſaria, ejusque munus eſt amoliri ea, quæ cauſæ noſtræ robur infirmare poſſent.

erutâ ex Locis

1. Materia, & artificium Confutationis eſt propemodum idem, quod confirmationis. Omnes loci tela ſuggerunt, & arma, quibus adverſarios propellas. Cauſam quoque noſtram munire poſſumus ſex illis inverſo tamen modo prolatis Adjunctis nempe *incerti*, quod nullâ certa ratione nititur, e. g. quo die cœperit, aut finierit S. P. Benedictus ſuam Regulam. *Incredibilis*, quod ita rarò accidere ſolet, ut ferme fidem ſuperet, velut, ut improbus ad injuriam graviſſimam taceat. *Impoſſibilis*, quod fieri viribus naturæ nequit: ut pygmæus ſternit gigantem. *Non cohærentis*, quod non cohæret cum perſonis, aut rebus, de quibus agitur, aut quod à rerum, perſonarumque proprietatibus, moribus, factis illuſtrioribus vehementer abludit. e. g. Paulus honeſtatem hactenus in omnibus ſectatus, furtum commiſit. *Indecori*, quod perſonam ſuæ auctoritatis

ritatis, aut nominis retinentem nequaquam decet, ut eſt: heros poſito gladio fuſum inter mulierculas tractat. *Inutilis*, quod nullum commodum conferre ſolet; uti magnis impendiis muſcæ captæ ſunt.

2. *Euſebius.* Quomodo iſtis particulis utar in Confutatione? *Eubulus.* Aſſerenti ex *impoſſibili*, e. g. dic 1. nullam affuiſſe cauſam ad producendum effectum. 2. Tolle à cauſa efficiente omnia, aut potiora adjuncta, quæ requiri ſolent ad effectum, velut eſt in corpore robur, in mente ſapientia. 3. Tolle cauſam finalem, & proba nullam fuiſſe e. g. Paulo cupiditatem, iram, aut inimicitiam, quâ moveri poterat ad inferendam Petro mortem, cujus tamen inſimulatur. &c. Aſſerenti *indecorum* e. g. de Petro, affer ejus virtutes, atque conſtans honeſti ſtudium, probos amicorum, & ſodalium mores &c. Et ſic de reliquis particulis diſcurrere licet. *inſtituta per cauſas, & adjuncta,*

3. *Euſebius.* Quot modis hæ particulæ in praxin deduci poſſunt? *Eubulus.* Tribus, negando, redarguen- *negando*

guendo, & elevando. Negandô confutas ſi e. g. crimen impactum committi potuiſſe negas ab adjunctis loci, temporis, ſi removes cauſas, ſi adducis conſequentia, ſi ſuccidis finē. *redarguendo* *Redarguendo* confutas, ſi quæ contra te dicuntur, non ſine vitiô, vel veritatis, vel cohærentiæ, vel clādeſtinæ invidiæ, aut etiam inordinati affectûs ex partium ſtudiô profecti dici commonſtres. Vel cùm oſtendis ex objectione adverſarii ſequi abſurda, contraria, pugnantia, quædam etiam contra decorem, aut famam proborum, commoda reipublicæ. Huc etiam ſpectat, cùm contemnimus objecta, ridemus obiicientem, & objicienda recenſemus ultro, ut iis cauſam noſtram firmemus. Quæ ratio confutandi eſt efficax, & dicitur oratoribus inverſio, Philoſophis retorſio. *elevando* *Elevando* tandem confutas cùm aliquid vel in obiicientes, vel objecta regeris; atque id neceſſarium eſt, cum objecta negare non potes. In illos regeris, cùm re dimiſsâ, aut pauliſper ſepoſita, monſtras, ipſis non convenire hæc objicere

cere. *Euſebius.* Sed quî hoc monſtrem. *Eubulus?* Si dicis 1. vos non eſtis ad dicendam cauſam conſtituti; vel 2. pietatis, vel gratitudinis nomine obſtricti eſtis, aut 3. ſtatûs, officii, ætatísve titulô potius ad tutelam, quàm offenſam tenemini. 4. demum, tacent illi, qui, ſi objecta vero niterentur, haud tacerent. In rem regeris, ſi paria illis, quæ objecta fuerant, reponis, aut majora. e. g. avaro ſtudia religioſæ paupertatis difficilia dicenti oſtende difficiliora eſſe avaritiæ.

4. *Euſebius.* Sed quibus figuris confutatio animanda eſt? *Eubulus.* Dialogis, Exclamatione, Communicatione, Interrogatione, Optatione miſtâ Ethopœjæ ornamentis. e. g. „Utinam viverent illi, qui factis longè „illuſtriſſimis ſententiam tuam pridẽ „damnârunt. Quid Pauli, quid Be„nedicti dicerent. *animata figuris.*

5. Ut autem ſua ſtet Confutationi auctoritas, & vis, nihil falſi admiſcendum eſt, aut fictum cuidam perſonæ affigendum. Argumentis non injuriis theſin tuam propugna; etſi *modeſta verbis*

non-

nonnunquam lixivium, aut aculeos ipſa neceſſitas obtrudat, ita fundendum illud, & iſti ſunt infigendi, ut quæcunque dicis, dicere videaris in patrocinium veritatis. Atque hanc cautionem ut extendas, peroptem, cùm tibi etiam cum hæreticis negotium eſt. Si enim amicos veritati ſyncerè quæras, cur offendas ut inimicos? Abſint igitur illæ exulcerati animi criſes. *Mentitur hîc* N. Antiquiora chaô profert. Multa ſine teſte loquitur, conforme veritati nihil. Utinam hi tandem aliquando in palatio veritatis ceſſarent rudere, ne qui ad poſtes ejus ſilentio modeſto aſſueti amant vigilare, toties interpellarentur. Sed digitum labello, ne eadem nos cenſura flagellet.

§. V.

Proferuntur argumenta Contentionis in genere Demonſtrativo.

EUbulus. Quæ §. antecedenti dicta ſunt, vagantur ferme per quodvis dicendi genus. Nunc ea momenta rerum ſunt afferenda, quibus quodlibet in ſpecie poteſt confirmari. Primas pro meritis damus Generi Demonſtrativo, quod totum verſatur in laudando, & vituperando. Laudari autem poteſt ſolum bonum, vituperari ſolum malum. Bonum abſolutum eſt ſolus Deus, ac cætera omnia in tantùm bona ſunt, in quantùm de hoc ſummo bono participant, ac in tantùm mala, in quantùm ab eodem recedunt. Accedimus autem ad Deum ſolis virtutibus, & ſolis vitiis recedimus. Unde primaria Generis Demonſtrativi materia eſt tantùm virtus, & vitium. Verùm cum nec hoc, nec illa ſine ſubjecto (ut Philoſophi loquuntur) ſubſiſtere poſſit, tam varia eſt laudandi, vituperandique materia, quàm variæ ſunt per- 419 *Confirmare panegryn*

ſonæ, in quibus virtus aut vitium invenitur, & pro ipſa perſonarum varietate variatur laus, & vituperium. Sciendum autem Chriſtiano oratori virtutem ita eſſe bonam, & vitium ita malum, ut non ſolùm hominem vel bonum, vel malum reddant, ſed etiam res hominis. Quin ipſa bona boni, & mala mali nomen, & materiam in tantùm amittunt, aut aquirunt, in quantùm virtuti, aut vitio ſerviunt. An non bona doctrina? quis bonam dixerit in hæretico? an non mala peſtis? quis malam dixerit in Sancto? Atque hæc eſt ratio, cur etiam ea laudemus, quæ ad virtutem, ea vituperemus, quæ ad vitium quocunque demum modô conferunt, hoc, vel illud connotant. Sic laudamus urbes, templa, regna, animalia, artes, ſcientias, & viciſſim vituperamus. Ac eò amplior laudi, vel vituperio in re quapiam materia, quò perfectior illa eſt virtutis, aut fædior vitii cujusdam idea. Cùm itaque genus Demonſtrativum ambiat omnem virtutem, & vitium omne, ac omnia ea, quæ cuique ſerviunt, omnis ejus œconomia

poteſt

poteſt ad tres ordines reduci ; ad perſonas, in quibus virtus, aut vitium invenitur : ad facta, quæ ab illa vel iſto profecta ſunt: ac tandem ad ea omnia, ex quibus aliquas vitii, vel virtutis imagines videmus promicare. Singulis hic jam materiam inveſtigabimus. Ne autem in immenſum diffundamur, ſolùm laudes ſectabimur. Cùm contrariorum eadem ſit ratio, facilè in vituperium convertes.

I. A perſonis ducimus auſpicium. *Euſebius.* Quî ad laudandam perſonam inveſtiganda materia ? *Eubulus.* Juxta dicta n 419. vide ſis 1. quænam relucent in hac perſona virtutes ? 2. quænam virtutis inſtrumenta ? 3. quænam virtutis ſigna ? *Euſebius.* Quid virtutis nomine intelligis ? *Eubulus*, prudentiam, temperantiam &c. *Euſebius.* Quænam virtutes præ cæteris in perſona ſpectandæ ? *Eubulus.* Quæ ſolent eandem maximè condecorare. Sic in viro docto deſideramus prudentiam, in milite fortitudinem, in judice juſtitiam, in Religioſo humilitatem, in virgine pudicitiam, in juvene verecundiam &c.

420. *perſonarum*

virtutibus conformibus.

inſtrumentis virtutum.

1. *Euſebius*. Quænam ſunt inſtrumenta virtutis? *Eubulus*. Omnia ea, quæ ad ipſam aquirendam conferre ſolent, uti ſunt opes, pulchritudo, doctrina. *Euſebius*. Quot ſunt hujusmodi inſtrumenta? *Eubulus*. tria: bona

fortunæ
corporis
animi.

bonis animi

Euſebius. Quæ ſunt bona animi? *Eubulus* Quæ animam exornant. Cujus velut ſunt tres potentiæ, ita etiam tria bona. In intellectu ſunt omnes virtutes intellectuales, & ſcientiæ; in voluntate gratia, omnes virtutes morales; in memoria retinendi felicitas. Jamque à bonis animi quisque eò eſt majori laude dignus, quô plura, & perfectiora hujusmodi bona poſſidet. Sed cùm anima, quamdiu hanc mortalem vitam degimus, nequeat ſine corporis ſubſidio ſua opera conficere, corpus quoque ſua laude dignum eſt, & eò magis, quò perfectiùs inſervit menti. Nomine autem corporis non intellige nu-

corporis.

dum

dum illud, ſed veſtitum ſuis bonis, uti ſunt robur, pulchritudo &c. Corpus verò, & anima multis extrinſecis bonis condecorari poſſunt; & hæc dicuntur bona fortunæ, & cenſentur in probis aut inſtrumenta, aut pæmia probitatis; in improbis autem incentiva, aut incrementa improbitatis. Hujusmodi ſunt opes, honor, fama, nobilitas. *fortunæ.*

2. *Euſebius.* Quid ſunt ſigna virtutum? *Eubulus.* Sunt notæ quædam, quibus manuducimur vel ad cognoſcendum præſens virtutis bonum, vel ſperandum futurum. S. Odo Clun. in C. 4. 6.fol. ait. „Ille perfectus eſt, „qui erga imperfectionem proximi „impatiens non eſt. Ecce ſignum ſanctimoniæ. In quo ergo hoc ſignum vides, eum à ſanctitate laudare potes. Juvenem vides, qui in magnis operam ſuam collocet, & magna conficiat? an non hæc prognoſtica ſunt viri magni? Unde qui plura, & evidentiora hujusmodi ſigna attulerit, ille fæcundiorem, & præſtantiorem materiam ſuæ panegyri parabit. *Euſebius.* Sed qua arte ſunt hæc ſigna parandi? *Eu-* *ſignis virtutum*

 bulus.

bulus. Memoriæ ; hac diſces omnium rerum notas. Repete, quæ n. 96 dicta ſunt de vago *Signum.*

421. *adjunctis* II. *Euſebius.* Facilè capio, quæ dicis ; at hæc omnia de tot, tamque variis perſonis in praxin redigere difficilimum autumo. *Eubulus.* Difficultatem non abnuo, ſed eam, quam generoſa induſtria facile ſuperabit. *Euſebius.* Quibusnam rebus meam induſtriam conſecrem? *Eubulus.* Tribus regulis: in ſingulis adjuncta perſonarum conſideranda ſunt. Prima inſitis, altera adventitiis, tertia inter utramque mediis legem dicit. Ad primam claſſem ſpectant, quæ homini à Deo, vel natura absque alio principio extrinſeco indita ſunt, velut eſt quævis ſcientia, virtus, & gratia ; ad alteram, quæ homini primùm adveniunt, uti ſunt honores, dignitates, opes, officia &c. ; ad tertiam, quæ de utroque participant, ur ſunt patria, parentes, nobilitas &c.

inſitis 1. In inſitis adjunctis conſiderari debet definitionis natura, & præſtantia. 2. objectum formale, & materiale. 3. gradus. 4. actus mirabiles e.g. Charita-

tis

tis. 5. in virtutibus conſuetudo, & ſpiritus. 6. effectus varii. 7. Patrum, & magnorum virorum elogia, apophthegmata. 8. Inſolita prodigia. 9. exempla in poſteros propagata, aut propaganda. 10. vaticinia, ænigmata, hyerogliphica, Symbola &c. 11. numerus, & præſtantia diſcipulorum, atque ſequacium.

adventitiis

2. In adventitiis conſidera 1. cauſam finalem, ſeu quem ob finem munus aliquod collatum? 2. quàm ille ſit illuſtris. 3. quid Deus voluerit, natura debuerit, & homo potuerit ad hunc finem conferre. 4. quàm inſigniter perſona reſponderit v. g. Petrus donis. 5. diſcute effectus officii, & 6. effectuum adjuncta, quàm ſint præſtantes, utiles reipublicæ &c.

mediis

3. In mediis inſita, & adventitia perpendi debent. Id quod tamen ita intelligendum eſt, ut ea ſolummodo ex quavi claſſe ſeligamus, quæ perſonæ, quam extollimus, convenire ſcimus ex vita antè actâ. Quò igitur vita hiſce regulis erit conformior, eò evadet panegyris illuſtrior. Operæ proin pretium eſt, in inventione ſingulis particulis inhæ-

rere, & diſquirere an, & quid perſonæ laudandæ tribui poſſit.

422. *virtutibus particularibus*

III. *Euſebius*. Sed hæc ipſa quid ſunt niſi grandis difficultatum moles? Scire tot rerum inſitarum, adventitiarum, virtutum, ſcientiarumque definitiones, cauſas, effecta, fines, & adjuncta quantus labor? *Eubulus*. At dulcis & ex dulcedine facilis. Legere hæc omnia potes in libris, & ſi bene leges, excerpes, & excerpta intelliges. Ut tibi periculum faciam, ſingulas claſſes per exẽpla luſtremus.

In prima claſſe conſtitutæ ſunt omnes perſonæ, quas ab aliqua ſcientia, vel virtute vis laudare. *Euſebius*. Quomodo laudabo aliquem á Prudentia.

prudentia

1. *Eubulus*. Si dicis. 1. Haud aliter adibatur à plurimis, quàm divinum quoddam oraculum, ex quo nemo non in dubiis conſilium repetere poterat. 2. cuncta ſolerter prævidit futura, præſentia pervidit, præterita in agendorum uſum traxit, omnia feliciter confecit. 3 Publicum quoddam conſiliorum Lycæum fuit, conſilia tamen admiſit ea mente, qua felicitate perfecit. 4 Sapientiſſimi viri nomina, & laudes per om-

omnium ora circumtulit ſine famæ invidia, ſemper tamen judicii acerrimi indagine, quô creſceret, invenit. Creſcere poterat ſagaciſſimi viri animus, terminum tamen magnitudinis ſuæ haud invenire. 5. Elogium hactenus nemini datum, cuivis magno ſuo molimini inſcripſit. ***Nihil ſine conſilio.*** 6. Ad conſilium vir optimus neminem admiſit, niſi ſibi ſimilem, Numini, virtuti, & homini devotus eos inter ſuos primos eſſe voluit, qui cultui bonæ conſcientiæ nihil præferrent. 7. In conſilium neminem admiſit, niſi peritiſſimos, & longo rerum uſu exercitatiſſimos. 8. Placido, & æquabili animo conſilia excepit, fuit non ſolùm dandi, ſed & accipiendi peritiſſimus artifex. 9. Judicii fuit acerrimi, ab omni tamen pertinaciâ eximii, non voluntati, ſed veritati, bono communi, tempeſtati obſequi doctus ſemper id elegit, quod nemo eligeret, niſi ſui, & fortunæ dominus, aut fortunâ ſuperior Monarcha. 10. animus cœlum erat ſemper ſole rationis illuſtre, nullis perturbatæ rationis nubibus ob-

volvi poterat. 11. animi ſui ſecreta ſic texit, ut nullo alio indice pateſceret, niſi rerum magnâ geſtarum gloriâ. 12. Ut virtutibus omnibus, quæ ſine prudentia decorem amittunt, & in vitia degenerant, dominaretur, tempori non erubuit ancillari: nihil, quod ageret, diſtulit, ſed ſemper ea egit, quæ alius non poſſet non differre. 13. Magnus in minimis fuit, quòd iis nominis ſui magnitudinem condere vellet. Ibi cœpit gloriæ ſuæ hiſtoriam, ubi multi magnorum finierunt. 14. Divinæ quoddam ſapientiæ prototypon fuit. Quid mirum, id in Eccleſiæ orthodoxæ templo ſuſpenſum? cupit nempe Deus plures ejusmodi ectypas imagines. 15. Tota vita fuit vivendi norma. 16. Diſcipulus erat *Prudentiæ*, nunc prudentium omnium eſt Magiſter. Scholam habet Europam, liber, vita eſt; documenta, facta; diſcipuli Reges, & Principes.

Juſtitia 2. Pari ritu laudabis e. g. principem quendam à Juſtitiâ. 1. Aula hujus principis templum virtutū fuit: prin-

principem aram ſacram eſſe voluit Juſtitiæ. 2. Si bonos, muneribus; ſi malos adibat, gladio circumferebat armatam dexteram. Probis quibuslibet voluit regnum ſuum eſſe patriam, improbis exilium. 3. Leges condidit, ſed robur ſuomet adjecit exemplo. 4. Ita dominatu præeminuit ſubditis, ut ſubditum ſe probaret Chriſti. 5. Ita benemeritis diſtribuit præmia, ut nec ambitioni, nec ſpei alius locus, quàm quem merita faciebant, relinqueretur. Aurô nullam gratiam venalem eſſe voluit, ſed meritorum prærogativâ. 6. Omnes diligebat, neminem inimicum, niſi qui virtuti bella moveret, habuit, & eum ſibi chariorem cenſebat, quem æqui, virtutisque ſtudiô ſibi ſimiliorem videbat. 7. Ita perſecutus eſt improbos, ut probitatem nunquam dimitteret, iras miſcuit manſuetudini, clementiam ſeveritati 8. Alij reges hoſtibus exercitus, ipſe ſceleribus ſe oppoſuit exercitibus terribilior. 9. Omnium ſe virtutum debitorem exiſtimavit, nullam ſibi non demeruit. Quantis

tis impendiis defendit Religionem &c.

fortitudine 3. A ſortitudine laudabis e. g. Ducem 1. Animô fuit excelsô, & veræ gloriæ, quam totam in virtute conſtituit, percupido. 2. Pericula aut animi celſitudine contempſit, aut ſapientiâ eluſit. 3. Arduos labores fortiter ſuscepit, & feliciter confecit. 4 Terrori ſemper animum impavidum objecit. 5. Ardua non tantùm ſubiit venientia, ſed & tardantia provocavit. 6. Quò diutiùs mala tulit, eô fortiùs radices egit, arborem illam imitari ſuetus, quæ ventorum turbine firmatur magis. 7. omnia mala ſervire virtuti coëgit: fame nutriit patientiam, periculis robur animi 8. Non tantùm aliis, ſed & ſibi dominari potuit, & longè glorioſius, Iræ, aliíve indomito motui nunquam obſequi conſuevit, ſed virtuti in obſequium, & triumphum duxit. 9. Præmia fortiſſimi viri laus ſunt, & fama, qua orbem implet, & communis felicitas, quam quisque ipſi debet. 10. Gloriam ardiùô partam tam modeſtè tulit, ut nulli unquam viſus ſit de ſuâ, omnibus de

de communi felicitate lætari. 11. Sæpè pro patria mori voluit, ſed nunquam potuit operum magnitudine meritus immortalitatem. Mortuus quidem eſt, potiori tamen ſui parte vivit in libris, & liberis, in memoria ſecuturæ ætatis; regnum totum ſui perfecta imagine inſignivit. 12. Tumulum adeunt minores ut ſcholam, ut à mortuo diſcerent vivendi, & moriendi leges.

Temperantia

4. A temperantia ſic e. g. Petrum laudabis. 1. Ampliſſimum eſt Temperantiæ regnum: omnes animi motus ſubſtringit, in cultu, in victu, in omnibus modum, & modeſtiam ſancit: ectypon Temperantiæ habemus in Petro, quò propior quisque moribus acceſſerit, eò major Rex erit, non regni, quod interit; ſed animi, qui mori nequit. 2. Hac virtute non tantùm inter improbos probitatem retinuit, ſed expolivit. 3. In nullis rebus luxum, ſed uſum duntaxat amavit, verſatus in hac mortali vita ceu in exilio, cælum in deſiderio fuit ut patria. 4. Ita à ſenſibus diſceſſit, ut potius Angelum

gelum, quàm hominem referret; quæcunque corpori conceſſit, neceſſitatis legibus circumſcripſit. 5 Honeſtatem ſectatus eſt in omnibus; voluptatem potius viſus eſt ignorâſſe quàm admiſiſſe. 6. Turpia non ſolùm non admittere, ſed nec audire potuit: potius mortem, quàm immunditiem quampiam elegiſſet. 7 De mundo, mundique rebus nihil ſumpſit, niſi quod aut neceſſitas obtruſit, aut obtulit virtus. 8. Mentem ut arcem habuit omnibus inordinatis deſideriis clauſam, ſolis Angelis apertam; rationi comiſit portas ſenſuum cuſtodiendas, ſolâ fide ſe regi ſinebat. *Sæpe obſeſſa hæc arx eſt : at oppugnari, expugnari non potuit.*

423 *Fide*

5. Eadem ratione laudem conquirere poteris à virtutibus Theologicis Sancto cuidam. Prima ſit fides. 1 Eccleſiam aſpexit ut columnam veritatis, quæ à nullo infidelitatis aſſultu poſſit concuti. 2 Totâ facie arſit, quoties fidei noſtræ, momenta, & munimenta perpendit. Prophetarum vaticinia, Martyrum tormenta, ſæculorum

culorum prodigia novos ignes ſugge-
rebant. O quoties demirabatur puri-
tatem dogmatum? orbis univerſi con-
verſionem? mirabiles fidei ſatores,
inermes, idiotas, paucoſque Apoſto-
los? Quanta erat dicentis vis, cùm
eorum ſanctimoniam pro concione
explicuit, qui fidem tradiderunt, re-
ceperunt, defenderunt? cùm tyranno-
rum immanitatem, piorum ex om-
nì ſexu, & gradu cladem enarravit!
cùm Chriſti, nati hiſtoriam, paſſi
tragœdiam, & redivivi gratiam de-
claravit! Sed nunquam dicentis con-
tentio major viſa eſt, quàm ubi di-
cendum erat de fidei neceſſitate. 3.
Admirandâ humilitate mentem Ec-
cleſiæ, SS. PP. & conciliorum decre-
tis ſubjecit, in ſola revelantis Dei
auctoritate quieſcebat. 4. Nullum
mortis genus exhorruit pro fide, bar-
baras nationes adiit, idola evertit, fa-
na ſuccendit. 5. A fide alienos con-
vicit verbis, prodigiis commovit,
plurimos convertit. 6. Horrida tormẽ-
ta libens, mortem gaudens ſubivit.
7. Integra regna trophæa ſunt,
quæ

quæ infidelitati abſtulit. 8. Fidem etiamnum prodigiis confirmat, aut in relictis libris docet.

6. A Spe, qua ex gratia Dei, & meritis præcedentibus ſperamus æternam beatitatem, laudas aliquem: Si 1. extollis quantam de Dei bonitate, ejusque præſentiſſimo auxilio ad ſuperanda mala, & perficienda bona habuerit exiſtimationem. 2. Quàm ſæpe, & ſyncerè gaviſus ſit de jure ad æternam beatitudinem. 3. Quàm fortiter & conſtanter ſpe bonorum futurorum præſentia contempſerit; quàm hæc fuerint magna à ſtemmate, honore, aliisque adjunctis, quæ ab aliis omni contentione conquiruntur. 4. Quàm magnam ſpem collocârit in meritis Chriſti, quantâ fiduciâ in maxima adverſitatum tempeſtate ad eum confugerit, ac quàm inſolitam ſæpe opem in depoſitis caſibus impetrârit. 5. Quàm tenero affectu exſpectârit corporis, & animi beatitudinem. 6. Quàm magnam fiduciam collocârit in meritis divinæ Matris, Sanctorumque. 7. Quantis ſtudiis media ad finem æternæ

ternæ beatitudinis adhibuerit, uti ſunt frequens, & exactus Sacramentorum uſus; conſtans ſenſuum, paſſionum, vitiorúmque mortificatio; gravium, & diuturnarum tentationum victoria, perpetua virtutum exercitatio, Sanctorum, Deiparentis, Chriſtíque imitatio 8. Quàm parúm ſuis meritis tribuerit, quàm multúm opi divinæ.

7. Nihil eſt frequentius, aut efficacius quàm panegyricam de Sancto quodam orationem confirmare actibus charitatis ex vita repetitis. Qualis eſt. 1. Deum propter ſe ſine ullius lucri ſpe intenſiſſimè amavit. 2. Excelſiſſimos de Deo, diviniſque attributis ſenſus habuit, ac de ejus infinitis bonis ſæpe viſus eſt tripudiare. 3. Doluit vehementer de quavis Dei offensâ 4. In altiſſimas contemplationes raptus integris nonnunquam noctibus. 5. Deo totus incorporatus, & in mari divinarum perfectionum abſorptus. 6. Graviſſima pro Dei honore tulit, graviora tamen ferre voluit. 7. Ferme nihil ex ejus ore niſi Deus, & amor audiebatur: ac de Deo diſſerens toto vul- *Charitate*

tu arſit. 8. Animô à terrenis abducto ſoli Deo intendebat. 9. In amando nullum modum admiſit, nullum amore Dei malum timuit, nullum bonum omiſit. 10. Aggreſſus eſt maxima, & ſuperatu vix poſſibilia opera, feliciter tamen confecit. 11. Ab omnibus creaturis, quin etiam peccatis chriſtianorum, & infidelium ſenſit ſe ad amandum incitari. 12. Ingenioſiſſimi fuit amoris: neminem non amantium potuit imitari, ipſis ſe Seraphinis inſeruit. 13. Mori, etſi opus foret, etiam damnari volebat. 14. Solo amore vixit, & totus amavit; ſenſibus, affectibus, corpore, mente. 15. Obiit non tam ægritudinis, quàm amoris æſtibus. 16. amoris ſui veſtigia multa reliquit. 17. Deus, Deiparens, Angeli, Sancti mirificis gratiis ejus amorem coluerunt.

424. *reductis ad charitatẽ, uti à*

IV. Atque ex his facilè Sanctum quendam ab alia quavis virtute laudabis. Singulæ namque ad unam ex his præmiſſis reducuntur. Ad charitatem reducitur Charitas proximi, Miſericordia, Zelus, Gaudium, Pax, & Beneficentia.

1. Eu-

1. *Euſebius*. Quî laudo Sanctum à charitate proximi? *Eubulus*. 1. Proximum ut fratrem, ut filium Dei, ut hæredem cœli ſuſpexit. 2. Ei omne bonum efficaciter voluit, & quantum licuit, ſemper procuravit 3. vehementer doluit de malis ejus, & ſummis impendiis amolitus eſt. 4. Nullâ injuriâ potuit ab amandô benefaciendô, auxiliandô averti. *Charitate proximi*

2. *Euſebius*. Quî laudo à Miſericordia? *Eubulus*. 1. Proximi miſeriam, ſuam fecit, 2. Opes omnes in egenos effudit, etiam vaſa ſacra divendidit. 3. Viliſſima infimis mendicabulis munia obiit, pedes lavit &c. 4. Ubi facultatem ſuccurrendi ſibi præciſam vidit, tenerrimè compaſſus eſt. 5. Maxima fuit mentis cura: errantes reduxit, ignorantes docuit. 6. Compatientiſſimi animi ſtudia non poterant claudi paucorum pagorum anguſtiis: longè diſſitis manum porrexit, usque ad purgantes animas penetravit, in earum præſentiſſimam opem mira invenit, plurima perfecit. *Miſericordia*

3. *Euſebius*. Quî laudo à Zelo animarum? *Eubulus*. 1. SpiritumChriſ- *Zelo*

ti animam quærentis totâ mente induit, ac is etiam in externo corporis habitu eluxit. 2. Multis annis, variis in locis, admirandis fructibus pro concione frequentiſſima inſectatus eſt ſcelera, virtutes explicuit 3. In ſacro tribunali prodigioſa dexteritate rigores judicis, amores patris, inſtitutiones Doctoris ita miſcuit, ut animarum lucra in totam provinciam exporrigeret 4. omnibus ſe debitorem exiſtimavit, ad infidelium regna penetravit, ardua quæque, mortem ipſam, eamque horrendam tulit.

Gaudio 4. *Euſebius.* Quî à Gaudio? *Ebulus.* 1. De Deo, diviniſque perfectionibus, de mediis ad Dei gloriam quærendam plurimis, & expeditiſſimis immenſam gaudendi materiam parabat 2. Animum ſemper cæleſtibus, diviniſque bonis immerſum, & nullis inferiorum tempeſtatum nubilis pervium circumtulit. 3. Duæ in una Chriſti perſonâ naturæ, realis Chriſti in Euchariſtia præſentia, Spiritus Sancti Eccleſiam regentis Charitas, Deiparentis excellentiæ, gratiæ, Cœlitum omnium gloria, tan-

to

to fulgore ob oculos mentis verſabantur, ut in mediis adverſitatum turbinibus exultaret.

5. *Euſebius.* Quî à Pace? *Eubulus.* 1. In uno virtutis ſtudio deſideriorum ſuorum, operumque omnem induſtriam defixit. 2. A nemine diſſentire ſolitus, niſi qui Deo, & virtuti bellum moveret. 3. In maximis tempeſtatibus in bonorum, valetudinis, famæque naufragiis divinæ voluntati fixiſſimus adhæſit, nunquam querulari auditus eſt, ſed ſemper Deum ex omnibus laudare. 4. Proximi factis nunquam ſe immiſcuit, niſi cùm virtutis ratio exigebat. 5. Pacis pervertricem voluntatem propriam penitus evulſit. 6. tranquillitatis ſtudiô minimum lapſum maximè cavit bona non rarò diſtulit, aut cùm licuit, omiſit. 7. Nullus verborum aculeus animum exacerbare, nullus contemptus deprimere, nulla proſperitas elevare poterat. 8 Civitas pacis fuit, in bello pacem tenuit, & in pace bellum non timuit. *Pace*

6. *Euſebius.* Quî à Beneficentiâ? *Eubulus.* 1. Dei amore in quoscunque potuit, beneficia contulit. 2. Nihil *Beneficentiâ*

hil habere voluit, quod alteri non prodeſſet, opulentiam ſuam, doctrinam ſuam, virtutem ſuam commune fecit ærarium, ex quo egenis argentum, dubiis conſilium protulit. 3. Nemini unquam quidquam negavit, ſed ex liberalitate multa, ex promptitudine citò, ex mente hilariter, & libenter dedit. 4. Gratiam nullam pro beneficiis petiit, ſed majorem benefaciendi cauſam & copiam.

425 ſpectantibus ad Fidem.

V. Idem dicendum eſt de filiabus Fidei Contemptu ſæculi, & Puritate cordis; & Spei, Fiducia, & Timore Dei.

Contemptu ſæculi

1. Itaque à Contemptu ſæculi aliquem laudabis, ſi dixeris eum 1. mundo, mundique rebus, divitiis, voluptatibus nunquam adhæſiſſe, 2. dignitates detrectâſſe, & non niſi majorum juſſu, & boni communis intuitu admiſiſſe; 3. ſenſuum illecebras, amicorum ſolatia abjeciſſe, mores ſæculi exuiſſe, nihil retinuiſſe, niſi quod virtuti ſerviat, & animæ proſit. 4. Prius ſæculum poſuiſſe in Sacra Religione, quàm quidquam ſæculi per ætatem guſtare potuiſſet. 5. Morum inno-

innocentiâ, velut ortum ex homine non habuiſſet, proximè acceſſiſſe ad angelicam puritatem.

2. A Puritate cordis autem ſic laudabis aliquem, ſi dicas eum 1. ſummam cogitationum, affectuum, dictorum, & operum etiam inter immundos multis annis ſervâſſe munditiem; 2. in veſtium puritate reluxiſſe internæ innocentiæ omnem labem exoſiſſimæ perfectum ectypon; 3. occluſiſſe animum omni rerum periturarum, aut quoquô modô maculare valentium amori; 4. quamvis minimam noxam timuiſſe ceu maximam labem; 5. à locis minus mundis, ſociis minus puris, actibus minus honeſtis oculos, aures, & animum avertiſſe; 6. puritatis gratiam diuturnis, multis precibus petiiſſe. *Puritate cordis, ad*

3. Quod ſpectat Fiduciam, laudibus illa præbet materiam, ſi quempiam dicas his dotibus pollere. 1. Opem in omni tam corporis, quàm animi neceſſitate à Deo fidenter petit, fortiter exſpectat. 2. In quavis adverſitate Deum velut præſentem aſpicit, & juvantem reveretur 3. De *Spem* *Fiducia*

Dei bonitate ſupplicum preces exaudientis excelſas habet cogitationes 4. In rebus depoſitis ſpem nunquam deponit, ſed ſe, ſuáque omnia divinæ diſpoſitioni ſuaviter committit. 5. Animum ſibi ſentit adverſis creſcere.

Timore Dei. 4. A Timore Dei laudem duces, ſi alicui tribuas 1. Multus fuit in conſideranda divinæ Juſtitiæ ſeveritate, & peccatorum gravitate. 2. Omnia peccata, eaque levia, quin ipſas imperfectiones mirificô ſtudiô fugit. 3. In graviſſimis tentationibus heroicô animô verſatus eſt, & divini timoris galeâ tectus dæmonum aſſultus fortiter fregit 4. Dei placita omnibus hominum illiciis præhabuit. 5. Deo ut ſervus Domino, aut filius patri ſe in cunctis præceptis ſubjecit. 6. In magna Dei familiâ non fuit otioſus ſervus: patet id ex effectis.

426. *Moralibus* VI. Eodem modo laudandi materiam conquirere licet ex iis virtutibus, quæ ad Cardinales reducuntur. Primas damus Religioni, ac ex ea magnas laudes derivabis in eos, qui

1. ex-

1. excelſos de præcellentia Divinæ Majeſtatis, vilitate humanæ conditionis, de præſtantia noſtri ultimi finis ſenſus alunt; 2. qui interna mentis promptitudine incenſi ritus, & ceremonias ad divinum cultum ſpectantes ſedulò, & hilariter obeunt; 3. qui Eccleſiæ finibus propagandis ſtudium, conſilium, & operam fervidè conferunt, ut everſis infidelitatum aris verus Deus ubique terrarum colatur; 4. qui videntur (præcipuè ſi Reges, & Principes ſint) ſæpius Deo ſupplices precibus, & votis intereſſe publicis piorum cœtibus; 5. qui chriſtiana Sacra dictis; & armis tuentur contra infideles; 6. qui Sacrorum Antiſtites eximiô cultu afficiunt, opem, & tutelam præſtant, eorum jura, bona, & exiſtimationem magnis impendiis propugnant; 7. qui fidei noſtræ myſteria non ſolùm in magno ſenſu, ſed & cultu habent, Sacrificio Miſſæ genibus flexi, manibus erecti velut duces probitatis interſunt; 8. qui erigendis templis, monaſteriis, aliiſque Sanctorum virorum cætibus æraria ſua exhauriunt; Religione

9. qui vota, juramenta magnâ religione præſtant; 10. qui naturalium donorum apparatum, virtutum tam Theologicarum, quàm moralium actiones in divinum cultum convertunt, & in omnibus rebus ſupremum Dei dominium fortiter profitentur.

Clementia. 2. In Principe ſemina magnæ laudis ſunt Munificentia, & Clementia; & hæc quidem, ſi 1. Princeps pœnas delictis debitas ita moderatur, ut in ipſis ſuppliciis hinc juſtitia, inde clementia pulcherrimè promicet; ſi 2. Divinitatem ipſam imitatus magnis flagitiis connivere ſcit, ut fortiùs emendet, aut utiliùs caſtiget flagitioſum; ſi 3. novit parvis peccatis veniam, magnis ſeveritatem commodare; ſi 4. non minus delinquentium licentiæ, quàm ſuæ iræ frænum inicere poteſt; ſi 5. abhorret à ſanguine, & gladium geſtet potius, ut à malo patrando avocet, quàm ut patratum plectat; ſi 6. invitus ad pœnam, libens procedit ad gratiam; ſi 7. nihil ſævitiæ ſumit, etiam cùm ſævities plectenda eſt; ſi 8. magnorum Principum mores imitatus

tatus non tam improbos, quàm improbitatem perſequitur; ſi 9. in decernendis ſuppliciis nihil vindictæ, ſed omnia juſtitiæ, & bono publico tribuit.

3. Ab illa extollitur, ſi 1. eximio largitatis genere omnium ſibi amores non ſtudioſè conquiſitos emeretur, ſi 2. interna munificæ mentis facies elucet in ſumptuoſis ſacrarum ædium, quas condidit, fabricis; ſi 3. plurima, & maxima liberalis antiquitatis opera, aut monumenta ætatis, aut incendii abſumpta injuriis illuſtriùs ex caſu, aut cineribus efferre ſolet; ſi 4. ſumptus ex ſyncero pietatis affectu in opera publica, omnibus utilia ad patriæ ſplendorem facit; ſi 5. ampliſſima æraria exhaurit ad conſtruendas fabricas, in quibus virtus, & honeſtas docetur, uti ſunt templa, monaſteria, ſcientiarum Lycæa; aut quibus bonum commune conſervatur, uti ſunt, ſi urbes cinguntur mœnibus, inſtruũtur turribus &c.

4. Viros ſanguine, & dignitatibus illuſtres commendat Liberalitas, & Pietas Fortitudo, & Prudentia; de hac, & iſta diximus *Liberalitate*

n.

n. 422. A Liberalitate illuſtres ſunt ii, qui abiecto immoderato ſuarum opum affectu alacriter eas in ſuum, proximi, Deique honorem diſpenſant. 2. Qui Deum imitati *affluenter* largiuntur. 3. Qui indigentibus liberaliter, petentibus citò adſunt ære, vel conſiliô. 4. Qui conferunt ad ædificia publica, ut templa, gymnaſia, armamentaria, operam, & pecuniam. 5. Qui diſcriminant inter perſonas, ac bonos muneribus ad meliora ſtimulant, & pigros avocant à ſocordia; qui miſeris miſericordiam, domeſticis tutelam, externis fidem præſtant. 6. Qui benemerentium verecundiam prævertunt gratiâ, & donis. 7. Qui nullam ætatem ſuis beneficiis vacuam ſinunt. 8. Qui largiuntur de ſuo ſine rapina, prudenter ſine prodigalitate, hilariter ſine triſtitia, promptè ſine mora, liberè ſine repugnantia. 9. Qui non ſolùm marſupii, ſed animi bona tribuunt, uti ſunt conſilia, exempla.

Pietate. 5. A Pietate autem commendantur 1. qui patriæ iniurias dolentiùs, quàm ſuas ferunt, graviúſque,

que, quàm ſuas ulciſcuntur. 2. Qui commune patriæ emolumentum, quantum poſſunt, propagant. 3. Qui in prima ætate fratribus concordiam, in quavis parentibus, præceptoribus, & Deo cultum præſtant, & obſervantiam. 4. Qui pietatis teneritudine illecti ſe in varia proximorum ſtudia exporrigunt, ægros inviſunt, afflictos ſolantur, qui in creditis juſtitiam, in promiſſis fidem ſervant.

6. Virginem, adoleſcentem, & quamque teneram ætatem commendat caſtitas. 1. Si conjuncta eſt inſigni formæ, & fortunæ. 2. Si eſt honorata, multas exambita procis. 3. Si omnium inſidiarum victrix. 4. Si in ſui cuſtodiam oculatiſſima eſt, oculos, & publicum pertæſa, honeſtis, ſanctíſque operipus intenta, otii, ſenſuumque illecebris inimica, caſti conſortii amica, ſilentii ſtudioſa. 5. Laudabis perſonam ab hac virtute, ſi ad angelicos mores multùm accedit, & angelis familiaris eſt. 6. Si amore pudoris illuſtre matrimonium fugit, magnos cruciatus ſubiit, vel etiam mortem *Caſtitate.*

tem

tem. 7. Si à morte incorruptun corpus manſit. 8. Si præteritæ vita geſta morum pulchritudinem, & pu dicitiam ingenerant.

Modeſtia. 7. Omnes tandem ætates, & ho minum conditiones commendat Mo deſtia. Nam 1. magnis concilia auctoritatem, & amorem. 2 Ho norum contemptores omnibus hono ribus ſublimiores facit, vel oſtendit 3. Ambitionem, adulationem, & omnia aulæ vitia proterit, & honore ægrè docet admittere, & admiſſos hu- militer gerere, & ad bonum commu- ne utiliter; legibus auctoritate vim & exemplo pulchritudinem conferre 4. Docet omnium hominum ſort decorem præferre, & reddere.

428. *Scientia* VII. Sed manum à tabulâ *Euſebi* ſat datum primæ bonorum inſitorum parti. Ad alteram pergimus, quæ ſola, ſed omnia hominis cujusque bona intellectu repoſita comprehen- dit, uti ſunt ſcientiæ, & artes quæ- que. *Euſebius*. Quomodo â ſcientiâ quempiam laudabo? *Eubulus*. Si hæc conſideres in ipſa ſcientia. 1. Quàm præſtans ſit ejus objectum, ſeu res,

res quam tractat. 2. Quàm neceſſaria ſit, jucunda, honeſta, & utilis rerum, quas tractat, notitia. 3. Quàm magni habiti ſint in republicâ ritè inſtituta ejusdem cultores, & profeſſores. 4. Quàm multa vel è communi ærario, vel privatorum ſtudiô ad eandem alendam, & conſervandam liberaliter conferantur, 5. Quàm magni ſint ejus tam in pace, quàm bellô effectus, & fructus. 6. Quantæ ſit facilitatis, vel difficultatis in addiſcendis regulis & quantùm ad hanc ſuperandam alliciat honeſtate, vel utilitate; ad illam ambiendam rapiat regularum perſpicuitate, paucitate. 7. Quàm multorum ſit ferax bonorum, qualia ſunt honores, ſi animum; commoda, ſi corpus ſpectes. 8. Demum quàm inſigne ſit ad rem chriſtianam vel propagandam, vel conſervandam inſtrumentum.

Non minus amplum laudandi campum aquires in perſonis, ſi dicere potes. 1. Magiſtri ſcientiæ fuerunt viri graviſſimi, ſanctitate,

tate, dignitate præcellentes, præſules magni, Reges potentes &c. 2. Diſcipuli confluxêre ex variis nationibus, & conditionibus, qui numerum, licet prægrandem ſuperârunt tamen ingenii felicitate, & ſtudendi ſedulitate. 3. Libros illi feliciter explicârunt, hi non minus feliciter auſcultârunt: illi reliquerunt plurima ingenii monumenta, hi inſigni rei litterariæ emolumento uſurparunt. 4. Variis ſunt ornati dignitatibus, aut potius ipſi varias dignitates benemeritis ornârunt. 5. In feliciſſimô locô rempublicam collocârunt. 6. Publicos honores magnô regnorum emolumentô geſſerunt relicto ubique poſt factum maximo ſui deſideriô. 7. Commun i luctu, & magnificis exequiis honorati ſunt, epitaphiis, ac aliis encomiis exornati. 8. Grande nomen in ſcholis, in diſcipulis, in libris reliquerunt publicis meritisetiam poſt facta ſuperſtites.

capitibus ſingularibus 1. Hæc in genere de ſcientiis conſignata facilè deduci poſſunt ad ſcientiam ſingularem Rhetoricam, Philoſophiam, Jurisprudentiam,

tiam, Theologiam, & alias. Quæ autem in ſpecie toto hoc §. à n. 419. dicta ſunt, fæcundari poſſunt hiſce capitibus ſingularibus.

1. Qualis laus in virtutem, aut ſcientiam emanet ex Annotatione. 2. Quâ fabulâ, aut parabolâ poſſit illuſtrari. 3. Quo emblemate à doctis, quâ formâ â pictoribus exhibeatur. 4 Quibus ſymbolis condecoretur, & elogiis, pro qua re conſulendi vagi *Elogium* n. 97. & *Symbola* n. 95. 5. Quid laudis eruderari queat ex Anagramate, Hieroglyphicô. 6. Quam multis, & egregiis viris illuſtretur ex vago *Status* n. 96. Quis non rapiatur in amorem Rhetorices, ſi inter Rhetores invenerit è SS. Pontificum numero Gelaſios, è Cæſarum Carolos M. è. Monachorum Iſidoros, & alios innumeros. Eadem arte quamlibet virtutem extolles, ſi attuleris numerum, & nomina glorioſiſſima illorum, qui in ea excelluerunt. 7. Diſquire quàm magnis rebus velut ſoli, cœlo &c. comparari ſoleat illa virtus, & quàm meritò contendito probare per effec-

 ta,

ta, per exempla &c. 8. tandem proderit luſtrare virtutis præ manibus habitæ Subalternos, & juxta veritatis rationem in perſonam laudandam transferre.

§. VI.
Eadem Contentionis materia pertexitur.

429. *adventitiis, ſeu officiis* I. EUbulus. Tranſeamus â bonis inſitis ad adventitia, qualia ſunt, ut n. 421. monuimus, omnia officia, dignitates, honores &c. *Euſebius.* Quid ergo ſervandum, ut panegyrim augeam, vel conſtruam ab officio ritè obito? *Eubulus.* Duo. Primò conſidera, quales dotes ab ipſo officio, ut probè conficiatur, vel ex lege publica, vel ipſa naturâ, conſuetudine &c. exigantur. Secundò diſcute, quàm inſigniter perſona, quam laudas, has dotes attulerit

officio. *Euſebius.* Quænam examinanda in officio v. g. Regii conſiliarii? *Eubulus.* 1. Quàm magnam illud exigat prudentiam, experientiam, & conſue-

ſuetudinum, legumque notitiam? quas alias virtutes, uti ſunt juſtitia, fortitudo, veritas, boni communis ingens amor? 2. Quàm magnis illud ſit difficultatibus obſitum, ſi animum reflectas ad magnitudinem, multitudinemque rerum, quæ conficiendæ nonnunquam ſint paucas inter horas? 3. Quàm multos, & potentes patiatur æmulos, quámque multam invidiam à rebus plus fortiter, quam feliciter geſtis? Ut autem hæc ritè producantur, parandæ ſunt veterum eruditiones, hiſtoriæ, leges, & conſuetudines &c.

Tum perge ad perſonam, & quàm inſigniter ipſa reſponderit officio ſuo proba ab *Adjunctis* 1. *Quamdiu*? Multis annis. 2. *Quo medio*? arte, ſtudio, labore magno, opibus &c. 3. *Quo loco*? variâ, in variis regnis obitâ legatione. 4. *Quo tempore*? difficillimo, belli, peſtis, vitiis, & ambitione perverſiſſimo. 5. *Quis* ille fuerit ætate, nobilitate, patriâ, famâ, educatione, majorum, & magiſtrorum gloriâ. 7. *Quo modo*? *perſona*

quàm ſubito, citò, & contra omnem exſpectationem opus abſolverit &c.

Eventilatis adjunctis gradum fac ad effecta, & 1. dic quàm ardua negotia tractârit, facinora confecerit? 2. quàm multùm ad bonum commune contulerit, in rem fidei orthodoxæ propagandam adinvenerit? 3. quàm multos habuerit, ac quàm inſignes operum ſuorum imitatores? 4. Quos, & quàm magnos viros rerum geſtarum gloriâ expreſſerit, aut etiam ſuperârit. 5. Quàm inſignia ſit emeritus elogia à magnis principibus, quàm egregio præconio in publicas tabulas ſit ejus memoria ad futuræ ætatis exemplum relata. 6. Quæ relicta operum monumenta, quæ fabricæ, quæ leges, qui mores etiamnum ejus magnitudinem, & merita eloquantur. 7. Quibusnam rebus, operum ſimilitudine ab inſignibus dictis, eruditionibus, apophthegmatis &c. repetitâ poſſit comparari, an monti, an arci, an ſoli? an Regi &c. 8. Quàm magnam ſanctitatem, morúmque pulchritudinem his omnibus conjunxerit animo ad ſingu-

ſingularia converſo, v. g. ad cultum Euchariſticum, Marianum, rigores vitæ, eleemoſynas, fundationes piorum cœtuum, & bonarum artium &c. 9. demum quàm multa ad hæc conficiunda contulerit natura, ſcientia, gratia, Deus, Cœlites, Sancti, Angeli &c.

I. *Euſebius.* At quibusnam officiis n. hoc dicta, & quibus perſonis poſſunt tribui? *Eubulus.* Omnibus, quas Politica vel naturæ, vel legum ſuffragiô extra vulgus in vero honorum gradu collocavit. Tales ſunt ex Politiâ ſacra Summi Pontifices, Patriarchæ, Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Legati, Nuncii Apoſtolici, Abbates, ordinum Generales &c. ex civili ſunt Cæſares, Reges, Principes, Marchiones, Belliduces, Arhitallaſſi, Conſiliarii, Judices, provinciarum, & magnarum urbium Gubernatores. *conſtituta in dignitate vera.*

II. *Euſebius.* Quænam mediis bonis accenſes? *Eubulus.* patriam, & ætatem, ſexum, & conditionem, ac cuique connexa, aut ſubjecta. Patriæ accenſeo parentes, cognatos *430. mediis.*

tos &c; ætaiti juvenes, ſenes &c; ſexui viros, fæminas; conditioni divites, pauperes, cives &c. felices &c.

patria. 1. *Euſebius.* Quomodo laudo à patria? *Eubulus.* 1. Produc inſignes, quibus gubernatur, leges, & quibus gubernata eſt, Reges: 2. Naturæ, ſoliqúe fertilitatem, quæ in vineis, campis, ſylvis, varietate frugum, ac animalium utilitate, & multitudine pateſcet. 3. Urbium, & arcium munimenta in belli, & præſidia in pacis commodum ampliſſima. 4. Viros in artibus variis, ſcientiis magnis illuſtres, ac felices in rebus novis adinveniendis: 5. Virtutes, à quibus ante alias regiones celebratur in monumentis domeſticæ, & exteræ hiſtoriæ. 6. Felicitatem, quam haurimus à diuturna pace, multiplici commerciô, opulentia in rebus, & florido univerſitatum, & ſcientiarum ſtatu, & ampliſſimo in varias provincias dominatu. 7. demum maximè quemdam à patria celebrabis ſi ejus geſta patriæ faſtis digna dixeris, aut novum patriæ ſolem,

lem, gemmam, monumentum, columnam eundem appellaveris; ſi eum patriæ, & ipſi patriam congratulatus fueris materiâ ſumptâ à reciprocatis meritis.

2. Longè fæcundior laudis copia hauritur à parentibus, & majoribus. 1. Si eorum virtutes in filiis, & nepotibus etiamnun perennare, & vivere dicas. 2. Si illos communem hominum felicitatem, probitatemque prætergreſſos, & hos illis ſimillimos in rerum gerendarum dexteritate, operum magnitudine, famæ gloriâ dixeris. 3. Si dicas filium conſummatæ paternæ, maternæque virtutis illuſtre præmium à liberaliſſimo Numine datum in commune reipublicæ delitium, & emolumentum. 4. Si dicas per partitionem, quàm inſignem hauſerit filius à matre formam, modeſtiam; quàm à patre magnam prudentiam, morum gravitatem &c. quàm egregiè avum referat fortitudine, abavum conſiliô &c. 5. Quàm multa Deus, & natura, quæ in majoribus *parentibus.*

erant diſperſa, bona in ipſum ceu in quoddam omnium donorum, & virtutum regnum contraxerit. 6. Quantam patriæ felicitas, quæ in parentum morte concidere videbatur, contra exitium columnam in ipſo ſortita ſit, cui tutò jam poſſit inniti. 7 Quantum paternis officiis, nobilitatique ſplendoris adiecerit ſeu ſanguinis illuſtriſſimi, ſeu electionis per viros ſapientiſſimos factæ prærogativâ.

nativitate. 3. Par laudis materies eruitur ex nativitate ritè in adjunctis, antecedentibus præcipuè, comitantibus, & conſequentibus conſideratâ veluti, quæ, 1. ſigna nativitatem prænunciârint, quæ in cœlo viſa, aut in terrâ; quæ à matre gravidâ. 2. quæ promiſſa vel divinitus ab angelis, aut ſanctis data præceſſerint vel conceptionem, vel nativitatem: 3. in quem annum, menſem, diem, horam, quibus, & quantis factis ex hiſtoria repetitis illuſtrem inciderit: 4. Quantorum virorum natales ortu ſuo illuſtrârit, & quanta,

ta ex paritate temporis, & naſcendi poſſint capi auguria futuræ vitæ: 5. Quis fuerit ordo, & modus nativitatis, quis locus: 6. Quis plauſus inter vicinos, in plebe, in aulis ſecutus ſit; quis genethliacam dixerit. Hæc omnia applicare potes Nativitati Servatoris noſtri, & ab eadem illuſtrantur.

4. Ingentem cuidam laudem nomine accerſis à nomine, ſi id 1. nomen eſt magnorum virorum, & illuſtrium operum prænuncium: 2. Si divinitus, aut ab Angelo, aut vaticinio impoſitum: 3. Si ab etimo, anagrammate, & ipſo ſenſu illuſtre quoddam virtutis encomium continet, uti S. Benedictus, S. Pulcherius, S. Formoſa, S. Pontianus: natus pinô &c. 4. Si nomen illuſtriſſimum illuſtrioribus operibus illuſtratum eſt, aut menſura nominis ſaltem impleta eſt, factis; 5. Si nomen rutilat in ſacris diptychis, templorum tholis, libris, faſtiſque inſcriptum: 6. Si ſæpius auditur in ſupplicum

precibus, in ſacris cæremoniis: 7. Si fuit ſtimulus ad virtutem, & inſignia opera; pulcherrimum eſt dici: „ nominis, & virtutis hæres „ fuit prægrandis: 8. tandem licet etiam diſquirere, quàm inſigniter nomen in ſtatu Religioſo acceptum reſpondeat nomini cum ſæculari vitâ dimiſſo, & quàm egregiis factis utriusque nominis menſura ſit impleta.

educatione

5. Licet optima mentis cultura ſit illa, quam quisque ſibi ritè impendit, laude tamen non vacat illa, quæ affertur ab inſigni educatione, præcipuè ſi hæc inſtituatur 1. à piiſſimis parentibus: 2. à probis, & doctis pædagogis: 3. à verbis, & exemplis optimis, ætati, ſexui graphicè reſpondentibus: 4. Si non ſolùm à bonis, ſed etiam inter bonos inſtituatur, in loco à tumultu vitiorum, & vitioſorum ſemoto: 5. Si poliatur exercitationibus nobilibus: 6. Si præmiis reddatur ſuavis, & moderatâ cenſurâ utilis: 7. Si ampliſ-

pliſſimi fructus reſpondeant culturæ impenſæ, & filius comparari poſſit cultiſſimo agro, aut fertili vineæ &c.

Euſebius. Quid cenſes de divitiis, & honoribus, nobilitate, & felicitate? *Eubulus.* Quod de gemmis: hæ velut ornant, cum patent, vileſcunt, cum latent: ita quoque illæ ſi in virtutis facie reluceant, non mediocre laudi adijciunt incrementum. Fidem facio exemplis.

6. Nam 1. divitiæ ſunt dona Dei, Abrahamo, Jacobo, aliiſque magnis amicis conceſſa in præmium virtutis. 2. Illuſtrant perſonam quandam, ſi certatim impenſæ ſunt in obſequium virtutis v. g. miſericordiæ erectis xenodochiis; aut Religionis, conditô quodam monaſteriô; aut pietatis, conſtructo gymnaſiô &c. 3. Si opulentus viſus ſit erogando certare cum fortunâ & facultate largiente. 4. Si in victu, famulitio, amictu promicet moderatio, & modeſtia. 5. Si abſit nota, quæ ſordes avaritiæ de-

431 *divitiis*

deſignare ſolet, & comitari. 6. Si divitias poſſideat, & non poſſideatur ab ipſis. 7. Si nec prodigalitate effuſus, nec tenacitate anxius liberalitatis mediam viam prudenter incedat. 8. tandem quæri poteſt, an, & quale nomen opulentus ſit meritus à pauperibus, ab oppreſſis, à captivis &c. qualia ſunt: ***Pater pauperum, ærarium indigentium.*** &c.

honoribus. 7. Par judicium feras velim de honoribus: virtutis ſunt umbra, ſigna, & etiam inſtrumenta, ac præmia. Et quidem 1. Si honor collatus eſt ob ingentia virtutis merita, & à principe ſapientiſſimo, & æſtimatore probitatis æquiſſimo. 2. Si honor ſine ulla quæſitus ambitione, vel adulatione emendicatus haud aliter admittitur quàm ſtimulus, & major facultas latiùs, & de pluribus benemerendi. 3. Si honor nihil mutat in moribus, ſed potius tenaciorem reddit animum priſtinæ modeſtiæ, humanitatis, benignitatis. 4. Si honor reddit quempiam ſuæ exiſtimationis retinentem ſine tamen invidiâ majorum, & contemptu minorum. 5. Siquis

Siquis honores ſuos non ſinat eſſe o-tioſos, ſed omnibus, quibus faſces dignitatis, etiam faces virtutis præferat. 6. Siquis operum magnitudine plus ſplendoris reddit honori, quàm ab honore acceperat.

8. Illuſtribus quoque prærogativis pollet nobilitas virtute ſtipata. 1. Si ortum ſuum à priſcis atavis repetere, & majorum gloriam in longiſſimâ nepotum ſerie conſervatam monſtrare poſſit. 2. Si militiæ in ſago, & domi in toga ſæpius non admirationem minus ac imitationem concierit, & bene meritis nomina ſua in faſtos miſerit. 3. Si ſanguinis nobilitas eluceat ex moribus, & dotibus. 4. Si ſit liberalibus diſciplinis exculta, & omnibus ingenui animi præſidiis ad bonum commune formata. 5. Si ſpectata ſit in graviſſimis negotiis, in legationibus, in aulis principium. 6. Si vivat poſt fata, ac fatis ſuperior ſpectetur in theatris, in feſtivis columnis, & ignibus. 7. tandem his accenſeri poſſent virgines ex illuſtriſſimis, & transmarinis *nobilitate.*

marinis familiis in connubium accerſitæ, pares huic prærogativæ ſunt conjunctio ſanguinis cum magnis, & ſanctis principibus. Quantam ex hoc fonte laudem hauries S. Emerico? Sed ſatis: properanti non licet immorari.

felicitate

9. Itaque ad felicitatem pergo, quæ conſiſtit tum in agendi dexteritate, cum in ſereno conſtantis fortunæ ſtatu. Ab hac laudem derivas in quendam 1. Si diuturnâ, & tranquillâ pace fruitur virtuti pridem debitâ. 2. Si felicitatem ſuam non ſinit eſſe privatam, ſed in bonum commune propagat. 3. Si rebus ſecundis non extollitur, ſed omnem fortunam ſuam modeſtiæ legibus ſubijcit. 4. Si rerum infauſtos eventus in virtutis exercitationem convertere poteſt. 5. Si omni fortunâ ſuperior ideo viſus ſit à Deo, & felicitate deſtitui, ut ſolem propiùs imitaretur, qui nubibus tegi, non obtenebrari poteſt. 6. Ad quantam ex caſu aſſurrexerit gloriam, ut

ut operum magnitudinem non ſoli fortunæ, ſed & virtuti, & Deo debere poſſet. 7. Quàm pulchrè, ac ſæpè dubium reddiderit, cuinam virtuti plus debeat, an fortitudini in adverſis, an modeſtiæ in proſperis caſibus, & quàm parùm fortunæ in mediô fortunæ curſu? 8. Quibusnam rebus ex merito comparari poſſit, an monti, an palmæ, an rupi? vel an non absque fuco dici poſſit redivivam cujusdam Conſtantini, aut alterius magni herois felicitatem in ipſum commigrâſſe, ne ejus virtus ulla comite careret, & ulla laude.

III. *Euſebius.* Quibusnam laudibus abundant ætas, ſexus, & conditio? *Eubulus.* Nullis ſed omnibus carent, niſi virtuti maritatæ ſint. Soli namque Deo laus debetur, & virtuti, quæ ducit ad Deum, & illi, qui propter virtutes præcellentiam meretur. Abſint igitur hîc illa cacogoga ſilicernia, quæ poſtquàm vitium vitiis ſuis omni ætati non veriti ſunt inferre, canos ſuos jactitant: 431. *Ætas.*

tant:

tant: abſint quoque illi Narciſſi, ac Ganymedes, quibus ſub nitida cute fœtet inglorius animus, & honeſti vel incuria, vel inſcia mens. Ab ætate ergo laudabis.

Puerum

1. Puerum, ſi 1. genus paternum, & maternum ducat ex ea familia, in qua virtus primas tenuit. 2. Si paternas, maternásque dotes dicas ex genis, & pulchra facie relucere, præcipuè affabilitatem, induſtriam, eruditionem ætate majorem, pudorem, innocentiam, & vitæ integritatem. 3. Si dicas eum ingeniô, ac docilitatis gratiâ ætatem prævertiſſe, afferre liberalibus artibus ceream mentem, virtuti natam, patriæ donatam, primæ ætatulæ in exemplum ſpeculi loco propoſitam. 4 Quantos æqui naturæ, virtutíſque arbitri ſoles polliceantur ex prima hac pueritiæ aurorâ. 5. Quantis profectibus ſuperet ſpes, & labores parentum, & præceptorum. 6. Quanta morum pulchritudo, vitæ innocentia, mentis moderatio eluceat in inceſſu, cùm agendum cum æquali-

bus,

bus, cum majoribus &c. 7. Quibusnam poſſit rebus comparari, an auroræ, an arbuſculæ &c. ? 8. tandem univerſim puerorum laudem repetas à ſeminibus virtutum, aut ſpebus, quas promittere cernuntur in quorundam operum rudimentis.

2. Adoleſcentem commendabis, ſi producas 1. dotes corporis, quales ſunt robur virium, oris decor, ſtaturæ dignitas; 2. ſi proferas vires ingenii acres, & ætate maturiores; ſi dicas ingenii felicitatem ſpectatam in publicis Academiis, & diſputationibus, eamque prodi litteris, ſermone, & quorundam operum magnitudine; ſi tandem 3. aſcendas ad virtutes animi, & dicas: Virtutes ſibi domicilium in ejus mente fixerunt, timor præcipuè Dei, pietas in parentes, obſervantia in magiſtros, caſtitas, fortitudo victrix ætatis, & vitiorum, quæ ætatem comitari ſolent, ut ſunt levitas in moribus, turbida in mente ſpes, & faſtus, libertatis, & malæ ſocietatis cupido. *Adoleſcentem*

Virum 3. Viri theſaurum poſſident omnium ætatum, ac eò majorem, quò plura participant à pueris de innocentia vitæ ſemper retentæ, nunquam læſæ, ſemper auctæ; ab adoleſcentibus de promptitudine diſcendi, & ſtudio ab operibus magnis ad majora proficiendi; à ſenibus morum gravitatem, conſilium in dubiis, in exploratis dexteritatem, in omnibus experientiam. Porro quædam ſpeciales virtutes ſunt producendæ, quæ pro varietate ſtatûs ſunt variæ, & eò quæque major, quò aptior ad exornandum viri ſtatum, dignitatem, officiúmve.

Senem. 4 Senectus fructus eſt ætatum, ejuſque finis: Unde Senem laudabis ab effectis, & operibus omni ætate patratis, ab optimo fine operum. Virtutes autem, quæ Senem commendant, ſunt; inſignis religio in Deum, pietas in patriam. 2. gravis prudentia longo rerum uſu, & experientiâ comparata in communem utilitatem, aut ſaltem multorum ſine jactantiæ, vel invidiæ vitiô

vitiô derivata. 3. Magna diſcretio in dandis conſiliis, & moderatio in recipiendis abſque cacogogiæ labe ſæpius ſpectata. 4. Hæ virtutes plurimùm extollunt Senem, ſi ſolæ non ſunt, & ſi cum cætero virtutum cœtu totum animum poſſident, ac vitium omne excludunt ea præ cæteris, quæ ſolent ætatem comitari, ut ſunt invidia, cacogogia, ſuperbia, inordinata triſtitia, & ira. 5. tandem dic à Sene triumphari ætatem, tum integritate virium, cum firmo inceſſu, operum magnitudine nullis hactenus ſenectutis interceptâ vectigalibus. Aut ſi demum cedere annis cogantur corporis vires, dic virtutes animi creſcere, conſtantiam præcipuè in perferendis morbis, ac cæteris canæ, & defeſſæ ætatis doloribus, & incommodis; dic etiam è propriæ ſalutis curâ quid agat; agique curet, ut ultima vitæ periodus feliciter abſolvatur.

IV. Sexum quod attinet, variam is ſibi laudem pro varietate conditionis, ſtatûs, & ſtudiorum con- 431 Sexu

ciliat. Univerſim Sexum virilem commendat prudentia artibus Liberalibus, aut multâ rerum experientiâ probè exculta; uti econtra muliebrem pudicitia, & eæ virtutes, quæ pudicitiam comitari ſolent, aut ab eadem nutriri.

Virginem. 1. Virginem ergo laudabis 1. à verecundiâ; 2. à ſolitudinis amore; 3. à ſedulitate; 4. à fuga otii, & virilis alloquii; 5. à devotione præcipuè in divinam Matrem Mariam; 6. à frequenti, & ſtudioſo divinorum Sacramentorum uſu; 7. à lectione ſedula ſacrorum librorum ſtatis horis inſtituta. Tandem ad laudem virginis cujusdam multùm accedit, ſi virtutis, obedientiæ, patientiæ, macerationis &c. aut operum ſimilitudine conferri poteſt Catharinis, Agnetibus, Thereſiis &c. ſi comparari poteſt lilio, dici Sponſa Chriſti, ex fortitudine in gravibus tentationibus ſpectatâ cœlo Amazon &c. Non ſine decore per acerbam apoſtrophen compellari hîc poſſunt Virgines Veſtales &c. aut per ſuavem invitari Angeli, ut ſuam

cum

cum hac virgine ſimilitudinem arbitrentur.

2. Conjugatam autem commendat fama virtutis, & pudicitiæ conjugalis. 2. Fæcunditas. 3. Sedulitas. 4. Obſervantia in maritum. 5. In cultu & victu moderatio. 6 magna cum magnis matronis præſertim in educatione liberorum ſimilitudo. 7. Fructus ſancti conjugii, quales ſunt egregiæ proles, frequentes eleemoſynæ, famulitium à vitiis eximium, domi, foriſque exemplum, frequentior Sacrorum uſus non tam imperiô intruſus, quàm exemplô inductus. *Fœminam*

3. Viduam extollis, ſi 1. dicas morum pudicitiâ, & vitæ integritate virgini ſimilem: 2. ſolitudinis amantem: 3. otii inimicam, & piorum operum ſedulam cultricem: 4. à voluptatibus abhorrentem: 5. à ſenectæ vitiis eximiam: 6. domeſticæ pacis ſtudioſiſſimam: 7. infractam animô in morbis, & quovis malô ſuperiorem: 8. cultu modeſtiſſimo virtutis potius, quàm mulieris ſimulacrum. *Viduam*

V. Ad conditionem n. 432. pertinet 434 *Conditione*

tinet tota ſtatûs cujusvis ratio. Atque ea ritè intellectâ redditur facilis via ad inveſtigandas Regum, Reginarum, Principum, Belliducum &c. prærogativas.

Belliducem. 1. Laudabis ergo Belliducem 1. à prudentia militari: 2. à grandi nominis heroici famâ multis, & magnis victoriis partâ: 3. à fortitudine variis in regnis ſpectatâ, & hoſtibus terribili. 4. Similitudine maximorum heroum: 5. à comparatione arcis, urbis, munimenti &c. 6. ab elogiis magnorum Principum: 7. ab adornatis triumphis: 8. à relatis ſpoliis: 9. à pace reddita patriæ per vulnera, & multa diſcrimina: 10. à monumentis hiſtoriæ à viro graviſſimo ſcriptæ, & immortalitate donatæ. Quid illuſtrius in rem, ac ſi dicas: „Alexandrum Magnum „rebus geſtis aſſecutus es. Ut vivas „in hiſtoria, nec tuus tibi defuit „Curtius: ſcripſit &c.

Principem 2. Majeſtas laudis, quam Principi magno debemus, conſurgit à gemina in Superos, & ſubditos pietate: illam demonſtrabis vel à cultu Sacrorum, à conditis, vel reſtauratis

tauratis templis, erectis gymnaſiis, & xenodochiis, aut ab exemplo magnæ moderationis in publicis proceſſionibus, & piorum cœtibus datô; aut ab aula vitiis aulicis eximiâ. Pietatem in ſubjectos demonſtrabis à dexteritate, felicitate, & inſigni prudentia, quæ in adminiſtranda publica re multos jam annos vicinis regnis ſpectaculo, ſubjectis provinciis ſolatio fuit admirando; à juſtitia in coërcendis improbis, & decernendis ſuppliciis, à clementia in infligendis; à fortitudine bellica, quæ militiæ ſæpiùs gloriosè ſpectata fuit; à chriſtianâ, qua non tantùm hoſtes donare, ſed & ſe ita vincere didicit, ut nullum ullius vitii jugum unquam tulerit. Ut proin jure merito ſit à Deo, & naturâ cæteris præpoſitus, cùm ſit melior univerſis.

3. Fæcundari hæc poſſunt, ſi in dilaudando Rege ſequentia capita diſcuſſeris. In corpore diſcute, quam laudem mereatur à forma, robore, agilitate, ſtaturâ cæteris eminente. In mente, quàm ingens *Regem*

ſit illud variarum virtutum palatium; ex quibus præ cæteris producendæ ſunt prudentia domi, fortitudo militiæ, religio in templis, moderatio, & majeſtas in omnibus, miſericordia in afflictos, clementia in reos, juſtitia in omnes. Multum quoque commendant Regem artium bonarum ſtudium, & amor, boni communis cura. Ut autem hoc corporis, & mentis decora non ſine decore producas, ex ſimilitudine operum inquirendum eſt, cujnam rei poſſis regem comparare, an ſoli ob utilitatem rei communis? an monti ob fortitudinem bellicam? an leoni ob terrorem hoſtilem? an numini cuidam ob magnificentiam? Reviſe dicta n. 400. 3.

Reginæ 1

4. Ex his præcipuè n. 433. dictis laudabis fæminam principem, Reginam, Auguſtam &c. animum quoque advertere potes ad hæc puncta. 1. Charites, & Gratiæ omnes videntur ſua dona in hanc Principem contuliſſe. 2. Claritas generis maxima, fuit illuſtrata virtutibus, virtutes invitatæ ſunt à teneris annis, ac inter eas adolevit ad maximas ſpes,

Spei

Spei fructus jam decerpunt integra regna, talis fructus eſt animi moderatio, integritas morum, miſericordia in miſeros, liberalitas in omnes, ſtudium propagandæ religionis in priſcis heroinis quæſitũ, in ipſa inventum. 3. Fæcunda fuit virtutibus, & fætibus: illis cœlum his regnum ſibi demerita eſt: illas ſtudiô ad exemplum, hos educatione ad fulcimentum regni maximum efformavit. 4. Pulcheriæ, Mathildes, Radegundes, Blancæ, atque præteritæ omnis ætatis heroinæ in ejus moribus elucebant: quin erant diſperſa per omnes, quæ hæc noſtra Regina collecta tenuit, dona Dei. 5. Sidus quoddam eſt, luna, hortus, civitas &c.

VI. *Eubulus*. Tantæ eſt virtus præſtantiæ, ut laudes, & prærogativas ſuas non ſolùm perſonis, de quibus hactenus à n. 419. communicet, ſed etiam rebus, in quibus aliquæ vel veſtigia aliqua, vel effectus deprehenduntur, quandam præcellentiam ingeneret. Hanc ob cauſam in Sacris paginis (ut de aliis conſulto taceam) Sol, & Luna, elementa quæque; facta, operáque ſingularia

431. operum ſingularium, & rerum

magnis laudibus extolluntur, quòd ſint illa quædam imagines, hæc quidam effectus virtutum. *Euſebius.* Sed quî res extra hominem poſitæ, & opera virtutum ſingularia ab homine elicita laudari poſſunt? *Eubulus.* Rerum nomine intelligimus omnes creaturas tam animatas, quàm inanimatas; operum autem, quamvis virtutis actionem.

animatarum, & inanimatarum.

operum ex Adjunctis.

1. Laudabis itaque actionem ex ſequentibus capitibus, & quidem ex adjunctis, quæ hic bifariam poſſunt eventilari, prout nempe perſonam gerentem, & rem geſtam afficiunt: 1. ex nomine perſonæ. Vide n. 430. 4. 2. ex naturâ, ad quam reducuntur parentes n. 430. 1. n. 433. majores n. 430. 2. patria n. 430. 1. ſexus n. 433. ætas 432. conditio n. 434. mentis à n. 422. ad n. 429. & corporis opes n. 420. Disquirendum itaque an Majores operi facem prætulerint exemplis, monitis? an operis magnitudo ætatem, & ſexum ſuperârit, an mirè utrique conveniat? an perſona robore, pulchritudine; ingenio, & virtutibus polleat. Eundum hic eſt ad ſpecies. 3. ex educatione. Reviſe n. 430. 5. præcipuè

perſona gerentis: nomine natura.

educatione.

cipuè effectus bonæ educationis notentur. 4. ex fortunâ, quæ divitiis, honoribus, nobilitate, & felicitate conſtituitur, ut habes n. 431. trutinandum ergo, quam modeſtè ſe in honorum, opumque affluxu geſſerit is, quem laudas. 5. ex habitu, quo nomine veniunt omnes artes, ſcientiæ, & virtutes ſtudiô, & induſtriâ partæ. 6. ex affectione, quæ ex Tullii ſententia definitur animi, vel corporis ex tempore, aliquâ de cauſâ commutatio, velut triſtitia, dolor, morbus, febris. Suggerit affectio laudis materiam, ſi demonſtres perſonam non ductam cupiditate, non impulſam ambitu ad facinus, ſed Dei gloriâ &c. 7. Perpendi etiam poſſunt alia adjuncta, quæ n. 215. recenſentur.

fortuna.

habitibus

affectione.

2. In Adjunctis, quæ rem geſtam afficiunt, conſidera 1. rem ipſam, ut quàm ſit magna, inſolita, inexpectata, difficilis, &c. 2. Quo loco geſta ſit, an commodo? an difficili? an in ſolitudine? an coram multis, & magnæ auctoritatis arbitris? 3. Quo tempore. Extollimus facinus, ſi geſtum dicimus tunc, quando magna

rei geſtæ quidditate.

Loco.

tempore.

na neceſſitas urgebat, aut eximia prudentia exigebat, aut quando nemo poterat præmiis allicere, aut exemplis trahere. Sic celebrabis Davidem ante Chriſti exempla pro inimicis orantem. Notatu dignæ ſunt temporis differentiæ, ut nox, dies, tempus belli, pacis, peſtis; temporis brevitas, qua prolixum, & grande facinus conficiundum erat, & intercapedo, nec non ſilentium, aut tumultus.

mediis 4. In capienda temporis, & mediorum electione commendetur maximè prudentia fortitudine, & gravi judiciô ſtipata, & ſpectata. E mediis quoque laudabis aliquem, ſi dicere potes, quòd facinus ſolus patrârit, aut ſi ſocios admiſit, quantùm inter eos eminuerit ſtudiô, dexteritate, aliáve virtute.

modo. 5. Mediis affinis eſt modus, qui facinus mirum quantùm commendat, ſi ſit novus, inuſitatus, inexſpectatus, difficilis, & qui non niſi à viris ſapientiſſimis inveniri, aut fortiſſimis adhiberi poſſit, ſi ſit profectus ex ſerio, & magno conſiliô nulli iræ, ambitionis vitiíve alterius motibus capto.

436. *Partitione, & Specie.*

3. In facinore celebrando magnam

nam vim præbet Partitio, & Species. Uterque Locus pro materiæ varietate monſtrabit, quàm multa fuerint in facinore, quæ promptitudinem, quæ audaciam, quæ ſcientiam, quæ virtutem ſingularem, & longam experientiam depoſcebant.

4. Ex utroque Loco ingentem laudis materiam præbet Comparatio, & Similitudo, cùm facinus comparamus obſidioni, prælio &c. facinoris autem auctorem leoni, ſoli, duci &c. Dic quas perſonas ſumpſerit, quàm prudentis conſiliarii, cùm facinus deſignavit? quàm interriti militis, cùm aggreſſus eſt? quàm modeſti victoris, cùm confecit. Inſtitui quoque poteſt comparatio gemina, à minori ad majus: utraque dictorum, vel factorum. Unâ producimus aliorum opera, vel dicta, & id, quod præ manibus habemus ex Loco Adjunctorum & Effectorum ſingulis præferimus: alterâ afferimus præteritæ vitæ operumque gloriam ac dicimus illa hujus fuiſſequædam rudimenta, cauſas, vel effectus. Adi claritatis gratiâ n. 402.

Comparatione, & Similitudine

5. In cauſa finali n. 238. declaratâ conquire cauſas, quibus is, quem extol-

cauſa finali.

extollis, ad facinus fuit animatus, ac permotus. Ac quò cauſæ hæ impellentes fuerint ſublimiores, honeſtiores, pulchriores; eò majores aquiris interſtinguendæ tuæ panegyri pulcherrimæ laudis margaritas. Velut ſi dicas facinus ſuſceptum nullo privati commodi ſtudiô, ſolius patriæ commodô, aut divinæ gloriæ propagandæ zelô.

Contrariis. 6. Juvat hic etiam inſerere per partium enumerationem, quàm multa potuerint à cœptis avocare, niſi finis, hoc eſt patriæ, Deique amor omni labore, diſcrimine, metuque fuiſſet ſuperior.

Effectis, de 7. Tandem ad erigendas Pyramides, adornandos triumphos, & ciendos plauſus producendi ſunt facinoris effectus varii. Frænum hìc relinquendum eſt Partitioni, ac ex ea producendum, quàm inſignia ex facinore in bonum commune ſint derivata commoda? quàm illuſtria data ſint omnibus ætatibus virtutum exempla? quàm multa ſint ſublata damna &c. Tum ſi vaticinari ex prudentiæ regulis licet, potes facinus pone-

ponere in cauſa efficiente, ac ex n. 235. & 236. proferre, quid facinoris magnitudo ſuaſura, captatura, effecturáve ſit in republica chriſtianâ, in ſcholis aliisque adjunctis.

8. Hæc panegyrin condendi ratio dominatur maximè in Quadrageſimalibus ſermonibus, quos Faſten-Exempel vocamus. Atque inde in vituperandis factis ſceleſtis eadem methodus contrario tamen modô tenenda eſt, iidemque Loci diſcutiendi ſunt. Ne autem deficiat ſylva rerum, obſervari debent, quæ n. 402. de Propoſitione dicta ſunt.

437. *Scientiis, &c.*

VII. *Euſebius.* Sed ex quibus fontibus hauritur materia ad animandas laudes artis, ſcientiæ, artefacti, rei animatæ, & inanimatæ? *Eubulus.* Ferme ex Locis n. ſuperiore citatis.

Artibus ex definitione.

1. Scientiam ergo, vel artem laudabis 1. ex definitionibus conglobatis hauſtis è Loco ſimilitudinis, comparationis, effectuum &c.

adjunctis

2. ex *adjunctis*, quantam ab antiquitate, à neceſſitate, à facilitate, aut difficultate laudem ſcientiæ, vel ars iſta repetat; atque inde ex

Conſe-

Conſequentibus proba, quantis ornamentis, & commodis respublica careret, ſi ſcientia hæc aut adducta nunquam, aut adamata, exercitáve fuiſſet; inde ad *locum* & *tempus* digrediens contende, quantum uſum, quantam exiſtimationem apud omnes liberas nationes habeat, habueritque ſemper: adducendæ ſunt hîc per Proſopopœjam, aut Apoſtrophen Italia, Gallia, Hiſpania &c. ſententiam de arte dicturæ. Pergendum porro ad *media*, quibus adducta, nutritaque fuit; quàm multi ex publico Regum ærario, nobilitatis, civiúmque liberalitate ſumptus facti ſint, quàm multæ, & inſignes erectæ ſcholæ &c. In *modo* conſiderabis ipſius ſcientiæ mirificos progreſſus, candidatorum, profeſſorum, & diſcipulorum tum nobilitatem, cum multitudinem.

cauſa materiali

3. In *cauſa materiali* diſquires, quàm res, circa quas verſatur ſcientia, ſint multæ, variæ, nobiles.

efficiente

4. In *cauſa efficiente* inveſtigabis ſcientiæ inventores; quàm illi fuerint

rint clari publicis honoribus, ingeniô, virtutibus &c.

5. *In finali* produces cauſas, quæ viros maximos ad tam varia, & ſumptuoſa ſtudia permoverint ſcientiæ, vel inſtituendæ, vel propagandæ ergo aſſumpta? *finali*

6. *Ex effectis* hauries multam dicendi materiem, ſi proferas quantam ſcientia hæc pariat voluptatem, honeſtatem, quanta commoda in privatos non minus, ac magnos exporrigat. Dominetur hîc Enumeratio partium. Adduci hîc etiam poteſt ſyllabus virorum illuſtrium, quos hæc ſcientia reipublicæ chriſtianæ genuit, deſcendere dein licet ad horum opera ſingularia, quæ ſine arte confici non potuiſſent. *Effectis.*

7. A contrario ſcientiæ cuidam multùm accedit, ſi dicere potes ſine ea leges tam in ſacro, quam profano foro ſtabiliri non poſſe, nec ſervari, hominum mores abire in barbariem, velut videre eſt in hac, illáve natione. Ad exornanda contraria, & effecta prodeſt uſus nominum propriorum pro appellativis. In rem ſerviet Va- *contrario*

gus Status n. 96. Sic pro *Rhetores dicunt*, melius ſubſtitues; *Alcuini*, *Bedæ*, *Caroli Magni dicunt.*

Comparatione 8. Ex Comparatione, & Similitudine licet eruere magnas laudes, ſi ſcientiam ſimilem dixeris Soli, aſtróve alteri, aut fæcundiſſimo horto, aut columnæ, aut aulæ, animæ, vel ſcholæ, matri, magiſtræ, regulæ.

tabulis 9. Ex tabulis produces magnorum virorum dicta, apophthegmata, judicia.

exemplis 11. Tandem Inductione exemplorum oſtendenda eſt artis, vel ſcientiæ præſtantia. Id feliciter conficies, ſi, quid amore ſcientiæ, vel artis geſtum ſit, ritè demonſtrâris.

438. *Artefacti* VIII. Nomine artefacti veniunt ſtatuæ, picturæ, templa, domus, naves, palatia, & omnium Scientiarum effecta, velut Poëſis, eſt carmen; Hiſtoriæ, Narratio; Rhetorices, oratio, & ſingularum artium editi libri. Exemplum pro omnibus ſit templum, & urbs. *Euſebius.*

Urbis ex Unde ergo extollendis urbibus haurio materiam.

Eubu-

Eubulus. 1. ex cauſa efficiente, producéſque ejus originem, conditorem, recenſebíſque utriusque adjuncta, quàm illa fuerit mirabilis, hic quàm prudens, & potens. 2. Ipſius urbis adjuncta ventilabis, velut eſt ſitus, forma, leges, & fortuna. In ſitu perpende, quàm is ſit amœnus à colle, cui impoſita eſt; vel à flumine, à quo alluitur; vel à planitie, in quam diffunditur; vel à cæli aſpectu, à quo ad meridiem, vel ad ſeptentrionem collocatur in loco ſalubri, vel inſalubri, fæcundo, vel infæcundo. Huc ſpectat externa urbis facies, quam præbent è vicino irrigui horti, fertiles agri, opacæ ſylvæ, plana camporum montibus interſtincta. *cauſa efficiens.* *adjuncta ſitûs*

Formam elaboret hypotypoſis, ac urbis in longitudinem diffuſæ, vel in latitudinem exporrectæ magnitudinem deſcribat. In legibus conſidera earum præſtantiam. Hanc facilè aſſequéris, ſi legum effectus, & magnam ad arcendam improbitatem, & inſtaurandas virtutes effi- *forma.* *legum*

caciam conſideres. In fortuna perpende, quantæ ſint urbis opes unde hauſtæ, quàm genuinis mediis, quibus commerciis, iisque quàm amplis, quantùm ad eas videantur conferre virtutes civium, & cœlitum liberalitas.

diviſione morali.

3. Magnopere ad trutinam revoca partes urbis, quarum aliquæ ſunt phyſicæ, morales aliæ. Hæ ſunt virtutes incolarum, ut Senatûs juſtitia, civium obſervantia, omnium religio, morum probitas, humanitas, bonarum artium excellens ſtudium, inſignis apud exteros famæ gloria, domi, & militiæ parta. &c.

phyſica.

Partes phyſicæ ſunt Academiæ, munitiones, templa, ædificia, plateæ. In munitione conſidera turres, propugnacula, arces, mœnia, dicque, quàm ſint firma artis, & naturæ beneficiô: in templis perpende multitudinem, majeſtatem, opulentiam à Sacra ſupellectile, & reliquiis Sanctorum; in ædificiis aliis autem, quàm magna ſint, quàm

multa,

multa, quàm magnificis interſtincta ſint palatiis, qua conſtent materiâ, quo condita ſint artifice armamentaria, bibliothecæ &c. quas poſſint antiquitatis opes, & monumenta oſtentare. In plateis autem conſideranda eſt amplitudo, ſeries, ordo, aquæ ductus, ſalientes fontanæ, pyramides, ſtatuæ &c.

4. Conſtituenda eſt urbs ipſa in cauſa efficiente, dicendúmque à quot, & quantis ſæculis ſuam antiquitatem, gloriam, artes, & ſcientias conſervaverit; quid invenierit, quos duces, Doctores &c. genuerit, in quos faſtos ſua, & civium ſuorum nomina miſerit, ac quàm eximiis operibus; quàm inſigniter tam adverſam, quàm proſperam fortunam in obſequium, & triumphum virtutis duxerit; quàm feliciter, & fortiter errores, hæreſin circumgraſſantem mœnibus, & moribus arcuerit. *cauſa Efficiente.*

439. IX. Ut templum laudes, eædem ferme cauſæ ſunt adeundæ, ac iidem Loci. Singulos ordine recenſeo. *Templi*

Definitione

1. In definitione inveſtigabis varia elogia, & elogiorum authores. Sic dices templum aulam, domum Dei &c. Adi n. 182.

Partitione

2. In partitione conſidera partes morales, & phyſicas. Hæ ſunt propylæum, pronaus, alæ, concomerata faſtigia, exedræ, chori, ſacrarium, turres, campanæ, ſuggeſtum, aræ, Reliquiæ ſacræ, ſtatuæ, picturæ, ſacra ſupellex. In ſingulis his perpende iſthæc adjuncta: quàm magna ſint, quàm pretioſa, quàm multa; quantùm ex eis eluceat ars, conditorum opulentia, & devotio. Morales partes ſunt, miniſtri templorum, uti ſacerdotes, confeſſarii, concionatores &c. quos ſi multùm celebrare potes à doctrina, ſanctitate, ac utriusque inſigni famâ profectò plurimùm præſtiteris.

Genere, & Specie.

3. A Genere, & Specie haud ſteriles laudes emendicabis, ſi, quod in aliis ædificiis invenitur ornamenti, dicas in hoc templo promicare, atque adeo majeſtate certare cum maximis Regum palatiis, dignitate cum templo Salomonis.

4. Ex

4. Ex Similitudine, & Comparatione feliciter invenies in toto univerſo hoc plurima, quibus templum conferre poſſis, uti ſunt arx, urbs, paradiſus, aula, mundus, & cœlum ipſum. &c. In hoc cœlo invenies SS. Trinitatem, SS. Angelos, Cœlites, ut de ſole, & ſtellis nil dicam. *Similitudine, & Comparatione,*

5. In Adjunctis examina, in quàm ampla urbe, & illuſtri loco ſitum ſit templum; à quàm multô, diſſito, & frequenti populô conſtanter adeatur; quantam laudem, & ex laude famam habeat â publicis devotionibus, indulgentiis, ſacris concionibus; à multitudine conſcientiam expiantium, divinô epulo ſe reficientium; quantam ab eventibus, ut ſunt miracula, & cœlitus præſtita beneficia; quanta ſit animorum, & ſumptuum contentione conditum; á quo, & quantâ ceremoniâ, plauſu, concursúve ſit dedicatum. *Adjunctis.*

6. De cauſa materiali, & for- *cauſa materiali, & formali.*

 mali

mali nil attinet dicere: utraque ad egregiam totius templi hypotypoſin tibi materiam miniſtrabit. In cauſa materiali conſidera, marmoris, æris, auri, aliorumque, ex quibus conſtructum eſt templum, pretium, & dignitatem.

fficiente.

7. Cauſa finalis, & efficiens principem locum obtinent. Hæc pandit conditorem, ejusque adjuncta, velut ſunt majeſtas regia, eximia ſanctitas, doctrina, opulentia. Hic recenſere licebit, quantum operis, & æris, ſtudii, & virtutis ad fabricam attulerit conditor: quos, & quàm multos, quantisque ſumptibus evocârit ad opus artifices.

finali.

8. In finali habes ſtimulos, quibus conditor ad fabricam pertractus eſt, qualia ſunt cœleſtia monita, aut imperia, incenſus in rem Marianam, & divinam affectus, ſtudium virtutis, præcipuè fidei vel implantandæ, vel conſervandæ ſingulare.

Effectis.

9. Effecta tandem aperiunt ſtudia

pro-

probitatis, & devotionis, quæ in templo concitata ſunt: converſiones quoque conſceleratorum, frequentes peregrinationes fidelium, magnorum principum vota &c. Fæcundiſſimus ſimul atque frequentiſſimus eſt hic Locus, ſi templum juxta dicta n. 400. conſtituis in quadam metaphorâ, v. g. arcis, dicaſque quid hæc arx effecerit contra dæmonis poteſtates, quantum habeat à Cœlitibus præſidium, quàm tutos præſtet ſuos inquilinos &c.

X. *Euſebius.* Quâ induſtriâ laudem conciliabo rebus tam animatis, quam inanimatis? & quæ ſunt animatæ? *Eubulus.* Animatæ ſunt omnia animalia, & de iis, utcunque vilia, & parva ſunt, ſi ſequentes fontes aperueris, panegyrin condere potes. 440. *Rebus animatis, & inanimatis.*

1. Fons eſt acceſſus quidam ad quandam dotem humanam vel humanæ virtutis delineatio, aut veſtigiũ. Atque ex hoc fonte cæteri ferme profluunt. Unde quò major eſt animalis acceſſio *Animalis imitati & hominis quo ad*

ad hominem, eò perfectior evadit ejus laudatio.

Intellectum 2. Eſt vivax imaginatio, phantaſiæ, & veluti cujusdam prudentiæ ſemina. Quâ prærogativâ excellit elephas, canis, equus, ſimia. Videmus enim hæc animalia quibusdam velut artibus tam ad delectationem, quàm utilitatem frequenter imbui.

virtutem 3. Fons ſunt quædam virtutis rudimenta; ſic generoſitas conſpicitur in leone, & equo, fides in cane, manſuetudo in ove, laboris patientia in bove, caſtitas in apibus, vigilantia in anſeribus.

vocem 4. Fons eſt vocis humanæ imitatio, qualem miramur in graculo, in corvo, pſitaco; aut certè ejusdem ſuavitas, quâ pleræque aves excellunt, præſertim philomelæ.

agilitatem 5. Eſt agilitas, quam ſuſpicimus in aquila, & reliquo volucrum grege, in cervis, in equis &c.

utilitatem 6. Eſt utilitas. Quantum non emolumenti confert ad rempublicam equus, bos, camelus? Arant, militant, commercia conſervant, & propagant.

7. Eſt

7. Eſt fortitudo, & robur corporis, quo pollent elephantes, cameli, equi, boves; Immorandum eſt hîc effectis, qualia ſunt, Ingentia plauſtra vectant. *fortitudinem*

8. Eſt pulchritudo, quæ vel ex colore promicat, ut in cygno, pavone, vel equo; vel ex membrorum dignitate, aut majeſtate, qualis cernitur in leone, in aquila, in equo. *pulchritudinem*

9. Tandem fons eſt Locus Rhetoricus, isque ferme quivis, præſertim eruditio tum ſacra, cum profana; qualis eſt illa Num. 22. de aſina Balaam: aut de mulo Æſopi fabula 236. *eruditionem*

XI. Inanima ſunt duplicis generis: alia ſuum ortum naturæ, alia debent arti. Hæc ſunt palatia, templa, ædificia, ſtatuæ, imagines, campanæ &c. 1. illa complectuntur omnem creaturarum chorum, omnia elementa, plantas, arbores, ſidera &c. *Euſebius.* Sed qua ratione firmo *Contentionem* in panegyri hujusmodi rerum? *Eubulus.* De artefactis jam dixi n. 438. & ſeqq. Res inanimas ex his capitibus laudabis. Exemplum ſit regio, terráve. 441. *Inanimatis*

1. Ex

Regionis ex cauſa efficiente

1. Ex cauſa efficiente dices Dei potentiam elucere in hac regione; produces regionis cultores, cultorumque tum artem, cum induſtriam.

effectis

2. Ex effectis dices, quàm multos, varios, utiles, ac pretioſos fructus proferat regio: declinare hic licebit in adjuncta, atque dicere quàm facili culturâ ſuos hos fructus producat, quanto hominum emolumento tam incolarum, quâm accolarum.

partitione,

3. Partitione luſtra partes regionis, & invenies alias metallis, alias venetis, alias fæcundiſſimis agris abundare.

In ſingulis conſiderabis, in quàm multas conſurgant urbes, diffundantur pagos, diffluant fluvios, erigantur montes, & valles demittantur.

adjunctis,

4. Recenſe harum partium adjuncta v. g. loci: quàm propitio cœlo, & ſiderum influxu poſitæ ſint. Totius tandem regionis adjuncta referens dic, quantam ex geographiæ legibus imaginem efformet, & quàm hæc ſit fæcunditati regionis glorioſa, &

& quibus ſacramentis plena. Cæte-
ra fere mutuari poſſunt ex dictis n.
438. de urbe: hæc autem, & illa fa-
cilè traduces ad alias res inanimatas,
uti ad cœlum, ſolem, fontes, me-
talla, ignem, aquam, meteora. In
ſingulis laudandus eſt Deus, & ab
eo tanquam cauſâ efficiente laus in
rem derivanda eſt. In ipſa autem
re conſidera effecta, ut qualia produ-
cat in rem communem commoda,
voluptates &c; porro adjuncta e. g.
quàm res ſit magna, pulchra, quan-
ti habita, ad quam mirabiles effectus
à Deo, angelóve, vel homine ſit u-
ſurpata. &c. Applica has generales
regulas igni, & næ condes igneam
de igne panegyrin.

XII. *Euſebius*. Placet mihi dives iſ- 442 *practice per propoſitionem*
te laudis producendæ apparatus. At
res tam varias, tamque diverſas in
unam orationis fabricam non ſine
ſymmetriæ, & ordinis decore colliga-
re, ſimul & apto tranſitionis glutine
connectere difficillimum exiſtimo.
Quid conſilii amoliendo difficulta-
tem ſuades? *Eubulus*. 1. forma ſis
aptam

aptam propoſitionem, de qua dixi n
inventionem 399. toto §. 2. 2.veritatem in propoſiti
one contentam divide. *Euſebius*. Quo
modo? *Eubulus*. Diſquire ſingulas vo
culas tam prædicati, quàm ſubjecti
tum ſingulas divide, & quæ diviſ
ſunt, ex acri regulâ judicii præpara i
fabricam panegyris. Do exemplum
ex Pſalmo 67. 36. hâc theſi: *Mirabi
lis Deus in Sanctis ſuis*. Divide ita
que voculam *Deus*, & dic quàm mi
rabilis ſit Deus in *potentiâ*, cùm Sanc
tos creavit, redemit, per miranda
vias ab incunabulis ad ſanctitatem
perduxit; ecce tibi quantùm poſſ
hic extollere brachium virtutis div
næ in creatione, in paſſione, in pe
ſecutione. Dein mirabilem dic
Dei Charitatem, quâ Sanctis tam m
rabiles gratias contulit. Deſcende
hîc ad particularia, demum liberalit
tem Dei prædicabis, cùm, quæ San
tis in cœlo præmia deſtinat, extul
ris. Digredere hîc per Partitione
ad dotes corporis, & ment
Eâdem dividendi ratione ute
in *Sanctis*, probabiſque Deum mir
b

bilem in Apoſtolis, in Martyribus &c. in quavis ætate, ſexu, natione. Tandem vocem *mirabilis* conſtitue in cauſa efficiente atque dicito, quantam in nobis admirationem tanta Dei potentia, charitas, & liberalitas debeat concitare &c. hortaberis dein in Peroratione ad gratitudinem pro beneficiis Cælitum univerſitati collatis &c.

3. Cùm hunc in modum materiam inveneris, inventam diſpone in certum ordinem. Atque is alius eſt rationis, alius temporis. Ordo temporis eſt, cùm ea primo loco dicis, quæ primò tempore contigerunt, in ſecundô, quæ ſecundô; & ſic deinceps. Exemplum erit citati Pſalmi 67. 36. ſi per totam primam proximam Deum mirabilem eſſe contendas in nativitate Sanctorum, idque probes ab antecedentibus, conſequentibus, & partitione; ſi dein per ſecundam proximam percurras reliquam Sanctorum ætatem, ætatisque ſtatum, & ſortem; ſi recto tandem ordine per-

diſpoſitionem.

temporis.

ve-

venias ad terminum vitæ, & in tertia proxima delinees mortem Sanctorum, & quæ mortem ſecuta eſt, æternam gloriam, & inde orationem convertas ad prodigia, ad apotheoſin, ad conſtructa eorum nominibus templa &c.

rationis. Ordo rationis, eſt, cùm nullâ temporis prioritate, aut poſteritate attentâ fabricam orationis coordinamus ex artis, & rationis beneficio adjutæ à natura rerum. Exemplum habemus ex ſenſu S. Odilonis dicentis S. Patriarcham Benedictum *Solem.* Si dicas eum per primam proximam ſolem in ſæculo, per ſecundam in eremo, per tertiam in caſino, habes ordinem temporis; ſi verò reflectas animum ad dicta n. 400. 3. & quæ ſoli competunt ex naturâ, transferas ad S. Benedictum, tenes ordinem rationis, e. g. 1. Sol magnitudine ſplendore, & virtute ſiderum princeps eſt. 2. Quieſcit nunquam, ſemper ardet, currit ſemper. 3. Mirandus eſt in effectis, fovet animata, inani-

inanimata excoquit, uti aurum. Ut jam ſerves ordinem rationis, dic S. Patrem ſoli per hæc omnia ſimilem, ac in prima proxima contende, quàm magnus ſit à gratiis, ſplendidus à virtutibus, prodigioſus ab operibus: in ſecunda profer, quanto arſerit amore, quantóque zelô cucurrerit per ſe, ordinémque ſuum ad infidelium terras, ut fidei lumine illato incenderet orbem univerſum: in tertia evince, quantùm foverit ſcientias, quámque pretioſo virtutum, omniúmque ſcientiarum auro ditârit Eccleſiam. Atque hâc methodo haud inſulsè propones hanc theſin in feſto S. Patris, priorem in feſto Sanctorum omnium. In ordine rationis juvat contentionem inchoare à partitione propoſitionis e. g. hujus. *S. Anſelmus fuit alter Joannes*, ac dicere. Tribus enituit S. Joannes: virginitate, Virginis commendatione, & ſcriptione. Jam per ſingula diſſerendo vivam in Anſelmo Joannis imaginem exſculpere potes. Id quod vitæ ſeriem evolventi, & excerpenti facillimum erit. Fuit námque vir plane virgineus, immaculatam B. V. Conceptionem defendit acerrimè, ſcripſit pulcherrimè, & in ſcrip-

tis ſuis mentem Joannis inſigniter deſcripſit. Plura in hunc dabo infra.

§. VII.

Præcipua capita, quibus panegyris quævis ſtabilitur, afferuntur.

443 *Condere panegyrin in ſpecie*

I. EUbulus. Soli virtuti laus debetur. Atque inde laudem à fuco eximiam ſoli virtutis ſtudioſo tribuere poſſumus, eámque pro vario ſtatu, & tempore variam. Et hæc varia laus virtuti debita conſtituit variam panegyrîs ſpeciem, ſeu variam laudandi rationem, uti Genethliacam, Luſtricam &c. *Euſ.* Explica mihi ſingulas. *Eub.* Addico tibi operam, ſed brevem. Tu brevitatem ſtudiô attentionis reſarci.

Genethliacam.

Prima eſt oratio genethliaca, qua prolem natam gratulamur parentibus. Exordium ducis vel à loci, vel temporis, vel perſonarum adjunctis, quibus natus eſt puer. Atque adeo dices diem albô notandum calculô, urbem natalitiam, vel parentes novo ſidere illuſtratos à Superis. Probabis id eruditionibus vel à loco, vel tempore

pore repetitis. Adducenda ſunt antecedentia, comitantia, & conſequentia nativitatis. Illa ſunt ſomnia matrum, prodromi, vaticinia Sanctorum hominum. Exemplum eſto Nativitas S. Columbani, quæ ſole; S. Wolfgangi, quæ ſtellâ; S. Ebbæ Abb. quæ tinnienti campanâ matri præſignata fuit. Nota ſis Vagum *Eventus*, ad quem referenda ſunt Nativitatis adjuncta. Dicendi quoque materia ſumi poteſt ex formâ, ſexúque infantis, ex communi viciniæ plauſu, ex majorum, & parentum geſtis, famâ virtutis, & meritis. Infans comparari poteſt arbuſculæ, gemmæ, flori. Ultima proxima inſigniter occupatur in deducendis ſpebus maximis, quas in parvo puero collocat patria, probi quique. Epilogus animetur fauſtis apprecationibus, nunc parentibus ſolatium, nunc patriæ columen gratulaberis; nunc matri pro partu, nunc Superis pro dono ages gratias, ac tua demum ſtudia pollicebere, precéſque, ut infans creſcat in eum virum, quem ſibi proborum omnium ſpes promittit, maximum. Ex his capitibus inſigniter dices in Nativitate S. Joannis

 Bapt.

Bapt. S. P. Benedicti, aliorúmque Divorum.

444 *Luſtricam* Secundam panegyris ſpeciem, dico luſtricam, quâ cuidam nomen impoſitum gratulamur. Eſtque duplex. Unâ infanti nomen primò impoſitum, alterâ novum nomen nomini adjectum adulto gratularis. Utriusque Exordium duci poteſt ab eruditione, veterúmque conſuetudine. Confirmatio autem, cùm de infante dicis, ferme tota eſt in declarando nomine, ejúsque etimo, in vaticiniis, ſignis, ex quibus legimus ſpem, puerum nomini grandi factîs reſponſurum. Si adulto nomen adjectum gratularis, debes in prima proxima producere excellentiam nominis adjecti e. g. *Magni* S. Gregorio I. noſtro; in ſecundâ, facta, quibus promeruit nomen; in tertiâ viros illuſtres, qui eodem nomine inſigniti Gregorium tamen nunquam potuerunt factis æquare, minus tale nomen mereri. Prodeſt etiam comparationem inſtituere tam nominum, quàm perſonarum, dicásque S. Gregorium *Magni* præconiô majorem, quàm Veſpaſianum decantatô illô: *delitiæ orbis* &c. vel inter omnes *Magnos* e. g. Alexandros

xandros Gregorium eſſe primum, aut maximum, ac tam perſonarum, quàm nominum laudibus præcellere. Animum quoque in hac laudandi materia reflecte ad cauſam efficientem nominis, ut ſunt omnes Onomathitæ, ſeu qui nomina impoſuerunt. Sic Deus Adamo Gen. 5. 2. Angelus Iſmaëli Gen. 16. 11. Joſepho, Rachel Gen. 29. 24. Conſiderandum dein quàm magnis rationibus moti Onomathitæ hoc nomen impoſuerint huic perſonæ, quàm magnis operibus promerita ſit nomen, quàm magnis geſtis nomen impoſitum adauxerit, illuſtrâritque. Eſt hæc oratio panegyrica in Divorum feſtis diebus pulcherrima, ſimul & facillima. Exemplum ſumamus à magno illo ſpiritûs magiſtro Gerardo Belga, qui in ſuis Dictis, & factis, & ab antiquis Hiſpanîs, qui to. 1. an. 569. apud Yep. c. 1. S. Benedictum dixerunt *Patrem admirabilem*. Exordium duces â variis elogiis S. Patris, in Exordii Apodoſi laudabis Gerardum, & Hiſpanos. Contentionis primam proximam occupent geſta S. Patris, quibus illi ad hanc Onomatopœjam fuerunt permoti: in ſecunda declaretur onomatopœjæ ſignificatio;

in tertia dominetur partitio operum, quibus S. P. Benedictus hoc ſuum nomen etiamnum implet, & illuſtrat. Epilogus totus perſonet fauſtis apprecationibus: gratulaberis S. Patri tale nomen, tibi talem Patrem; gratias ages Gerardo pro inſigni Onomatithide, vel concitabis præſenti concioni admirationem hypotypoſi operum admirabilium.

Si autem Luſtricam dicas ad viventem, eum in epilogo hortaberis, ut tanti nominis gloriam ſuſtineat, & tueri factis illuſtri nomini paribus pergat. Repete n. 400. 3. Juvat hîc paratos habere Onomatopœjos, qui ſpectant ad *O Status* n. 96, & varia perſonarum præconia, quæ notentur *ad Elogium* n. 97. explicatum.

445 *Gratulatoriam*

Tertia ſpecies eſt Epinicion, uſu frequentiſſima, & materiâ præ cæteris ampla. Complectitur námque quodvis bonum recèns collatum, aut boni recenter collati fauſtum eventum. Sic gratulamur amico novam dignitatem, Duci victoriam, patriæ pacem, Mecœnati natalem, aut novum annum, Regi adventum &c.

Exordii protaſis in epiniciô ſumi poteſt vel à publica lætitiâ, vel honore,

re, aut dignitate, quæ ubique virtutem ſtipari ſolet, vel ab eruditione aliqua ex veterum faſtis, aut fabulis repetitâ. In Apodoſi aggredere ipſam perſonam, & dic e. g. publica hæc lætitia nutritur magnis bonis.

Contentio dein occupatur in deſcriptione, & partitione boni, quod gratularis v. g. victoriæ, producísque labores, quibus ſtetit, experientiam bellicam, ſcientiam, & fortitudinem ducis. Collocanda ſunt autem hæc omnia, quibus victoria parta; ſcientiæ, virtutésque, quibus dignitas obtenta eſt, in cauſa efficiente, ſeu celebrandæ ſunt hæ virtutes, demonſtrandúmque, quàm meritò, quàm potenter principem moverint ad conferendam dignitatem, populum ad plauſum, te ad publicam gratulationem. Oſtendenda quoque boni collati magnitudo, & commoda tam in bonum commune jam derivata, quàm derivanda. Dominari hîc debet ſpes, & victoria, aut dignitas dicenda eſt fœcundiſſima mater, ex qua naſcituros varios fructus omineris. Monſtrabis etiam quàm multos victor aquiſierit debitores, plebem nem-

pe omnem, nobilitatem, vel etiam totam patriam: commemora dein quàm pulchrè ipſe debeat Deo tam prodigioſum auxilium, fortitudini audaciam in aggrediendo, prudentiæ ſolertiam in mandando. Porro diducendum, quàm inſigniter is, cui gratularis, majorum gloriam ſuſtinuerit, quàm nobiliter adauxerit. Disquire an non dignitas ſit talis, quæ non niſi paucis obtingere poſſit, ac iis virtute, ſcientiáve præclaris viris. Efficax eſt obliqua gratulandi ratio, quaOrationem pauliſper à perſona abducimus, & in ipsâ urbi talem conſulem, monaſterio talem præſulem, patriæ talem ducem gratulamur. Juvat etiam in perſona conſiderare varia adjuncta. Si Juvenis eſt, dic eum annos prævertiſſe meritis, habituram in ipſo rempublicam diuturnum tutorem. Si ſenex eſt, dic quanta uſu rerum dederit ſpecimina virtutis. Si litteratus, dic quàm multæ muſæ, & ſcientiæ in ipſo honoratæ ſint. Affer quoque antecedentia aditi honoris, vel victoriæ, ac proin deſcribe mala, quæ e.g. urbem ante partam victoriam preſſerint, aut quàm multi orphani patre caruerint. Aut ſi ante-

ceſſor

ceſſor fuit vir magni nominis, die ejus virtutes in ſucceſſorem commigrâſſe, quin illum in iſto etiamnum vivere, vel revixiſſe. Eundum hîc ad adjuncta temporis, quô ſcilicet urgebat maxima neceſſitas, periculum majus malum incurrendi, aut bonum maximum perdendi. Univerſim in epinicio diſcutiendæ ſunt dignitas collata, prudentia conferentis, & virtutes exaltati. In ſingulis laudanda ſunt DEI conſilia, Charitas, Sapientia &c. quam promicare dices tam in honorante, quàm honorato, & ipſo demum honore.

Ex his facilè prodeunt hujusmodi formulæ. „Virtus tua licet jam „ante campum habuerit, in quo ſe ex„erceret, habuerit & prudentia; „nunc tamen utraque amplius thea„trum habet, & in ſcenam pro„ducta eſt non uni duntaxat urbi, „ſed toti patriæ, ac pene dixerim Eu„ropæ univerſæ. Ejusmodi formulæ ex inſigni metaphorâ, aut *Elogio* repetitæ, ſi aliquamdiu ſuum inter alveum ſinantur defluere, amplam præbent gratulationi materiam.

II. *Euſ.* Quid eſt oratio Evcharistica? *Eub.* Quâ benefactori pro col- 446 *Evchariſticam*

lato beneficio gratias agimus. Cùm itaque beneficium ſit duplex, bonum nempe datum, & malum propulſatum, duplex quoque eſt oratio Evchariſtica. Cùm gratias agis pro bono collato v. g. dignitate, Contentionem totam dividas in tres partes. In prima laudes benefactorem; in ſecunda beneficii magnitudinem extollas; in tertia deſcribas adjuncta beneficii: qualia ſunt. Collatum eſt promptè, non rogatum &c.

Si autem gratias agis propter malum (v. g. ſeditionem) ſuppreſſum, in prima proxima magnitudo mali deſcribenda eſt, in ſecunda proferendi ſunt labores ad ſupprimendũ malũ aditi: in tertia dein ex utroque dimanans beneficii præſtantia eſt amplificanda.

Cæterùm beneficium collatum ſemper refundi debet in aliquam conferentis virtutem v. g. liberalitatem, benevolentiam, prudentiam, vel juſtitiam. Atque ut id efficaciùs præſtes, dic tua merita longè inferiora beneficiô. Multùm animatur ejusmodi oratio, ſi dicas beneficium non fuiſſe emptum pretio, paratum amicitiâ, aut ambitu conquiſitum; ſed

ſed fuiſſe collatum ex benevolentia, & quidem uni ſibi è multis candidatis. Cur autem ſolus omnibus prælatus ſis, potes conglobare cauſas, ita tamen ut quamlibet in laudem conferentis deflectas; qualis eſt liberalitas conferentis, quæ evaſit eò ſpectabilior, quò minor erat is, cui beneficium collatum eſt.

Adi quoque cauſam materialem, & diſquire, quot, & qualia jam ante acceperis, beneficia, & inſtitutam inter præteritas, & præſentes gratias comparationem proferto ad conferentis laudem. Dic antecedentia beneficia magnæ liberalitatis fructus, & ſimul conſecutorum ſemina. Prodeſt etiam ſimilitudo petita è cœlo, & terra, maríque, ita ut te terram ſterilem dicas, benefactorem nubem, aut cœlum, beneficium imbrem, rorem: vel te agrum, benefactorem mare, beneficium aquam ex illa dimanantem. Enumeranda ſunt dein per Partitionem effecta, quæ ex tali comparatione dimanant. e. g. „hor„tus cùm ſim, & tuô beneficiô, quid „feram niſi fructus tantô dignos colo„no? Et faxint Superi? ut hortum „quàm proximè imiter. Is non ſibi

poma

„poma, ſed domino; ego haud mihi „beneficia, ſed tibi feram. Quidquid gratiæ nomini meo inſeviſti, „creſcat, & millecupletato fænore in „horrea tua redeat.

Eus. Unde repeto inchoandæ gratiarum actioni Exordium, & finiendæ epilogum? *Eub.* A gratitudine: quam ſtatim primis verbis gravi, & ſerio ſenſu animatis teſtaberis. Exordium quoque duci poteſt à virtute conferentis, aut magnitudine beneficii collati, aut etiam à te v. g. „vivo, „quantus ſum è beneficiis tuis, & niſi „gratitudine ſuperem omnes, ingra- „tus. Epilogum implemus votis, noſtra omnia conſecramus gratitudini, officiiſque. Cúmque nec illa, nec hæc poſſint noſtro affectui ſufficere, DEUM retributorem per apoſtrophen, aut aliam vehementiorem figuram conſtituimus, erigimus columnas, aras, aut alia monumenta, quibus beneficia, ut etiam poſt fata perennent, inſcribimus.

447 *Petitoriam*

Quintam panegyris ſpeciem conſtituit oratio petitoria, in qua quatuor ſunt ſedulò conſideranda: res, quam petis; tu, qui petis; perſona, à qua petis; & modus, quo petis.

In

In gratia, quam petis, coneris demonſtrare 1. eam eſſe poſſibilem, & in rogati poteſtate 2. eam eſſe juſtam, quod ejusdem deſcriptione ex adjunctis hauſta probabis. 3. eſſe valdeglorioſam largienti ob ingentem cum virtute conjunctionem; quam ex effectis erues. 4. Si res magni momenti petitur, ac in ea impetranda laboretur, recurrendum eſt ad Locos generis deliberativi, & à *poſſibili* oſtendendum beneficium ſine diſpendio conferri poſſe; ab *utili*, beneficium derivatum iri in commune bonum, idque amplum, varium, fæcundum variis effectis; ab *honeſto* quanta conſecutura ſit largientem gloria, quàm inſignis apud poſteros memoria &c.

Is autem, qui petit, demonſtret 1. ſuam fiduciam, quam pridem in largientis liberalitate collocârat. 2. modeſtiam ne beneficium potius exigere, quàm petere videatur. 3. prudentiam in recenſendis aliquibus ſuis meritis, & poteſtate, copiáve rependendi. Unde 4. remunerandi ſtudia promittat, officia polliceatur, non ſua duntaxat, ſed omnium, ad quos gratia propagata fuerit.

Quod

Quod modum petendi ſpectat, ſit is 1. perſpicuus, atque paucis comprehenſus, 2. ſit humilis, 3. ſi declaranda eſt ratio, quâ cupis; aut tempus: quo cupis tibi beneficiũ conferri, eruditione quadam, aut objectâ neceſſitate dicendis viam aperies. 4. Si beneficium non ſoli tibi, ſed publicæ rei, aut multis petas, teſteris omnium à te fuiſſe aſſumptas preces, & ex ore tuo omnes loqui. Erunt proin nunc per apoſtrophen, nunc per proſopopœiam proferendi, velut ſi peteres à S. D. N. Clemente XI. Ut Immaculatam B. V. Conceptionem donet apotheoſi. Adducenda tum Hiſpania, Germania &c. foret, & earum verbis tua petitio roboranda. Ad hunc modum ſpectant etiam cætera adjuncta, uti tempus, dicésque te *nunc* maximè urgeri ad petendum beneficium, & quidem in hoc loco, ubi &c.

Vim verò ſuã maximè proferre debet Petitoria in flectendô, & demulcendo animũ illius, à quo petis. Itaque 1. laudes eum à liberalitate in maximis beneficiis frequenter ſpectatâ. 2. Demonſtres, quàm multis virtutibus, & commodis gratia petita ſit conjuncta, dicés-

dicésque omnium harum virtutum, & fructuum gloriam, & emolumenta in eum derivatum iri, foréque gratiam non ſolùm accipienti, ſed etiam danti beneficium, & gradum ad magna nominis faſtigia. 3 Conſciſces varios motus tum miſericordiæ, cum ſpei petitos ab indigentia noſtra, neceſſitate beneficii. Valet id potiſſimùm, cùm petimus gratiam ad magnum malum propulſandum ſummè neceſſariam, uti ſi petimus pacem contra bellum, à Deo virtutem contra vitium; e.g. humilitatem contra ſuperbiam &c. 4 Si jam antea quædam beneficia accepiſti, dices ea vincula, juſſa &c. quibus te adductum fateberis ad hanc novam gratiam petendam. 5 Inſtitues varias comparationes inter te, & largientem: hunc ſolem, mare &c. quibus ſolemne, ut radios, rivulósque gratiarum etiam in indignos derivent. 6 Demum extollenda eſt cauſa finalis, quam in ſimili beneficio conferendô ſolitus eſt intendere, qualis eſt patriæ quies, propagatio virtutis, excellens animarum lucrum, Deíque major gloria &c. Tuum dein erit amplificare ſpem hos fines conſequendi, & diducere lucra, effec-

effectúsque, ſi tu gratiam, & largiens gratiæ finem conſecutus fuerit. Valent hoc loco paradoxa dicendo largitorem diſpergendo accipere &c. valent Genera, & Species, ut de Partitione nil dicam, pronuntiandô. Si vota noſtra, & preces audis, laudem mereberis à miſericordia: miſeros juvas; à fide: heterodoxos ſupprimis.

Has leges in praxin facilè rediges, ſi à magno Principe petenda foret gymnaſii cujusdam aut monaſterii fundatio, à Rege pax, à S. Pontifice cujusdam Sancti canonizatio, vel à Deo per proſopopœjam gratia vocationis, venia de peccatis, felix mors. Serviunt quoque allata hæc quatuor puncta mentali orationi addictis.

Euſ. Sed unde ducitur Exordium Petitoriæ? *Eub.* à fiducia, vel inopia, votis, deſideriísve petentium: aut à liberalitate, beneficentia Mecœnatis: aut à temporis, locíve adjunctis; aut à comparatione, vel Elogiô dicendo te navim in mediis fluctibus, miſericordiam Regis anchoram &c.

In Epilogo polliceberis animum pro beneficio gratum, & memorem, beneficii fructus conſecrabis ſaluti,

nomi-

nominíque benefactoris, teſtaberis curaturum te, ut beneficia haud ſterili ſolo inſerantur.

Sexto loco ponimus orationem funebrem, cujus fabrica ut inſigniter conſurgat, inædificanda eſt ruinis mortualibus. Quo notato tria præſtet orator in contentione: 1 excitet dolorem, 2 laudet defunctum, 3 conſoletur amicos. *Euſ.* Quomodo dolorem excitem? *Eub.* excurre 1 in mortis neceſſitatem, brevitatem vitæ, mutationem fortunæ, aut in multitudinem calamitatum hominibus impendentium. Vel 2 exaggera patriæ, urbíſve damna ex morte defuncti ſecuta, vel ſecutura; profer virorum magnorum luctum, piorum lachrymas, dolentiſſimum reipublicæ ſenſum. 3 Per antitheſes, & conglobatas comparationes præteritam felicitatem cum præſenti jacturâ confer, e. g. *patriæ columna fuit*: cecidit; &c. 4 Iraſci etiam potes morti, eíque per apoſtrophen allata damna exprobrare. 5 Ad dolorem noſtrum, & laudem defuncti facit, ſi conſultas, quò velis orphanos deducere, ut eis patrem invenias, negéſque eum inveniri in campo, quia virtutis campum jam

448 Funebrem à dolore

emenſus eſt &c. 6. Dolorem excitant frequentes Exclamationes, Apoſtrophe ad mortem, ad urbem, amicos, vel rempublicam; Hypotypoſes etiam feralis ceremoniæ, luctûs publici; Proſopopœiæ etiam amicorum, orphanorum. 7. tandem in rem confert invehi in vitæ, fortunæque humanæ inconſtantiam, querulari de jacturæ, quam ex effectis probabis, magnitudine.

laude *Euſ.* Sed unde repeto defuncto ſuas laudes? *Eub.* Ex triplici bonorum fonte, de quo §. 5. & 6. c. 6. In bonis *adventitiis* conſidera 1. publica, quæ defunctus geſſit, officia, deſcribe ejus merita in rempublicam, disquire quæ, & quanta ſui muneris reliquerit monumenta. 2. Dignitates, quas ſuſtinuit, deſcribe ab effectis. 3 Honores extolle ab humilitate, qua ſumpſit; à fortitudine, quâ geſſit; à virtute, quâ exornavit. 4. Haud omittendum eſt, an non defunctus omnibus ſucceſſoribus factus ſit prototypon, ſchola variæ virtutis, politiæ, zeli animarum &c. Bona *media*, qualia ſunt patria, parentes, nativitas, nomen, educatio, divitiæ, felicitas, & in agendo dexteritas &c. amplif-

pliſſimas laudes ſuggerunt, ſi eorum optimum uſum deſcribas. 2. Si inſtituta inter Majorum & defuncti virtutes comparatione demonſtres, quàm inſigniter defunctus ſuæ familiæ, aut Religionis gloriam ſuſtinuerit, aut etiam protulerit. 3. Si dicas opes defuncti tranſiiſſe in materiam miſericordiæ, felicitatem in centena emolumenta reipublicæ.

Sed nihil magis exornari debet in oratione funebri, quàm bona *inſita.* Hæc ſunt omnes virtutes, & ſcientiæ. 1. Singulæ ſunt producendæ, & in aliquo ſui effectu mirando demonſtrandæ: præcipuam laudem mereatur miſericordia in miſeros, conſtans, & arduis factis comprobata propriæ ſalutis cura; Religio in Superos, fortitudo in adverſis, juſtitia in litibus, ſemper ſibi conſtans in honoribus modeſtia. 2. Adornari poteſt inter has virtutes certamen, quænam maximè defunctum in vitâ protulerit, merita adauxerit, cœlum aperuerit, quænam ſimilem fecerit angelis, quænam Apoſtolis &c. 3. Inſtitue quoque per problema quoddam examen, quid defunctus virtutibus, & ſcientiis debeat; & econtra virtutes, & ſcien-

tiæ defunčto. 4. Doce, quàm multis hæ virtutes facem vivendi jam olim prætulerint, præferántque modò: provoca dein omnes errorum, & ætatum tempeſtates, & dic haud ſuffecturas huic faci extinguendæ. 5. Enumera, quid piæ hæreditatis loco relictum ſit poſteritati: quid hiſtoricis, quod ſcribant: pictoribus, quod pingant: poſteris, quod mirentur, aut imitentur. 6. Dilatanda ſunt, & vario figurarum ornatu condecoranda merita defuncti in cœlo. Inde deſcribenda eſt illa, quâ fulget gloria; illa charitas, qua cupit, illa poteſtas, qua valet noſtras miſerias ſublevare. Dicendus proin eſt non diſceſſiſſe à nobis, ſed mutâſſe locum, ut ſuam nobis præſentiam efficaciùs demonſtraret: mutâſſe vitam, non amiſiſſe, ut nobis factus vitæ norma bene moriendi exempla præberet.

conſolatione

Hîs ultrò ſe via aperit ad tertiam partem. Facilè itaque aut dolorem mitigabis, aut conſolationem ingeres, ſi 1. Dei bonitatem, liberalitatémque in morte defuncti effulgentem dilaudes. 2. Si anteactam vitam proclames cœlô dignam, & mundum hoc theſaurô indignum. 3. Si exempla in omnem

omnem ætatem profectura producas. 4. Si per partitionem bona enumeres, quæ cœlo, defuncto, & populo comparata ſunt morte defuncti. Eam proin variis elogiis exornabis; dices tranſitum, triumphum, feſtivitatem cœlitibus pridem in exſpectatione.

Ut autem hæc omnia faciliùs in ordinem redigas, religanda ſunt uni alicui exquiſito elogio. Normam habes n. 400. Atque adeo dices e. g. defunctum columnam patriæ, quam mors dejecit, ſed quam Deus fulciendo cœlo ſideribus intulerit. Eodem modo dices defunctum heroëm; cùm viveret pugnantem; cùm obiret vincentem, jam in cœlo triumphantem. Parem copiam dicendi præbent elogia ab aliqua eruditione prolata, uti ſi dicas mortem laboris ex Bernardo coronam &c. *Euſeb.* Quî diſtribuo hæc in ſuas partes? *Eub.* Si e. g. defunctum heroëm dicas, in prima parte concita dolorem dicendo ducem ſublatum, & te, & amicos eſſe relictos ſine capite in acie. Secundam partem animato laudibus tui herois à varia virtute, quam in vitæ præſentis militia exhibuit, repetitâ. In tertia fauſtis acclamationibus ab-

ſterge lachrymas deſcriptione triumphi tuo heroi adornati. Atque adeo habes dolorem, laudem, & conſolationem funebri orationi eſſentialem, facili operâ erutam.

Dictis par eſt, ſi orator ſe conſtituit in cauſa efficiente, ac perſonam, munúsve inſignîs artificis aſſumit, v. g. pictoris, architecti, ſtatuarii, dicitque picturum ſe imaginem defuncti affaberrimè, vel conditurum eidem templum, erecturum aram, adornaturum Mauſolæum. Feliciter pinget orator defuncti imaginem, ſi idæam ſumat à maximis viris, colores à defuncti virtutibus &c. In tertia dein parte hanc imaginem ſuſpendet in tholo Eccleſiæ, aut ſtatuam eriget in publico foro ad communem venerationem.

Quod autem Exordium ſpectat, totum id ex lachrymis, & dolore contexatur. Explicetur in Protaſi grandis jactura v. g. per apoſtrophen ad mortem, aut amicos, vel rempublicam. Placent etiam invectiva in viciſſitudinem rerum humanarum, gravia apophthegmata, gravis circumſtantiarum defuncti, loci, officii, temporíſve deſcriptio. Exordium inſigniter

niter etiam ducitur à funebri apparatu, à diverſis gentium ritibus, ſymbolis, ſomniis, aliíſque eruditionibus à re mortuali, vel mutatione rerum repetitis. Porro Exordiis præbent illuſtrem materiam virtutes defuncti per ſimilitudines conglobatas, & partitionem productæ, inſignia quoque defuncti, nobilitas, gloriáve à majorum virtutibus exquiſita. Tandem definitiones conglobatæ per Subjectionem, & Interrogationem exornatæ mores defuncti, & præſentis concionis affectum præclarè depingunt.

Demum in Peroratione tria ſpectanda ſunt: affectus, motus, & materia. Materia repeti debet à virtutibus defuncti, quas ipſi, vel amicis, filiíſve per Apoſtrophen gratulaberis. Motus concitatur imitatione defuncti. Affectus miſcendi ſunt varii: amoris erga defunctum, doloris erga relictos, commiſerationis erga patriam, ſpei erga defuncti patrocinium, timoris erga rerum humanarum viciſſitudinem. Nunc itaque gratulaberis defuncto æternam gloriam, aut velut jam abiturienti nomine concionis valedices, aut (quod pulcherrimum) per Proſopopœiam

valedicentem adduces ipſum defunctum. Conſurgat autem hæc Proſopopœia ex variis, & brevibus ſententiis ad corrigendos mores ex altera vita, cœlo, Divinis attributis, aut alia veritate repetitis. Conſtrui etiam poteſt in Epilogo Epitaphium, eóque materia parari ad motum inſignis. Sed de Epitaphio dicemus infra n. 526. Sed hæc iterum compendiô habes in Tabula Num. IV.

§. VIII.

Afferuntur firmamenta cauſæ in genere Deliberativo ad perſuadenda bona.

449 *Stabilire deliberationem*

I. E*Ubulus*. Quamvis Generi Demonſtrativo alias plures præter relatas § VII Species adnumeret orator, quales ſunt Inauguratoria, Dedicatoria, Apotheoſis & Receptoria &c. quarum 1. dicitur, cùm Rex inungitur, inſtituitur magiſtratus &c. altera, cùm Mecœnati libros dedicamus, libríſque ceu propylæum prefigi ſolet; tertia adornatur, cùm nonnemo in Sacra Diptycha refertur; quarta producitur, cùm Regem, Principémve poſt relatam victoriam in

IV ICHNOGRAPHIA CONTENTIONIS DEMONSTRATIVÆ

ante Num: 449.

Funebris Eucharistica Gratulatoria Luſtrica Genethliaca Animalis Templi Urbis Scientiæ Operis ding:

Adornatur Laus

Personarum

- Insitis
  - Virtute
    - morali: Prudentia 422, Iustitia, Fortitudine, Temperantia; religione, clementia, munificentia, liberalitate; castitate, modestia 427
    - Theologica: Fide: Contemptu ſæculi puritate Cordis 425; Spe 423 Fiduciâ. Timore Dei. 425; Charitate Dei, Proximi, Miſericordiâ, Zelô, Gaudio, Pace et Beneficentia 424
- Bonis
  - Scientiâ eiuſque: Obiecto, Iucunditate, dignitate, fructu — capitibꝰ ſingularibus ut — Annotatione, Fabulis, Emblematis, Symbolis 428, Elogiis, Viris claris, doctrinam
  - Adventitiis uti: dignitatibꝰ, officiis — publicis — exigentibus magnam prudentiam 429; aquiſitis, geſtis — fortitudinem, fortiter
  - Mediis: Patria, Parentibus, Nativitate, Educatione — 430 porro — Divitiis, Honoribꝰ, Nobilitate, Felicitate 431.
- Ætate uti: Pueri, Adoleſcentis, Viri, Senis 432
- Sexu uti: Virginis, Maritatæ, Viduæ 433
- Conditione uti: Belli ducis, Principis, Regis Reginæ 434
- Adiunctis gerentis: Nomine, Natura, Educatione 435; Fortuna, Habitibꝰ, Affectione 435; ac rei geſtæ: Quidditate, Loco, Tempore 435 porro, Mediis, Modo — Partitione, Specie, Comparatione, Fine 436, Contrario, Effectis
- Adiunctis: Loci, Temporis, Operis — Causa: materiali, efficiente, finali; Effectis; Contrario porro Tabulis, et Exemplis 437; Comparatione
- à Conditore, Situ, Formâ, Legibus — porro à diviſione tam phyſica, quam morali 438
- à Causa: Materiali, Formali, Finali — deinceps autem à: Definitione, Partitione, Genere, Specie 439, Similitudine, Adiunctis
- Sinitate hominis quo ad: Intellectum, Vocem, virtutem, agilitatem — porro — utilitatem, fortitudinem, pulchritudinē, eruditionem 440
- Regionis à causa efficiente, effectus, partitione, et adiunctis 441
- à Die, Antecedentibꝰ, Conſequentibꝰ, Prodromis — Nativitatis, dein à: Somnio matris, Vaticiniis Sanctorū, Formâ, ſexu infantis, Plausu viciniæ — parentū tum à: fama, virtute, meritis 443
  - Spebus: Patriæ, proborum — collocatis in infante — non ab infantis comparatione cū: arbuscula, flore, gemma
  - Puerô deinde: Etimo, Declaratione, Vaticiniis, Signis — nominis ex quibꝰ: puerum nomini, deducis nobili factis 444, responſiorum
- adulto à: præstantia nominis adiecti, factis, quibꝰ nomen promeruit, porro dein ab comparatione aliorum nominum — Onomathitis, rationibꝰ 444, Onomathitarum, ſocietate
- ob bonum recens collatū per: descriptionem, partitionem, labores, scientiam, fortitudinem — ſuper honorati, quibꝰ parta — magnitudinem boni collati, dignitatem boni conferentis — e.g. victoriæ, Obligationem: activam, paſſivam — adiuncta an Conſequētia, antecedentia, effectus: iuvenis, senex 445, doctus, adulti honoris
- bono collato / pro malo propulſato à — laudādo:
  - Benefactorem, Beneficii magnitudinem 446, Adiuncta beneficii
  - Magnitudine mali propulsati, Laboribus propulsantis, virtutibus uti: prudentiâ 446, pietate, liberalitate
  - Magnitudine, Antecedentibus, Similitudine — beneficii ex propulſato malo nati
- excitando dolore: brevitate vitæ, neceſſitate mortis, damnis, luctiq; comparationibus, exclamationibus, invectiva in mortem — 2 laudandô defuncti à bonis: naturæ, gratiæ — 3 conſolando: bonitate Dei, meritis defuncti 448, exemplis piorū

Universim in genere Demonstrativo: Res, Persona, Locus, Tempus, Ratio, Causa finalis — attendenda eſt

V ICHNOGRAPHIA CONTENTIONIS DELIBERATIVÆ

ante Num. 469.

Deliberatio adornatur

verò non ſatis cognita et bona, malo, nō abſolvit ut: Bellum, pax, Dux, Architalaſſ, Lex, conſuetudo, Ars, Virtus, Meritum — quod: iniri, creari, ferri, addisci, exerceri, premiari — debeat à: Definitione, Causis, Effectis, Conſequentibꝰ 450, Comparatione, Exemplis, teſtimoniis — à Locis; mor. utili: utili, facili, difficili, impoſſibili, necessario, securo — et: iucundo, honesto n. 452

Dissuasionis capita hauriuntur ex his ipſis fontibꝰ, oppoſita tamē ratione n. 453

Hortatio ex bono — Conſurgit à: Spe laudis, Amore, Expectatione, Exemplis, Honestate, Utilitate, Neceſſitate — et: indignatione, metu periculorum, dedecorum, æmulatione, commiseratione, obtestatione — ex parte: adversariorum, amicorum n. 454

Conſultatio

- Assertativa: proponis hac tuam ſententiam breviter è Locis Suasionis — et: Neceſſitate, Opportunitate, Exemplis, teſtimoniis
- Mixta: hac alteriꝰ ſententiā ex argumentis Diſſuaſionis — confutas et tuam ex fontibꝰ Suaſionis 455 fortiter conſtabilis
- Confutativa à: hac refellis prioris Auctoris ſententiā argumentis — Dehortationis uti: inutili, difficili, impoſſibili

Cōmendatio — cōmendati: meriti, virtus, facta ſingularia — hac cōmendas amico amicum ad impetrandū beneficiū ex adiunctis cōmendatis intēto 457; attende notas gratiæ petitæ, uti fructus in bonum commune. — fructus, gloria, conſequentia

Conciliatio — irritatos: hac animos captā placas ex adiunctis occaſione — personarum, effectuum 457, contrariorum

Admonitio — Est duplex: unâ ignoranti oſtendis quid agat: alterâ ducto à laude admonendi exordiō monuti, et malè operanti, ut desiſtat; oſtendis — vitii: damna, effectus, infamiam — monentis conſequētia emendationis — utrinq; poteſtatem 458: obligatione, adiuncta

Conſolatio

- causâ efficiente: Deo, conditione humana, meritis, debitis virtutis
- adiunctis, et vita afflicti, ut sunt: insignes virtutes, conscientia bona, locus, tempus
- Exordium ducitur à compaſſione; Contentio à mali præsentis cognitione — et effectis adversitatis fortiter, et constanter toleratæ: instructio, laus n. 459, meritum
- adiunctis: loci, ætatis, perſonarum et hæ sunt: consolantes, afflictæ, afflingentes
- teſtimoniis, tabulis, exemplis repetitis ex: S. Scripturâ, S. S. Patribus, Vitis Sanctorum, eruditione, parabolis

Invectiva — hac: in malos, vel ma- la vehementer in veheris, ut illorū mores horum fœditatem perstringas — Exordiū duc à: magnitudine, narratione — mali; Contētione parabis: partitione, effectis — mali Adiunctis: loci, temporis — emendati, conſequentibꝰ 460, non emēdati

Deprecatione — petis tuō, aut lædentium nomine à læ- so veniam — Adiunctis lædētis: ætate, præcipitatione, paſſione, pænitentiâ, emendatione, precibꝰ, meritis — læſi: amore, clemētiâ, gloria — criminis ut eſt cōmiſſu 461: primum, occultum, loco, tempore tali, occaſione

Accuſatio — hac: accuſas venia indignum ad ſceleris detes- tationem et punitionem apud iuſtū Iudicē — à: læsi: virtute, beneficētia — à conſequentibꝰ criminis: puniti, non puniti, effectis utriusq; — Lædentis: impudentia, frequenti relapſu, scelerū societate, abusu clementiæ, vitiis inhabitatis — ab adiūctis cōmiſſi criminis ut eſt: enorme, deliberatum, publicum 462, damnatum, legibus consuetudine

Defenſione — factum aut excuſa- aut si potes, nega sis — Causa: finali, efficiente — excuſandô ab Adiunctis, Effectis contrario, Exemplis et teſtimoniis — negando ab: Accuſantis, Adiunctis 463, Accuſati

Generale Deliberationis, et Demonstrationis Schema

Inquire, quid queunt res in quæſtione veniens

- Definitione: in se, ſiáſq; prædicatis eſſentialibus, in Metaphoris causis, effectis, Genere, Specie, partibus phyſicis, et moralibus in contrariis n. 177.
- Annotatione à nomine: proprio, substantivo, rebus conſono 184, verbo, adiectivo
- Partitione à ſit in: generis, artis, toto moris: in, phyſico, morali — antecedentibꝰ, adiunctis 187, causis
- Coniugatis à verbis eiuſq radicis ad 192: probandum, cognoſcendum
- Genere: rerum, habituum 194, personarum — ornandum, amplificandum
- Specie per affirmationem, negationem, et inductionem. n. 197.
- Qualitate laudis et vituperii
- Similitudine, particulis aſſimilantibꝰ conglobatione Similitudinis negatione.
- Diſſimilitudine ab affectione. diſſimi- lium. n: 203.
- Oppoſitione: Contrariorum per affirmationem et negationem, privantiū contradicentiam, et relatorum
- Repugnantibus ex oppoſitis anteceden- tibus, et conſequentibus. n. 212.
- Adiunctis ubi etc. uti: Personarum, Rerum antecedentium comitantiū cōſequētium illis: quis quid; patriæ Sexus ætatis, medii, foris extrinseci, interni- onis, temporis, instrumenti n. 215
- sit in: Antecedentibꝰ, Conſequentibꝰ — temporis illationis. n. 227
- Causa secundum ſua adiuncta conſiderata: Materiali in qua ex qua circa quam formali, eſſentiali, accidentali, artificiali, efficiente, phyſica, morali, finali, honesti, iucundi, utilis.
- Effectis omnium causarum
- Comparatione maiorum, minorum, parium
- Locis extrinſecis, exemplis, teſtimoniis etc.

n urbem recipimus: nolim tamen te n hisce rebus commemorandis diuius detinere, tum amore brevitatis, cum tuæ induſtriæ cultu. Poteris namque ex dictis facilè dicendis amuſſim capere, ac proin quoque voes properanti velificari. Pergo itaque ad Contentionem Generis Deliberativi.

Euſebius. Quibus illa fundamentis innititur? *Eub.* Quod vi, & armis molitur miles in corpora; hoc rationibus & figuris contendit orator in animum. Illi per ſtrata cadavera itur ad triumphum, huic per victoriam voluntatis. Sed aliter vincitur hoſtis, aliter animus, ille cùm ſternitur, aut cogitur; hic cùm flectitur, & perſuadetur. Ut animum flectas, flectendóque vincas, geminâ inſtructus armaturâ congrediaris neceſſe eſt. Unam dicimus rationem, bonum alteram. Illâ intellectus, hoc voluntas capitur. Utrumq; ſi confeciſti, viciſti. Aſt hîc opus, hîc labor oratoris primus, & maximus, rationem ita inſtruere dictione, bonum ita demonſtrare verbis, ut intellectus verum perſpicuè videat, & voluntas in bonum rapiatur. Duo itaque hîc in

cenſiſtentem in exhibitione

veri, non ſatis cogniti, &

quæſtionem deveniunt, quale nempe illud ſit verum, quale bonum, & quomodo utrumque ſit ab oratore proponendum, ut intellectus verò illuſtretur, & ineſcetur bonô voluntas. Certum itaque teneas Euſebi nihil negotij eſſe oratori cum vero evidenti, & apparenti: quis enim illud ſine inſipientiâ velit, aut hoc ſine malitiâ audeat probare? Eadem ratione faceſſat è roſtris bonum præſens, & falſum abſens. Devolvimur ergo ad verum in ſe certum, nobis tamen incognitum, aut non adeo perſpicuum; & ad bonum abſens, verúmque. Ut igitur intellectum triumphes, producito verum, hactenus incognitum, aut non ita, ut par erat, apprehenſum, & bonum verum. Illud eſt genuina prædicati cum ſubjecto connexio, hoc ſola virtus eſt, & virtutis cauſa. Verùm cùm bonis noſtris conſtanter potiri non poſſimus, niſi mala, quæ nobis perpetuò inſidiantur, propulſemus, oratoris eſt ſe contra quæque mala fortiter armare, & illa oris gladio ad usque internecionem delere. Totam itaque Deliberationis materiem conſtituit omnis virtus, & omne vitium,

ſuaſione boni abſentis ad illud integrè cognoſcendum,

hoc procurandum

um, eorúmque proprietates, gra-
us, & actus, & ut ſupra monui *vir-
utis cauſa*, uti etiam cauſa cujusvis
itii. Atque inde pietatis cauſa in
atriam potes ſuadere bellum, pa-
em, vectigalia, procurationem an-
onæ: religionis nomine ſcientia-
um uſum, ſeveritatem in hæreti-
cos &c. Et econtra non ſolùm vitia,
ſed vitii causâ etiam indifferentia, ſi
hæc ad illa inclinent, uti ſunt choreæ,
convivia &c. diſſuadere debes. Sed
quomodo, inquis: opus ſuaſionis
in bono & diſſuaſionis in malo, ut
voluntatem concionis in triumphum
ducam, aggrediar? 450

1. Oſtende ſis, quid res ſit, quam ſuadere cupis in ſuis prædicatis eſſentialibus. Exemplum eſto Virginitas. *definitione*

2. Animum adverte ad ſingulos Locos, præcipuè ad effectus. Ut ſunt. Aſſimilat angelis, cœlites in terras trahit, deſponſat Chriſto, proximum facit eſſe DEO. *effectis.*

3. A ſolo DEO confertur virginitas tanquam donum prorſus ſingulare. B. V. Maria ſuis clientibus impetrat &c. *causâ efficiente*

4. Demonſtra finem, ut anima à carnis *finali.*

carnis tyrannide ſit remotiſſima, & Chriſto quocunque ierit, conjunctiſſima.

Comparatione

5. Inſtitui poſſunt Comparationes Virginitatis cum aliis virtutibus, rebúsque animum rapientibus.

teſtimonio,

6. Proferenda ſunt miranda tum ex S. Scriptura, cum ex S.S. P.P. de virginitate teſtimonia.

exemplis

7. Repetenda ſunt exempla, ea præprimis, quæ dimanant ex effectis quàm illuſtria nempe facinora virgines aggreſſæ ſint amore Virginitatis. Poteſt dein per definitiones conglobatas dici gemma, theſaurus &c. ejus porro pretium amplificari à vario genere mortis, quod, ne illum perderent, ſubierunt.

conſequentibus

8. Deſcribe magnam virginum in cœlo gloriam, ſolemnem in Eccleſia cultum &c. Eadem Locos examinandi ratio tenenda erit, ſiquod vitium diſſuadere velis. Cúmque eum in modum materiam inveneris, eandem propoſitioni, quæ ſemper prima eſſe debet in Inventione, illigabis, ac juxta dicta n. 383. partem unam materiæ inventæ diſpones in formam Exordij, alteram ſervabis contentioni.

Tum

Tum animus adjiciendus eſt Amplificationi (quid ſit, & quomodo inſtituenda, habes n. 292. §. 6.) tam *Verborum*, quàm *Rerum*. Illam quidem *Deliberatio* non ita exquiſitam petit, ut *Demonſtratio*, hæc tamen præemineat in omni genere ſuadendi, vel diſſuadendi. *Euſ.* Quænam autem in Deliberatione potiſſimùm ſunt amplificanda? *Eub.* 1. Quæ honeſtati ſunt maximè conjuncta, aut quibuscum honeſtas ſtare non poteſt. 2. Quæ ſalutis noſtræ negotia vel promovendæ, vel impediendæ proximè attingunt. 3. Effecta, conſequentia rei, quam ſuades, vel diſſuades. 4. Singulariter Adjuncta perſonarum, loci, temporis. Sic inferni metum graviter exaggerabis, ſi Auditoribus oſtendas, eos etiamnum vivere in loco, in quo ad damnationis cauſas alliciuntur; in tempore, quo damnantur milleni, & fors non tam multorum, ut ipſi, criminum rei. 451 *Amplificatione*

9. Sed ut rationibus recta Inventione erutis, & debita Diſpoſitione locatis, & genuina Amplificatione deductis inſit illa vis, quæ non ſolùm aures feriat, ſed & in animos penetret, vehementer ars ciendi aptos motus *Motu debito.*

tus curanda eſt oratori in quavis *Deliberatione.* Cùm itaque bonum quodpiam, virtutem, ſcientiam, pacémve ſuades, nunc *Spem* concites neceſſe eſt oſtenſione mediorum, facilitatis &c; nunc *Gaudium*, & *Amorem*, ex præconcepti boni magnitudine, & fructibus, quos jam à multis prægustatos eſſe demonſtrabis. Dominetur ante alios affectus *Deſiderium*, ídque ſuccendatur rerum utilium, jucundorum, honeſtorúmque commemoratione, quarum ingentem copiam invenies in Effectis, in præmiis, & exemplis cujuslibet virtutis.

Eandem in genere diſſuaſivo normam tenebis, atque nunc *Odium* in eos excitabis, aut *Commiſerationem*, qui in eo malo hærent, nunc *Iram* exprimes in eos contortâ quadam invectivâ, nunc *Audaciam* ad diſſipandum malum ciebis: nunc *Timorem* ex metu majoris mali.

productô figuris aptis.

Licet autem *Deliberatio* non tam exquiſitum figurarum ornatum expoſcat, ut *Demonſtratio*, hæc tamen, quàm illa vehementiores exigit, ut ſunt Apoſtrophe, Proſopopœia, Dialogi &c. Repete, quæ de figuris ad mo-

movendum dixi n. 371, & ad docendum n. 330.

452 *Locis communibus*

Cæterùm hactenus dictis de *Suaſione* lumen, & vim addent ſequentes voculæ.

utili

1. *Utile*, in quo conſidera fructus rei, quam ſuades, qui quidem ratione ſui non appetuntur, conſequi tamen ſolent. Item quæ bona poſſint illâ re parari, quæ conſervari, quæ mala arceri.

Dividi res debet in ſua Adjuncta temporis, loci, uti quantùm profuerit omni tempore pacis, belli &c. in foro, in clauſto &c.

facili.

2. *Facile*, per hanc particulam demonſtrabis, quàm modicô labore, ſumptúve opus ſit ad bonum comparandum. Id iterum evinces ex Adjunctis temporis, loci, modi, occaſionis, & perſonarum, quæ opem conferent. In his conſidera, quàm multæ ſint, quàm potentes, quàm benevolæ, quàm ſæpe fidem ſuam jam probârint, & in bonum comparandum conferre conſueverint. An non ex hoc Loco facilè tuæ concioni in feſto Sanctorum omnium perſuadebis, ut ab eis petat felicem mortem.

3. *Dif-*

difficili. 3. *Difficile.* Exaggera v.g. virtutis cujuſpiam aquirendæ difficultates ab Adjunctis miſeræ, & depravatæ naturæ, loci, pravarum conſuetudinum &c. dein oſtende difficultates has tanti viro forti haud quaquàm eſſe ducendas, ut manum ponat, ſed potius eſſe illicia longè maxima ob præmia difficultatem ſuperantibus promiſſa, merita in hac, gloriam autem in altera vita victoribus paratam. Valent hîc exempla teneræ ætatis, virginúmque, quæ quamlibet occurrentem difficultatem glorioſè triumphare potuerunt.

impoſſibili. 4. *Impoſſibile.* Disquire, an non poſſis invenire rem omnibus in deſiderio, quæ tamen e.g. ſine virtute, quam ſuades haberi, aut vix obtineri poteſt, qualis eſt felicitas, ſalus æterna. Vide jam, quantum ad virtutem perſuadendam robur argumentorum aquiras, ſi oſtendere velis felicitatem veram ſine virtute nequaquàm obtineri poſſe. Huic Loco probando rationem dabit præ aliis Oppoſitio, & Definitio, ornatum autem Paradoxa, & Antitheſes e. g. faciliùs volabis ſine pennis ad altiſſimi mon-

montis verticem, quàm ſine virtute pertingas ad beatitudinem.

5. *Neceſſarium.* Parem ferme, quem impoſſibile, uſum habet neceſſarium, uti ſi oſtendas, quàm multa, & gravia damna v. g. ſine pœnitentiâ caveri non poſſint, quàm multa bona ſine illa non obtineri. Damna hæc per Partitionem recenſita pœnitentiæ neceſſitatem vehementer exaggerabunt. *neceſſariò*

6. *Securum.* In tractanda hac particulâ animum reflecte ad inſignem bene operandi libertatem. Oſtende ſis, quàm illi ſint infirmi, & pauci, qui velint, aut poſſint à boni conſecutione impedire. Hîc à contrario probare licet, quàm multis circumvallati ſint præſidiis ii, qui v. g. ſtudent virtuti, nullum ipſis periculum iminet à mala ſocietate, ab inopia, à felicitate, aut ipſa mortis neceſſitate. Valent etiam exempla eorum, qui ſola virtute tecti, incolumes verſati ſunt in maximis periculis. *ſecurè*

7. *Jucundum.* Hâc voce producimus illam voluptatem, quam bonum, quod ſuademus, ſolet afferre: talis eſt quies bonæ conſcientiæ, ſuavis multorum ſimiliter bene agenti- *Jucundè.*

um ſocietas, quieta boni parti, & multis commodis cummulata poſſeſio. Huc ſpectant liber, & varius inter amicos & magnæ probitatis viros uſus, ſimilitudo, & commercia.

honeſtó. 8. *Honeſtum.* Tandem velut inter omnia bona honeſtas principatum tenet; ita quoque ſibi primas vendicat in Generis Deliberativi contentione. Ab hac námque hauries, quàm id, quod ſuades, ſit glorioſum, quàm multis connexum virtutibus, in quanta ſit probis, & Cœlitibus expectatione, quanta naſci ſoleat exinde gloria, & honor, ac tandem, quàm gratum ſit DEO, ac exin aptum ad comparandam nominis immortalitatem, ac illam quidem ab omni faſtûs dedecore eximiam. Miram his vim adferunt exempla omnis ætatis, & conditionis ſimilia facinora aggreſſæ.

453 *Diſſuaſionem*

Eandem, converſo tamen modo, viam ingrediris, ſi malum quodpiam diſſuadere velis. Exemplum ſumamus à ſuperbia, 1. *inutilis* eſt: nullos fructus parit, quos honeſtas probet. 2. *difficilis* eſt eradicatu, ſi ſemel radicem fixerit per incurias moras. 3. *facilis* eſt ad audendum quod-

quodvis facinus. 4. *poſſibilis* eſt non ſolùm in heroicis virtutum actibus, ſed ex ipſa humilitatis materia naſcitur. 5. *damnoſa* eſt, ut liquet ex turpiſſimis effectis, qualia ſunt regnorum ruinæ. 6. *periculis* damnationis æternæ, infamiæ expoſita eſt. 7. *Injucunda eſt*, ſi negetur ſuperbo debitus honor, triſtitiâ cor impletur. 8. demum *inhoneſta* eſt, quia cum fœdiſſimis vitiis conjuncta eſt. Si jam his junxeris dicta n. 450. diſſuaſioni ampliſſimam materiam ad quodvis malum, ut conſideranti patet, exagitandum, ac in grave odium, deteſtationem, fugámque inducendum, quibus in rebus vertitur cardo Diſſuaſionis, conquires.

II. Licet autem *Suaſio*, *&* *Diſſuaſio* Genus Deliberativum compleant, & in his duabus potiora oratoris ſtudia deſudent, atque cætera omnia ad alterutram reducantur, reſtant tamen non exigua rerum momenta, ſine quibus *Deliberationis* Contentio ægrè admodum poteſt ſtabiliri. Id enim ut aſſequatur orator, varias perſonas ex artis beneficiô ſumat neceſſe eſt: nunc ducis ut fortiter hortetur; nunc legisperiti, ut ſapienter conſulat; nunc amici

quamlibet

ut ritè commendet clientem; nunc mediatoris, ut efficaciter conciliet delinquentem; nunc Pædagogi, ut utiliter commoneat diſcipulum; nunc demum ſocij, ut prudenter mœſtum conſoletur. Quò tibi in ſingulis difficultatem dicendi minuam, quosdam Locos communes affero, quos ad quamvis aliam materiam licebit transferre. *Euſeb.* Ineſcas animum promiſsîs. Quibus ergo argumentis ſtabilio Contentionem Hortationis?

454 *Hortationem Spe laudis*

Eubulus. Hortari poſſumus ſolùm ad facinus aliquod honeſtum, ac proin virtuti conjunctum, laude dignum & labore noſtrô. Primum itaque argumentum capies à ſpe, oſtendésque laudem præclaram ex opere patrato, ad quod hortaris, naſcituram. 2. Oſtende te ad hortandum ſolo amore patriæ, boni communis, eorum, quos hortaris, pellectum. 3. Affer, quanta ſit bonorum omnium exſpectatio de operis magnitudine, & virtute illorum, ad quos dicis, concepta. 4. Adducito virorum illuſtrium exempla, qui ſimili facinori facem prætulerunt. Valet hîc Hypotypoſis, Præteritio. 5. Oſtende

amore

exſpectatione

exemplis

honeſtate

ſis,

ſis, quàm facili operâ cum viris iſtis venire poſſint in gloriæ communionem, ac eandem, quam illi nominis immortalitatem promereri, & quàm illuſtrium virtutum exempla unico auſu, & facinore ad poſteros ſint miſſuri. 6. Monſtra patrati facinoris fructus gloriæ meſſi liberaliter ſuperaddendos. *utilitate*

Nonnunquam hortamur ad opus, quod ipſa neceſſitas imperat, atque tunc 7. argumentum erit hujus neceſſitatis graphica deſcriptio. 8. Indignatio in eos, qui nobis hanc neceſſitatem impoſuerunt, quàm facilè poſita ob oculos morum turpitudine, crudelitate &c. conciliabis. 9. Exaggerabis pericula ab adverſariis patriæ &c. imminentia, niſi maturè hoſtili furori patria virtus objiciatur. 10. Deſcribe dedecus in eorum nomen redundaturum, quos hortaris, niſi tibi animum, operi manum, & periculo audaciam adjiciant. 11. Valet plurimùm concitata æmulatio, quam excitas, cùm oſtendis paratam jam nominis gloriam redituram ad hoſtes, niſi eis veloci auſu præripiatur. 12. Depinge *neceſſitate* *indignatione* *metu periculorum* *dedecorum.* *æmulatione* *commiſeratione*

damna, quæ non ſolâ nominis jactu-râ poterunt circumſcribi, ſi torpere vellent, ſed quæ graſſatura ſint in commune bonum, in liberos &c., quorum proin ad excitandam commiſerationem preces, lachrymæ &c. per Proſopopœiam ſunt proferendæ.

obteſtationes 13. Præfervidum colophonem hortationi ſolent imponere figuræ obteſtationis, & obſecrationis, de quibus n. 382., cùm per avitam virtutem, per patriæ pietatem &c. Sanctos, DEUM ipſum obteſtamur, ut ſe, virtutéque ſua dignum opus aggrediantur. Poſſumus etiam velut jam jam abeuntes proſequi communibus votis, fauſtâ apprecatione, noſtram addicere operam, preces, &, ſi neceſſarium fuerit, etiam opes, & conatus. Ex his patet, in quonam Hortatio differat à comuni Suaſione. Hac orator plerumque mutat ſententiam audientium, illâ urget, animúmque addit, ut, quod faciendum ipſimet cognoſcunt, actu aggrediantur. Locum itaq; habet Hortatio, cùm orthodoxos Principes ad bellum contra Turcas, Chriſtianos ad fortiter pro fide dimicandum, moriendúmve concitamus.

Euſ.

Euſ. Sed quas leges tenendas ſuades, ſi velim quempiam dehortari? ac à facto quodam revocare? *Euſ.* Easdem, inverſo tamen modô, uti ſi factum illud dicas turpe ex adjunctis temporis, perſonarum, religioni, DEOque contrarium, inutile, plenum incommodis, periculis, aut etiam infame, ſi dicas ab eo priorem nominis gloriam contrariis operibus partam obſcuratum iri, aut etiam perditum. Multam vim habet accita amicorum &c. ſocietas, quibuscum tuas preces per Proſopopœiam graviter propones ad evertenda facinoris meditati conſilia. *Dehortationem.*

455 III. *Euſ.* Quid eſt Conſultatio? *Eub.* Eſt oratio, quâ quis in publico gravium virorum conſeſſu ſuam ſententiam ad commune reipublicæ bonum pronuntiat. Atque hæc oratio eſt triplex, aſſertativa, Confutativa, & mixta. *Conſultationem*

Aſſertativâ tuam proponis Exordiô ductô vel à neceſſitate imminentis periculi, vel à tua, aut deliberantium perſonâ tuam ſententiam perſpicuis, & gravibus verbis profers, dein probas eandem ex jisdem ferme Locis, quos n. 454. attuli. Urgenda eſt *aſſertativam.*

 maxi-

maximè neceſſitas, opportunitas, fulciendáque exemplis, & teſtimoniis. In Epilogo dicta breviter complexus profiteberis auditurum te libenter aliorum etiam ſententias, ac te non ita tuæ adhærere, ut velis meliorem reprobare.

confutativam Confutativâ refellis prioris authoris ſententiam. Exordium ducis à laude ipſius, aut boni publici, dicéſque confidere te, haud ipſi fore ingratum, ſi meliora proferas. Tum Contentio tota collocatur in refutandis argumentis, quæ ferme ex iisdem Locis, ex quibus Dehortatio, petitur. Abſit autem hîc acris quælibet cenſura authoris, ſed modeſtia animi ex ſenſu verborum, amor ſolius veritatis ex argumentis promicet, ne non tam tua venditâſſe, quàm communi bono conſuluiſſe videaris.

mixtam Mixta eſt, quâ alterius ſententiam prius confutas, dein tuam ſtabilis, aut econtra. Cæterùm aliter dicit præſes conſultationis, aliter conſultores. Ille inſtitutæ conſultationis cauſas graviter exaggeret, & hos benevolè cohortetur, ut ſuam quisque ſententiam ſine metu cujuscunque auctoritatis, aut partium ſtudio edicat. Hi autem alterius ſenten-

ſententiam ſequuntur, eandem collaudabunt, novis rationibus ſtabilient, aut, ne nihil egiſſe videantur, diſſimulatâ eorum, quos ſequuntur ſententiâ ſuam confirmabunt, eíque confirmatæ ad robur, aut abundantiam argumentorum aliorum ſenſa graviter ſubjicient.

Tandem præſes collectis votis novam orationem dicat, ac in ea dilaudatis conſultorum votis, prudentiâ, boníque communis ſtudiis ferat decretoriam ſententiam, ejusque æquitatem modeſtè, prudenterque confirmet. In Epilogo non jam linguam duntaxat, ſed & opem conſultorum invitet ad cœpti conſilij maturam, & fauſtam executionem. His lucem quandam afferet Curtius l. 10. c. 6. ubi procerum de eligendô recens defuncti Alexandri ſucceſſore ſententias qerquàm eleganter producit.

IV. *Euſ.* Quid eſt Commendatio? *Eub.* Oratio, quâ amicum amico laudamus ad impetrandum quoddam beneficium, aut dignitatem. Ex quo vides naturam Commendationis, quæ partim ex genere Demonſtrativo, partim Deliberativo coaleſcit. Laudem 450 *Commendationem*

enim illius, quem commendas, repetit à virtute, doctrina, dotibus animi, & corporis, quæ propria ſunt Demonſtrationis. At cùm Commendatio in ſola laude amici non ſiſtat, ſed præterea evincere debeat, quàm pulchrum, utile, atque æquum ſit; ut huic beneficium conferatur, leges ſuas repetit à Deliberatione, iisdémque Locis utitur.

adjunctis perſona

Tria itaque hîc conſideranda ſunt Adjuncta: perſonarum, rei petitæ, & temporis. Perſonæ reducuntur ad triplicem claſſem. Ad primam ſpectat is, qui commendatur, ejúsque majores; ad alteram, qui commendant, & commendationem urgent; ad tertiam is, cui commendamus, & ejus amici, parentes &c.

commendata

Perſonæ primæ claſſis celebrantur 1. à meritis, à dotibus variis, oſtenditur, quàm multus in animi, & corporis donis afferatur apparatus ad petitam dignitatem fortiter ſuſtinendam. 2. virtus, vel doctrina demonſtratur à factis particularibus domi, militiæve geſtis, 3. gemina ſpes producitur, tum illa, quæ concipitur à gratitudine, dexteritate, vel dignitate commendati, cùm illa, qua boni omnes exſpectant

tant commendati promotionem. 4. oſtenditur, quàm procul abſit commendatus ab omni ambitu, ac quàm inſigniter à ſolis virtutibus commendetur. Oratores, ſeu qui commendant, & commendationem urgent, oſtendant ſe ad ſuas has preces virtutis amore adductos, quàm honorari velint, & quidem ab eo, qui virtuti nullum cultum unquam negârit, ſed eandem colendi occaſiones inter maxima lucra reponere conſuêrit. Porro demonſtrent quâ fiduciâ venerint allecti: illâ nempe, quâ longè majoribus beneficiis fuerat nutrita, & pellecta ad novas petendas gratias. *commendantis*

In perſona verò, cui quemdam commendas, conſidera liberalitatem, prudentiam, boni publici, & omnis virtutis ſtudium. Dices proin adeſſe cauſas pulcherrimas, quibus illuſtriſſimum ſuæ innatæ liberalitatis ſpecimen dare poſſit. Licebit porro latè diſcurrere à *conſequentibus* gratiæ collatæ, præcipuè ſi juxta dicta n. 401. eandem colloces in cauſa efficiente, atque dicas à Partitione quid gloriæ, quid honoris, & commodi effectura ſit collata dignitas. Sed hæc clariùs patebunt in ipſa re, quam petis. In ea igitur *conferentis*

Didu-

gratia concupita

Diduces effecta varia, dicésque 1. Hæc dignitas ſi collata fuerit, honorabit multas virtutes candidati, & in aliis canditatis virtutum æmulationem excitabit. 2. In bonum publicum, & privatum varia commoda propagabit. 3. Stabiliet veteres, & novos amicos feliciter creabit. 4. Digredere per comparationes, & dic dignitatem nunc rivulum, nunc gemmam, quæ ſuis radiis ſimul honorantis liberalitatem, & honorati dignitatem illuſtrabit.

temporis.

Tempus hîc latè ſumitur, prout belli, pacis, fortunæ vel proſperæ, vel adverſæ, viciſſitudines complectitur. Ex quibus hæ commendationis formulæ prodeunt, ferme ex cauſa efficiente, & effectis repetitæ. Graviſſimi belli diſcrimina perurgent, ut eligatur Dux fortis &c. talis eſt is, quem commendo: ergo.

Epilogus totus eſt in votis proborum, in precibus, & brevi enumeratione gloriæ, utilitatis &c. quæ ex collata dignitate dimanabunt. Rogabis Superos, ut vota ſecundent, & petita dignitate virtutem Canditati ad ſuam gloriam, patriæ tutelam, bono-

rum

rum omnium expectationem reddant illuſtriorem.

437 *Conciliationem*

V. Graviſſimum oratoris munus eſt ſedare irritatos animos. Ea re ut feliciter potiatur; non eloquentiâ tantùm, ſed etiam exiſtimatione ſanctitatis, & prudentiæ laudibus partâ opus eſt. Utrâque igitur inſtructus orator temporis rationem captabit, quô poſſit irritatos opportunè aggredi, & quaſi aliud agens feliciter expugnare. Exordium igitur exabrupto inceptum animabit affectu multitudinis, ſimulabítque haud injuſtas iræ cauſas. Tum ſubdolè, ac eloquenter ſe recipiet ad perſonas, & 1. ex eorum adjunctis, 2. ex effectis, 3. à contrario repetitis argumentis animos mitigabit.

adjunctis

Ex adjunctis dices 1. viri eſtis, quos nil decet præcipiti impetu agere. 2. Chriſtiani eſtis, quibus ſumma laus in odii victoria repoſita eſt. 3. Perges ad locum, oſtendéſque quàm turpis ſit vindicta in Eccleſia Dei, in curia &c. in qua pacis conſilia capi, & capta ſtabiliri deberent. 4. Proferes temporis circumſtantias, dicéſque, quàm eæ ſint expetendæ vindictæ inutiles, & infeſtæ. 5. Demum intendes

omnem

omnem nervum ad diminuendas ſeditionis cauſas, aut ſi diminuere nequis, vindictam inutilem & nocentiſſimam demonſtra, fore autem injuriæ veniam glorioſiſſimam, utilem. Hæc omnia patebunt ex effectis. Ex *effectis,* his ergo per Partitionem demonſtrabis damna ex ſeditione ſecutura tam in bonis, quàm in famâ: probari poſſunt exemplis præteritæ ætatis, & excidio urbium, familiarium &c.

contrariò E contrario autem proba, poſſe injuriam alio modo, & ſine proprij nominis, & incolumitatis diſpendiô reſarciri. Promittet ad hoc operam ſuam orator, ſpemque id ſe confecturum pollicebitur, ſi illi animos ponant, & recepta ſerenitate ſtudia ſua in bonum commune conferant illâ ratione, quâ ipſis præire, & viam aperire poſſit ſine virtutis, & Chriſtiani nominis injuriâ. Declarabit quàm id ſibi difficile, ipſis autem facilè futurum ſit, auſurum ſe tamen eorum quieti majora, & difficiliora. In Epilogo urgebit ſuum in bonum commune affectum, rogabitque per patriæ pietatem, per DEI leges &c. ut ſinguli velint pro Chriſti-

Chriſtiana fortitudine ad ea ſancienda conſilia collaborare, quibus vera concordia poſſit ſtabiliri.

VI Nullus frequentior, utiliórve, præcipuè ſacris oratoribus labor eſt, quàm Admonitio. Eſtque duplex. Unâ intellectum, alterâ laborantem valuntatem inſtruimus; illâ ignoranti oſtendimus, quid faciat, hâc malè facientem hortamur, ut deſiſtat. Utraque igitur Admonitio non minus magni moliminis opus eſt, quàm exactæ prudentiæ. Huic facem, illi facilitatem præfero his regulis. *438 Admonitionem*

Vitia ſunt vulnera: ſine admonitionis emplaſtro nequeunt ſanari, & id ſine dolore nequit adhiberi. Unde gravi opus eſt judiciô, ut ſanes admonendô, & quantùm licet, modô ſuaviſſimô. *Euſ.* Sed quibus id mediis aſſequar?

Eub. Exordium ducis à laude illius, quem commones, dicéſque eum in via illuſtrium virtutum, obſtare tamen inſigni profectui unum aliquem obicem, quem pro veteri amicitia, & magna expectatione non poſſis non amoliri, præcipuè, quod ab ipſomet poſſis opem expectare,

& ſpes

& ſpes affulgeat longè maxima ad omnem virtutem expeditum aditum aperiendi. Tum propoſitionem deflectes ad vitium, & in Contentione firmanda ferme ritum Suaſionis, de qua n. 453. ſervabis.

Effectis vitij

Oſtendes itaque ex effectis quàm turpiter hæc labes cæteris ejus virtutibus illudat. 2. Quanta hactenus bona impedierit. 3. Quantum de nominis exiſtimatione abſtulerit. 4. Quanta damna ex ſignis, loci, & perſonarum adjunctis timeri poſſint tum in litteris, cum in virtutibus. 5. Effecta peregregiè declarantur per comparationes conglobatas dicendo vitium maculam in pulcherrima facie, ſtillicidium in auguſta domo &c.

Adjunctis

Non minùs amplam materiam præbent adjuncta tum monentis, cum moniti.

admoniti.

Hujus quidem 1. Flexilis ætas, & hauſta ab unguiculis de virtutis præſtantiâ exiſtimatio. 2. Concepta majorum de ejus virtutibus ſpes, nutrita hactenus maximis ſumptibus in magiſtros effuſis. 3. Inter tot præſidia vitium hactenus paucorum oculis, & pauciorum cenſuris ſubjectum facillimè poſſe deponi.

Orator

Orator autem proferet aut impoſitam ſibi à parentibus corrigendi obligationem, 2. aut poteſtatem, 3. aut amicitiam, 4. aut ſanguinis conjunctionem, aliáve nomina, quibus ſibi correctionis auctoritatem ſumere poſſit, & eandem urgendi. *admonentis.*

Ut tandem perſuadeas, afferenda ſunt conſequentia emendationis: qualia ſunt 1. Conſtans nominis exiſtimatio apud homines, apud ſe conſcientiæ quies, apud DEUM, & Cœlites omnes ſemper paratum auxilium. 2. Pulcherrima ſunt conſequentia ex ſimilitudinibus conglobatis. Ager es, ſi hoc lolium evulſeris, fructus feres ampliſſimos; templum es, ſi hoc idolum eieceris, ſanctiſſimum &c. 3. Amplifices gaudium tum ipſius, tum tuum, cum amicorum, ſi eum ab hac labe viderint eximium. *Conſequentibus emendationis*

Epilogus totus erit in promiſſis, & gratulatione. Polliceberis proin Superûm omnium opem, & tua ſtudia dehinc longè proniora, gratulaberis anticipatô gaudio fructus maturatæ emendationis.

459

VII. Nequit Euſebi conſolari afflictum, qui nequit afflicto compati. *Conſolationem*

Prius ergo providenda ratio compatiendi, tum conſolandi. Compatitur itaque 1. qui cauſas doloris, & magnitudinem mali cognitas habet. 2. Qui affectu cum afflicto tranſit in ſocietatem doloris, eúmque voce, amictu, aut etiam lachrymis teſtatur. 3. Qui ſibi doloris cauſas non tam communes, quàm proprias docet. 4. Qui præſentem jacturam graviter ponderatam ob oculos ponere, novit 5. Plurimùm hîc valent adjuncta loci, temporis, perſonarum, bonorúmque amiſſorum, quibus ex effectis ingens dicendi copia aperitur.

Capita autem conſolandi ferme ſolent ex cauſa efficiente, effectis, adjunctis, teſtimoniis, & exemplis erui.

Cauſâ efficiente.

Cauſa ergo efficiens leniendis doloribus ſuggeret argumenta, ſi præſentem calamitatem derivas 1. in divínam providentiam, cui reluctari nefas ſit, aſſentiri autem & pium, & neceſſarium, quin & ſaluberrimum: 2. in vitæ humanæ conditionem, cui nihil in eodem diu gradu conſiſtat, ſed quæ perpetuâ rerum viciſſitudine circumrotetur: 3. in Superûm charitatem, quæ calamitati-

bus

bus immiſſis ſæpe ſolet animos noſtros parare ad majora bona: 4. in virtutem afflicti, quam exerceri neceſſe ſit, ut ex his nebulis pulchriùs eluceat, ejusque conſtantia in hac tempeſtate meliùs probetur: 5 in rectè factorum conſcientiam, quæ cætera mala facilè abſorbeat, aut ferat: 6. demum in tempora præſentia e. g. belli, quæ neminem ſinant eſſe felicem.

Effecta verò ſubminiſtrant conſolationi argumenta, ſi dicas 1 Adverſis docetur homo varias virtutes modeſtiam, prudentiam, fortitudinem, ne proſperâ fortunâ diffluamus in ſuperbiam, temeritatem, aut alia vitia, quæ communiter felicitatem comitari ſolent. 2. Nulla ſyncerior laus, aut melior gloria, quàm ſibi ſemper conſtare, & ſolem imitari, qui nubilis tegi, non obtenebrari poſſit: afferendæ ſunt hîc ſimilitudines conglobatæ. 3. Per adverſa ceu totidem gradus aſcenditur ad magni nominis, & virtutis faſtigium. 4. Adverſa rebus periturís avulſos animos transferunt ad veram ſapientiam, *Effectis.*

Sed nil fæcundius, quàm Ad- *Adjunctis: Loci.*

juncta: & quidem *Loci*, ſumus in exiliô, in prælio, in xenodochiô, in labyrintho; fieri nequit, ut non deviemus, ægrotemus, vulneremur, & moriamur.

ætatis *Ætatis*. Juvenis es? adverſis animos duramus, ut viri ſimus. Vir es? virum fortia probant. Senex es? ſuſtine modicùm fortunam tuam, patientiæ rude donaberis. Eodem modo ibis ad ſexum, conditionem, dignitatem, probabíſque neminem ab adverſis eximium. Quis ergo nolit maximorum virorum iisdem cum calamitatibus conflictantium ſocietate, & omnia ad virtutis lucra traducentium exemplis pati?

perſonarum. Fæcundant autem & illuſtrant hanc orationem ante omnia perſonarum adjuncta, tum conſolantis, tum conſolatæ.

conſolantis Dicat itaque conſolator 1. ſe amici dolore vehementer tangi, & partem doloris ſe ſe derivaturum in ſuammet mentem. 2. Se paria nuper, aut olim tuliſſe, aut etiam nunc timere. 3. Se pro veteri conſuetudine petere, ut dolori modus ponatur, & unica virtuti inter cancellos via relinquatur.

Is ve-

Is verò,quem conſolaris, monendus eſt 1. Chriſtianæ conſtantiæ, quam DEO, patriæve in aliis rerum acerbiorum articulis jam olim demonſtraverat. 2. monendus eſt officij, dignitatis, ſcientiæ, præcellentíſque doctrinæ, quarum rerum ratio calamitatem aut mitiget, aut etiam charam reddat. 3. monendus eſt nominis ſui, patriæ, famæ, educationis, & majorum, oſtendendúmque, quid nominis, patriæve gloriæ probo præſentis afflictionis uſu adjicere poſſit, quin & debeat, ſi ſuam ipſe velit, uti hactenus ſemper voluerat, virtutem ſequi. *conſolata*

Amaritudinem calamitatum minuunt quoque teſtimonia magnorum virorum, eorúmque de utilitate, fructúque ad animi culturam ampliſſimô effata, ſententiæ, apophthegmata, dictáve. *Teſtimoniis*

Producuntur hæc inſigniter per apoſtrophen, aut proſopopœiam. Subjungitur fortiter ad motum Interrogatio, aut Exclamatio. Teſtimoniis tandem multum roboris addit quædam breviter ſubjuncta ratio.

Demum deſolatum animum plurimùm erigunt illuſtria eorum, qui *Exemplis*

cúm adverſis fortiter, & gloriosè diu, multúmque depugnârunt, exempla: præcipuè ſi petantur à majoribus, parentibus, fratribus, vel domeſticis, aut quorum officia gerimus, noménve quorundam priorum factorum ſimilitudine jam commeriti ſumus.

Euſ. Sed unde ſumitur Exordium in Conſolatione? *Eub.* Ab animi magnitudine patientis, patientiæ meritis, vel modeſtiâ conſolantis, aut compaſſione.

Euſeb. Unde Epilogus? *Eub.* Ab exhortatione, quâ mœſtum movemus, ut animum à mœrore abductum haud dolori, quem patitur, affigat, ſed meritis ex dolore dimanaturis, Divinæ voluntati in cunctis probandæ, neceſſitati &c. quam facilè Chriſtiana fortitudo, cæteráque virtutes in animum demiſſæ poſſint triumphare.

§. IX.

§ IX.

Aperiuntur Loci ad firmandam Contentionem in profligandis malis.

VIII. INvectiva mordax eſt orationis genus, quâ in malos, vel mala vehementer invehimur, ut illorum mores acriter perſtringamus, vel iſtorum turpitudinem graphicè depingamus. Ne autem Invectiva in maledicentiam degeneret, his regulis alliganda eſt. 460 *Invectivam*

1. Exordium duces vel à magnitudine commiſſi facinoris, vel diſcrimine boni communis, aut à perſona delinquentis, vel invehentis, aut alia loci, temporíſve circumſtantiâ. *præmiſſis Exordio, &*

2. Narrabis ipſum facinus ex iisdem fermè Locis, quos n. 435. videre potes, converſo tamen, & ad odium inſtructo modô relatis. *Narratione*

3. Profer pernicioſos morum, in quos inveheris, effectus Partitione, & Adjunctis in ſubſidium evocatis. Conſequentium enarratione turpitudinem commiſſam exaggera. Adjuncta evolve, & oſtende quàm *Effectis* *Conſequentibus* *Adjunctis*

turpe ſit facinus à loco, in quo, uti eſt templum, urbs, curia &c. commiſſum eſt; à tempore, ut ſunt feſta ſolemnia, dies Paraſceves. Ne autem animi potius irritentur, quàm emendentur, oſtendenda erit gravis neceſſitas, ut facinus ritè expietur, aut mores maturè inſtaurentur. Graphicè dein exhibendi ſunt fructus tum privati, tum communes, ſi hac peſte urbs, aut reſpublica purgetur. Refractariis interminari licet ſeverum judicem, graves pœnas. præcoces irritati Numinis iras. Depingenda quoque ſunt pericula, in quibus verſantur tum vitæ, tum famæ.

Epilogus totus eſt in concitanda deteſtatione criminis, vel pudore delinquentium, vel irâ omnium proborum graviùs exarſurâ in relapſos, & hactenus conceptis emendationis ſpebus repreſsâ, dehinc autem in delinquentes ſine ulla ſpe veniæ ad omnem ætatum terrorem armandâ.

462 Orationes alias, uti

IX. Potior Contentionis labor deſudat in hactenus recenſitis Orationum generibus. In ſequentibus (quæ ferme ad genus judiciale ſpectabant olim, nunc autem ad Delibera-

liberativum tranſierunt) ſolam neceſſitatem, & brevitatem ſectabor.

1. Eſt oratio, quâ petimus noſtro, vel lædentium nomine veniam à læſo. Contentio ſolis prope adjunctis læſi, lædentis, & criminis ſtabilitur. Dic ergo de læſo 1. Pater &c. es, 2. laude clementiæ illuſtris. 3. illuſtrior futurus ex veniâ ſupplici datâ, quàm ſuppliciô: ergo. *Deprecationem Adjunctis læſi*

Dein verò lædens eſt 1. filius, amicus &c. 2. deliquit prima vice, 3. præcipitatus eſt fervore ſui incuriæ juventutis, 4. paſſione ſuperatus, 5. illiciis deceptus, 6. neceſſitate abreptus, 7. facinus commiſſum vehementer deteſtatur, 8. & gravi in ſuammet mentem animadverſione expiat &c. 9. omnem ſpondet emendationem, & 10. offert ſatisfactionem, 11. priora ejus merita, virtutes, & ſpes melioris non tantùm, ſed optimæ vitæ veniam exorant, 12. omnes fructus, qui è ſupplicio ſperari primùm debeant, jam teneri, uti ſunt odium patrati criminis, vitæ emendatio. &c. *lædentis*

Quod tandem crimen ſpectat, id 1. grave eſt, ut tua indulgentis clementia evadat ſpectatior. 2. pri- *criminis*

mum eſt. 3. occultum eſt, 4. domeſticum eſt, uti paternum &c. cujus propalatio ſæpe plus infamiæ, quàm famæ habet. 5. admiſſum eſt in loco, & tempore, in quo etiam ſanctiſſimi, obedientiſſimi ceſpitârunt. 6. Viri maximi, in quorum exempla læſus jam ſæpe dimiſſis longè gravioribus culpis venit, in ſimilia crimina uſi ſunt clementiâ magnis fructibus, & quibus?

Exordium ducitur vel à clementia la ſi, vel pœnitentia lædentis, vel criminis qualitate, aut etiam circumſtantiis temporis, vel loci &c. in quo venia petitur, aut habitûs obſoleti, vel vocis ad commiſerationem compoſitæ, quâ petitur.

In Peroratione per obteſtationem aggreedieris læſi miſericordiam, clementiam, paternum amorem &c. polliceberis emendationem, fidem, obſequia, & perennem datæ veniæ memoriam, quam velit reus alere benefactis, operibus difficillimis, non ſuis tantùm, ſed etiam proximorum, amicorúmque ſtudiis, quorum proin ſupplices manus, voces læſo per Hypotypoſes, Proſopopœias &c. ob

oculos

oculos pones. Vides Euſebi, quàm efficaciter ad motum ex his regulis alicui civitati, aut alii communitati à DEO poſſis de noxis veniam petere, & impetrare.

2. Sæpe autem delinquens non meretur veniam, ſed potius gravem ad ſceleris deteſtationem pœnam. Eam his regulis à juſto Judice poſtulabis. *462 Accuſationem*

Et quidem ex parte læſi. 1. eſt lædentis ingens benefactor: 2. in magna dignitate conſtitutus. 3. læſit neminem. 4. læſis benefecit miſericorditer, & fortiter ignovit. 5. Non una læſi virtus, ſed omnes læſæ ſunt Juſtitia &c. Porro lædens eſt 1. homo impudens, 2. ad facinus deſignandum audax, 3. ſæpius reprehenſus, & non emendatus, 4. in ipſo facinore deprehenſus eſt. 5. Crimen nec poteſt negando diluere, nec vult pœnitentiâ expiare. 6. ad ſceleris ſocietatem plurimos traxit, etiam innocentes, illuſtri loco natos. 7. clementiâ abuſus eſt ad audaciam, & impudentiam. 8. gratias convertit in injurias. Quæ ſunt illæ? quæ iſtæ per Partitionem. *Adjunctis læſi* *lædentis*

Præte-

criminis Præterea de commiſſo crimine quid dicam? Eſt 1. enorme: ingratitudo eſt, impietas eſt, ſacrilegium &c. 2. ſæpius jam commiſſum eſt, nunquam emendatum. 3. nullâ paſſione præcipitante, ſed ſolâ malitiâ voluntatis patratum eſt. 4. & coram tot, & tantis teſtibus etiam dehortantibus, nequidquam impedire volentibus. 5. Crimini debetur ex omni lege ingens pœna: ex civili hæc, &c. 6. Semper graviſſimis pœnis caſtigatum fuit ab iſtis, & talibus judicibus.

Conſequentibus criminis non puniti Et ſi crimen impunitum maneat, ſequetur 1. impudens peccandi licentia, 2. ſupprimentur boni, 3. interibunt ſanctæ leges, 4. periclitabitur majeſtas læſi, 5. impunitate liberrimus omnibus ſceleribus aditus in urbem aperietur, 6. jacebit juſtitia ab omnibus ſuppreſſa.

Effectisque puniti Si autem punietur, 1. bonis quies, malis metus parabitur, 2. juſtitiæ ſatis fiet. 3. cadentibus noxiis ſurget læſi authoritas, & legum vigor inſtaurabitur, & priſtinæ juſtitiæ à majoribus accepta gloria conſervabitur.

Exordium duces vel à commiſſi criminis turpitudine, vel deploratione

one morum, ætatis modernæ, vel à perſona læſa, aut lædente, à loco, à tempore, ab æquitate Judicis, à damnis virtuti turpiter illatis Pro rei varietate licet inchoare ex abrupto per aliquam lamentabilem Interrogationem, aut Exclamationem, Dubitationem, vel aliam figuram conſciſcendo dolori aptam.

Peroratio brevi complexione crimen ob oculos ponit, concitat motus iræ, odii indignationis &c. Judicem per patriæ, per virtutis, & præcipuè juſtitiæ amorem obteſtamur, ut ferrum ſtringat in maleficos, & peccandi licentiæ frænum injiciat, & metum; polliceberis dein tua ſtudia, & virtutis, virtuoſorúmque gratulationem.

Ex his regulis vides, quàm graviter dæmon coram divino tribunali poſſit plures accuſare. Time peccatum.

3. *Euſ.* Sæpe innocentia vocatur 403
ad cenſuram. Quomodo defendo *Defenſionem*
innocentem? *Eub.* Aut factum, quod impingitur, negabis, aut excuſabis. Niſi alterutri veritas argumenta ſubminiſtret, & virtus, defendendus nemo eſt. *Euſ.* Quomo- *negantem factum*

do

do defendendus innocens negando? *Eub.* Exordium 1. duc vel à loci, temporis, tuæ, vel accuſatæ perſonæ circumſtantiis, ac te ſolius virtutis, & innocentiæ amore ad defenſionem incitatum profitere. Deſcribe dein ipſum factum, & capita accuſationis. 3. Contende deinde quàm hoc facinus ſit à Cliente tuo alienum. Et quidem.

adjunctis accuſati

1. Is virtute, & morum candore ſuſpicionem ſceleris procul à ſe repellit etiam nemine alio loquente. 2. Odium malorum incurrit nulla re, niſi quòd eorum moribus, ſuas virtutes objecerit. 3. Nemo fuit, qui ad facinus impelleret, non ſocius, non vitium. 4. Nullum lucrum ex facinore etiam impunito poteſt accuſato accedere.

accuſantis

Dein accuſantis argumenta quàm ſint infirma confutatione proba 2. eum non tam juſtitiæ amore, quàm odiô ad accuſandum erupiſſe. 3. eum deſtitutum legitimis teſtibus, qui facinus viderint. 4. eum legibus, & debito juſtitiæ ordini detrahere.

excuſanteem factum

Quod ſpectat alteram defenſionis ſpeciem, quàm Apologiam dicimus,

cimus, quáque factum ad judicem adductum excuſamus, petit illa Exordium vel ab admiratione, virtutem tanquam magni criminis ream ad judicium citari, vel ab obligatione defendendi benefacta, vel à ratione officij, aut circumſtantiis actoris, clientis, Judicis, loci, vel temporis. Tum ſubjunges facti narrationem, & ex his capitibus defendes.

1. Facinus patratum eſt ex optimo fine virtutis, & quænam illa: an charitas, an pietas? *causâ finali*

2. Is qui patravit, ii qui conſilium, opémque contulerunt, honeſtatem in omnibus ſectati ſunt, & hæc ipſa facinori faciem prætulit. *efficiente*

3. Facinus ipſum, etſi minus ſapientibus plus vitii, quàm virtutis habere videatur, virtuti debetur. Idque proba ab Adjunctis, & Effectis. Illa ſunt locus, tempus &c. quo patratum &c. Hi proborum admiratio &c. *adjunctis, & effectis*

Similia facinora laudem meruerunt in faſtis ſacris, è calamis, & ore S.S. P.P. *tiimoniis*

5. Exempla non deſunt illuſtrium ex utroque ſexu hominum, qui facinori facem prætulerunt. *exemplis*

6. Com-

contrariò 6. Compulit magnum bonum conſervandi, & magnum damnum incurrendi neceſſitas. Enarra hîc damna hæc, & bona, & per comparationem, & Antitheſin utraque ob oculos pone.

Ex his legibus egregiè defendes S. Ebbam Abb. Coludenſem, quæ ſibi, ut irruentium barbarorum libidini virginitatem ſubduceret, nares, & labra præſcidit, ſuóque exemplo reliquas virgines ad idem facinus allexit.

In Epilogô autem apologiæ convertimus nos ad laudes facinoris, ſi verò id negamus, ad preces.

464
Objurgationem

4. Ut bonis defenſio, ita malis debetur objurgatio, illis, ut abſolvantur, his, ut emendentur. Unde ferme ſuperiorum ad inferiores eſt objurgatio, ducis ad milites, paſtoris ad oves, parentis ad proles.

Exordium excipit criminis graphica per hypotypoſin ſubjecta delineatio. Ex qua dein dimanare ſolent hæc argumenta.

Adjunctis facti

1. Facinus eſt turpiſſimum. 2. alienum à moribus, inſtitutione majorum, conditione, loco, tempore. 3. Si impunitate foveatur, non poſſunt

ſunt non ſcandala; ſi exemplis propagetur, non poſſunt non graviſſima mala naſci. 4. Eſt contra multas virtutes, contra patriæ pietatem, contra Superûm religionem, hominúmve cultum.

In delinquentibus conſidera 1. obligationem multam, & variam, quæ à perpetrato crimine debuiſſet avocare. 2. Locum, tempus, authoritatem præſentium, infamiam nominis, metum ſupplicii, tum à Deo, cùm homine intentatas minas. 3. Intentionem delinquentium, quam illa fuerit turpis produces, quàm inanis, inhoneſta. *facientium.*

Duo autem in hoc rationis genere dominantur affectus, ira increpantis ex vultu, oculis, & ore promicans; ac odium admiſſi ſceleris. Ut verò finem, qui eſt emendatio, objurgationis conſequaris, mitiganda eſt indignatio melioribus conceptis ſpebus, offerenda ſunt remedia, ut facinus expietur, intermiſcendæ minæ, ne amplius committatur, remittenda pars pœnæ, ob culpam, cujus aliqua pars poſſit rejici in fervorem juventutis, aut impetum paſſionis, aut vim tentationis.

Exordium ferme ſumitur à dolore ex comiſſi ſceleris fæditate nato, ídque ex abrupto per figuram Interrogationis. Dolori materiam dabunt adjuncta dicentis, ut ſenium, cura paterna &c. e.g. *Siccine canos meos colitis.* Ex his Locis Moſes idololatras Hebræos graviter increpavit.

465 *Comminationem*

5. Sunt non pauci Euſebi, qui objurgatione ſanari non poſſunt, niſi tones, & fulmines, ac graves pœnas intermineris. Hos ergo his Locis aggredere.

Exordio ex abrupto ducto, pleno juſtæ indignationis ſubjicies ſceleris per Hypotypoſin genuinam deſcriptionem, tum digniſſimum pronuntiabis juſtâ, eáque non inermi irâ, ſed armata ſuppliciis, quæ perPartitionem in exhæreditationem, incarcerationem,furcas,& rotas &c. diviſa in delinquentes contorquebis; ac exhæredandos dices ex Nov. 115. c. 3. Lapidandos ceu adulteros ex Levit. 20. 10. Et ſic de aliis

Adjunctis criminum

Probabis autem ſuppliciô dignos 1. ex Adjunctis ſcelerum. Sunt ſæpe commiſſa, toties prohibita,

gravia

gravia ſunt in ſe, damnoſa communitati, ſimilia peſti &c.

criminoſis

In criminoſis conſidera, quàm ſint multi, quàm ingrati pro beneficiis, quàm ea fuerint magna, & multa; quàm ſæpe moniti, rogati, territíque, ut tandem ſceleribus modum ponerent; quinam ſint dignitate, officiô, obligatione, pietate, inſtitutione, ac quàm vehementer hæc ſcelera debeant, & poſſint abhorrere ab eorum dignitate, nobilitate &c.

Effectis criminum

Metum etiam adaugent effecta criminum, quæ per Partitionem, & Adjuncta graviter allata oſtendunt mala, quæ patrata ſunt in templis contra religionem, in patria contra pietatem, in curia contra juſtitiam &c.

Conſequentibus impunitatis.

Tum explicandus eſt metus majorum malorum à Conſequentibus, uti ſunt. Interibit legum auctoritas, virtutis exiſtimatio, invadet rempublicam Superûm, & majorum contemptus, libido peccandi.

Tabulis

Ex tabulis palam facies, ſemper graviſſimè in ſimilia crimina fuiſſe animadverſum.

Tandem in concluſione teſtabe-

ris, quàm bono hæc omnia animo à te dicta ſint, & quanto audientium fructu, ſi eosdem tuis monitis obſequentes habeas. Atque hanc tuam ſpem graviter ob oculos pones adhortatione, obteſtatione, precibus per ſalutem, per cœlum. Quòd ſi verò ſcelere nolint abſiſtere, teſtaberis per Hypotyposin, tibi jam videri audire te ſtrepitum expedientium rotas &c. & ſtrictam juſtitiæ machæram jam fulgurare in reorum necem. Fugerent ergo, dum licet, ac ni monitis uti velint ad ſalutem, miſerè perituros omnes denuntia.

Sic tu Euſebi ſi peccatoribus divinæ Juſtitiæ ſeveritatem intermineris, næ non dices ſine motu, & fructu.

466 Exprobrationem

6. Grave crimen, & multorum criminum mater eſt ingratitudo, ſolétque præ aliis vitiis etiam forti viro extorquere, ſi non patientiam, certè iram. Atque hæc præbet Exprobrationi materiam ex his Locis.

In protaſi Exordij extolle beneficiorum magnitudinem, in Apodoſi defle quàm exigua rependatur iisdem gratitudo. Tum in Contentione juſtiſſi-

ſtiſſimam in ingratos iram, & indignationem deprome.

1. Vos fuiſtis olim pauperes, viles, abjecti. 2. Creviſtis beneficiis. Quæ hæc quàm magna, quàm multa? 3. Abuſi eſtis in meam injuriam. Quænam hæc, quàm magna, & quamdiu, quàm frequenter. 4. Novis beneficiis non potuit cicurari effrons ingratorum impudentia. 5. Ingratitudo tranſiit in alia ſcelera, & ſceleratorum ſocietatem, hoſtium conjurationem. Quantâ ſint hæc facta malitiâ, & ex malitia emerſerint damna, demonſtrabis per Partitionem. *Adjuncta beneficiatorum.*

In benefactore conſidera 1. Quis ſit dignitate, officio, aut natura: an Princeps, an magiſter, an pater. 2. Quis ſit virtute: quàm bonus, quàm liberalis, quàm patiens &c. 3. quis ſit poteſtate: quàm graviter, ſi velit, poſſit punire, punieritque tantæ convictos impudentiæ. 4. Quamdiu, quàm patienter tulerit ſua beneficia tam graviter contemerari. 5. Quàm facilè, ſimulque quantâ ſuâ gloriâ potuiſſet ſua beneficia in meliores, & gratiores elocare. 6. Quàm ſæpe ingratos, & efficaciter monuerit ſui officii. *benefacientis*

7. Quàm parùm laudis, honoríſque ex ſuis beneficiis receperit hactenus, aut recipere dehinc poſſit ab iis, qui potiorem, & nobiliorem beneficiorum partem jam abliguriverint in libidines, in voluptates &c.

Conſequentibus ingratitudinis.

Porro temonem vertes ad Conſequentia Ingratitudinis, & vaticinaberis miſeram ingratis ſortem; interrogabis, ubi beneficiis, & gratiâ benefactoris exuti opem, & ſolamen petituri ſint? monebis quanta conſecutura ſit ingratitudinem confuſio &c. ſecuturam autem probabis ex oraculis teſtimoniorum, & diptychis exemplorum.

Effectis punitionis.

Tandem exaggerabis effectus ingratitudinis, qualis eſt ingens tempeſtas, quæ in momenta ſingula ſit exſpectanda, pœna in hac, & altera vita, deſperatio beneficiorum, & benefactorem reconciliandi.

In Peroratione itaque juxta leges comminationis hortaberis, ut metu maximorum malorum compulſi, clementia benefactoris allecti beneficia dehinc melius collocent. Ut id quàm citiſſimè, ac optimè conficiatur, ſuggeres media, enumerabis obſequia, qui-

quibus benefactor maximè delectatur.

Ex his Euſebi Locis an non facilè ſuam hominibus erga Deum ingratitudinem exprobrabis, & feliciter ex animis eliminabis?

7. Re ſimilis, licet mitiore gradu incedat, Exprobrationi eſt Querimonia, petitúrque ex ejusdem ferme Locis. Differt tamen, quòd illa ingratitudinem, hæc quamlibet injuriam inſectetur. 467 *Querimoniam*

Exordium itaque duces à meritis, & laude benefactoris, oſtendéſque, quantam beneficia collata gratitudinem depoſcant. In Apodoſi dein prodes non ſine gemitu, aut ſuſpirio, quantùm à gratitudinis, humanitatis, ac obligationis debitæ legibus deſcitum ſit.

Exordium excipit graphica Narratio injuriæ, ac augetur his capitibus.

1. Fuit magna, 2. ſæpius illata, 3 coram arbitris, 4. non ſine contumelia, 5. poſt multa merita, 6. nullâ datâ causâ, 7. non ſine ſtomacho plurimorum. Et quinam illi? *Adjunctis injuriæ.*

Qui injuriam intulit, eſt 1. vilis, 2. obſtrictus, 3. domeſticus, filius, cliens, amicus, 4. nunquam offenſus, *injuriantis.*

 5. mul-

5. multis beneficiis alitus, 6. ad magnam dignitatem promotus, 7. nullo inſtigante percitus, 8. aut ab hoſte ad nefas concitatus.

injuriati

Qui injuriam accepit, eſt 1. dignus maximo honore ob ſublimia officia, 2. obſervantiâ ob patris, Superiorísve dignitatem, 3. cultu ob inſignes virtutes, 4. & maximè recenſenda ſunt injuriati in injuriantem beneficia, & quidem horum Adjuncta, uti quàm fuerint magna, multa, quantis conſtiterint laboribus, quo animô, quo fine fuerint collata. 5. Eventilanda ſunt Conſequentia beneficiorum, & Effecta, niſi in tam ingratum cecidiſſent: talia ſint gratitudo, in vicem liberaliter repenſa obſequia, beneficiorum laus, & memoria. 6. tandem à contrario monſtrandum eſt, quàm nihil horum repenſum ſit dilectiſſimo e. g. patri &c. ſed potius injuriam, odium, oblivionem, probra, calumniam &c.

Atque hæc omnia eo verborum apparatu ſunt adducenda, ut & illata injuria expietur, & injuriato ſatisfiat contrariis, & probis operibus. Epilogus itaque Querimoniæ ſe totum effundit per apoſtrophen, per obteſtationem &c. in preces ad eos, à quibus

inju-

injuriæ remedium exſpectari poteſt. Obteſtaberis itaque reos per ſalutem animæ, abjurabis per virtutes,& beneficia benefactoris,ut illico fædam hanc infamiæ notam eluere laborent.

Ciebis Euſebi ingentes motus ſi Chriſti ad fideles,patriæ ad inquilinos, Religionis ad Religioſos, purgantium animarum ad liberos Proſopopœjam ex his Locis conſtruxeris.

8. Verùm ſunt nonnulli, qui nec querimoniis moveri, nec exprobratione percelli, nec comminatione, alióve modô concuti poſſunt, ſaxis duriores, dæmonis aſſeclæ, & dæmoni, quàm homini ſimiliores. His itaque non tam remedia, quibus emendari non poſſunt, quàm fulmina, quibus intereant, quærenda ſunt. Deſperantem ergo de Chriſti ſanguine lavernionem nullo præmiſſô Exordio his capitibus ex abrupto aggredieris. 461 *Concitationem*

1. Terram appellabis, ut dehiſcat, dæmonem, ut advolet, ac ſceleſtum abſorbeat, diſcerpat. 2. Appellabis omnes humanæ, divinæque juſtitiæ rigores, cruciatúsque, ut in reum uno torrente implacabiliter exonerentur. *imprecatione*

Dein ordine, quem odium, & ira monſtrârit, perges ad argumenta,qui- *ratione*

 bus

bus probes eum juſtam omnium execrationem mereri. Primum eſt, beneficia in immania flagitia convertiſti tamdiu Deo, hominibus, toti reipublicæ injurius. Secundum eſt, conjurâſti cum iis,qui communem felicitatem penitus evertere ſemper ſunt conati. Tertium eſt. A viris ſanctiſſimis non ſine ingenti labore, ac impendio multis jam annis ſuggeſta remedia contempſiſti, abjeciſti. Quartum eſt, palam ſpem omnem ſalutis toties conculcâſti inter blasphemas in cœlites omnes, & Deum ipſum vociferationes. Quintum eſt, dæmonis te etiam dato chirographo ſervituti mancipâſti. Sextum eſt, dæmonum ope gravia in innocuos mala impudenter accerſiſti.

Tum in concluſione dices. J ergo ad dæmonum,& conſceleratorum, quos vitâ, moribus, factíſque ſecutus es, ſocietatem. Jam exſpectant te. Jam acuunt in tui carnificinam rotas, machæras. Jam parant ſartagines &c. J, & interitu tuo äera, patriámque purga. J, & qui manum monitis, & ſaluti non dediſti, da conſcelarata latera, brachia, genas, corpus totum inferis fuſcinis dilaceranda.

At-

Atque his Euſebi fors impœnitentem quempiam haud inutiliter conterrefacies. *Euſ.* Sed quomodo ſubito vertenda oratio eſt, ſi is animum ad ſpem erigeret? *Eub.* Ex Locis n. 454. recenſitis DEI miſericordiam extolles, ac ad meliora conſilia hortaberis.

Ex his patet utiliſſimum eſſe hunc §. eúmque toties adeundum, quoties mala, delicta, ſcelera ſunt profliganda. Si pœnitenti malorum veniam cupis impetrare, n. 461. dicendi materiam ſuggeret; ſi reo pœnam, 462; ſi innocenti tutelam, n. 463; ſi delinquentibus emendationem, n. 464; ſi lapſis indemnitatem, n. 465. ſi ingratis pudorem, n. 466. ſi peccantibus pœnitentiam, n. 467; ſi demum impœnitentibus vis incutere terrorem, viam dicendi aperiet n. 468. Contuere hæc omnia in hac ichnographiâ Num. V.

§. X.

Peroratio, ejúsque condendæ leges producuntur.

469 *Inſtituere Perorationem induſtriâ inſigne prob[illegible]*

I. DEvictô per appoſita Contentionis argumenta intellectu, & vo-

& voluntate per inſignes figuras inclinatâ connitendum eſt omnibus eloquentiæ viribus oratori, ut eandem penitus tandem expugnet, & triumphet. Atque is triumphus ſoli ferme debetur Perorationi, ut adeo neſciam, an ulla ſit Rhetorices pars, quæ majori vel induſtriâ docenda, aut impendiô ſit diſcenda.

impreſſam intellectui

Euſ. Quid ergo eſt Peroratio? *Eub.* Artificioſus orationis exitus. *Euſ.* Quæ ſunt ejus munera? *Eub.* Duo primum intellectui, alterum voluntati impendit. Intellectui argumenta variè per totam orationem ſparſa uno velut faſciculô graviter ob oculos ponit. Voluntatem movet, percellit, penitúſque expugnat. *Euſ.* Quibus id utrumque conficit Peroratio? *Eub.* Tribus: Enumeratione, Amplificatione, & affectu.

Enumeratione dictorum per

Euſ. Quid requirit Enumeratio; *Eub.* Ut argumenta orationis in contextu fuſiùs dicta, breviter, clarè, ſed nova verborum (ne eandem crambem recoquas ad nauſeam) varietate recapitulantur.

figuram Interrogationis

Atque hæc Enumeratio fieri poteſt ex omnibus Locis vario modô, & omnibus figuris vario ornatu. Ex

Interro-

Interrogatione „Hæc ſiquis ſeriò perpenderit, fieríne poteſt, ut non „contremiſcat? Ex Ironia. „Ite „vias ſcelerum: non vos percellat „horrida mors, non terreant infer„nales ignes. Incaſsùm clamat è „cruce Servator.

Ironia.

„Ex Apoſtrophe. Vos ego com„pello ad infernalem rogum damna„tas turbas. Dicite nobis, quid ſit „peccatum, fructus ferat. Et ſic compellandô damnatos recapitulabis tua dicta. Ex præteritione. „Mit„to ego virtutis in cœlo merita, „non laudo in vita quietem mentis, „non loquor beatam mortem &c. Ex Aſynthetis. „Audiſtis turpitudi„nem peccati, damna, plagas, fu„nera. Fugite peccatum. Etiam„num ædes, oculos, mentem ip„ſam huic fæditati conſpurcandam „dabitis? Ex Anaphora. „Infeliciſ„ſimus peccator eſt: brevem volup„tatem æternùm luet. Infeliciſſi„mus: miſerrimam ſenſuum, & dæ„monis ſervitutem ſervit &c. Atque ſic ex aliis figuris uſum Epilogi educes. *Euſ.* Sed quænam debent in Epilogo repeti? *Eub. Proximæ*, & ex *Remotis* eæ tantùm, quibus totius cauſæ robur innititur. *Euſ.* Quo autem ordi-

Apoſtrophes

Præteritionis

Aſynthetorum

Anaphora

ordine dicta repetenda ſunt? *Eub.* Quo ſunt allata, inchoandô à prima Proxima ad ſecundam eundô; aut econtra inchoandô ab ultimâ, & redeundo ad penultimam &c.

Amplificatione per

Euſ. Quid autem requirit Amplificatio? *Eub.* Fervorem ingentem, contentionem, vim ſingularem ipſis verbis breviter, & nervosè prolatis inhærentem. *Euſ.* Quî comparatur hæc vis? *Eub.* Duobus. 1. Varietate figurarum, præcipuè obteſtationis, Exclamationis, Apoſtrophes, Hypotyposîs, Invocationis, Deprecationis, Proſopopoeiæ nunc à DEO, cœlo, Cœlitibus &c. nunc ab hominibus, inferis &c. repetita. 2. comparatur congerie argumentorum ex eodem Loco (Adi n 296.) prolatorum: uti ſunt definitiones conglobatæ, conſequentium frequentationes &c. *Quis non timeat peccatum? illud monſtrum, illam peſtem &c.*

varietatem figurarum

congeriem argumentorum

Commotione affectuum per figuras vehementiores

Ex Enummeratione, & Amplificatione ritè inſtituta ultro naſcitur, quæ potiſſimùm in Peroratione quæri debet, affectuum commotio. Movebis ergo, ſi ad debel-

landam

.andam audientium voluntatem, & quandam veritatem intimis eorum viſceribus infigendam nunc è tumulis evoces ſceleratos, nunc morientes, nunc Cœlites &c. eósque per Apoſtrophen interroges, quid ipſi de hac veritate ſentiant, aut per Proſopopœjam eosdem adducas, ut conſilia agendi ſuggerant, minas intentent, promiſſisve ad finem, ſcopúmque præfixæ propoſitionis alliciant.

Euſ. Sed quinam affectus ſunt concitandi? *Eub.* Quos propoſitio præfixi thematis expoſcit. Dixi tibi de hac re toto capite 4, & hîc te paucis monitum velim, in oratione panegyrica dominari potiſſimùm affectus, qui circa bonum verſantur, in vituperatoria ii, qui circa malum; in genere Deliberativo autem, illos concitandos, cùm ſuademus; hos, cùm diſſuademus. Sic itaque cùm laudas, gratularis, aut gratias agis, concitas amorem, gaudium, deſiderium, æmulationem. Cùm vituperas, odium, invidiam, pudorem, iram, triſtitiam &c. Cùm ſuades, ſpem, deſiderium, audaciam, admirationem, æmulationem. Cùm diſſuades, animanda eſt fuga, ira, triſtitia mali præ-

ſentis,

ſentis, & timor majoris imminentis, commiſeratio, indignatio, invidia, pudor.

Et hæ ferme ſunt regulæ, quæ de Peroratione tradi ſolent præceptione faciles, ſed non ita executione. Ut ergo, quantùm licet, eandem expeditiorem reddam, quandam tibi variæ Perorationis, ichnographiam ob oculos ponam, cujus ſi lineamenta ſequi volueris, haud tibi operoſum erit in quovis dicendi genere aptam Perorationem efformare. Initium capiamus à laudativô.

470 *Generis demonſtrativi per Apoſtrophen*

II. *Euſ.* Quomodo texo epilogum, ſi cujusdam Divi eximiam in mortales charitatem probavi?

Eub. 1. Eidem per Apoſtrophen committe claves cordium, urbis, in qua dicis. Roga, ut ſuæ charitatis prodigia propaget in viciniam, totámque patriam. Polliceberis dein tuo, & Auditorum nomine imitationem, cultúmque virtutum, quas produxiſti.

2. Divum per Apoſtrophen interpella, ut ſuas ipſe virtutes 1. manifeſtet, 2. eas animis præſentium altùm imprimat. 3. Perges per Adjuncta, ut ſenatui ſuum juſtitiæ zelum, clero ſuam

ſuam animarum ſitim conferat. Demum 4. obteſtare Divum per gratias, per virtutes, quibus celebre illud, quod in contentione attuliſti, elogium promeruit, ut in ſui imitationem ſingulos trahat.

3. Obſtupeſce Divi ſanctitatem. Dein age Deo gratias pro donis Divo collatis. Tum per Apoſtrophen. Vos ego pictores appello : pingite Benedictum , Benedictíque beneficia. Vos ſtatuarii effigiate. Vos ſculptores ſculpite. Vos omnes artifices elaborate in auro, in argento, in ære, in marmoreis columnis D. Patriarchæ ſanctimoniam. Ejus dehinc imago ubique oculis objiciatur ad admirationem , animis ad imitationem Pergite vos ſcriptores , vos quoque concionatores pergite altiùs D. Benedicti humilitatem &c. quàm ego potui , extollere. Erunt dein plurimi ubique, qui, ſi non auſerint ſe in vepreta conjicere, luxum tamen omnem execrationi habebunt. Erunt dein, qui ſi non &c.

4. A Sancto, quem laudâſti, pete gratiam imitationis , erubeſce teporem tuum, & communi nomine omnium præſentium. Accuſa ingratitudinem , & ignorantiam beneficio-

 rum,

rum, offer jam cor, oculos, manus &c. ad emendationem, & imitationem.

Communicationem Inſignem quoque operam confert ad efformandum Epilogum, Communicatio.

1. Inſtitue conſultationem cum Auditoribus, ac cum ipſis pro loci, temporis, perſonarumque uſu decerne, quantam ob oculos poſita beneficia exigant gratitudinem, quantam exempla imitationem; quantam &c. Tum è communi calculo decerne conſpiraturos omnes in unam ſententiam e. g. Divum eligendi in Tutelarem, Magiſtrum, Ducem &c.

2. Quære per eandem figuram, quid majus dari potuerit à Deo toti civitati, aut patriæ, quàm tot in uno Divo virtutes ad inſtaurandos mores, tot auxilia ad propulſandas calamitates. Tum oſtende quantam priſtina beneficia ponant neceſſitatem, ut nemo non ſumat novos animos Divum colendi. Dein per Exclamationem pande quàm magna futura eorum ſit ingratitudo, qui à tantis exemplis auſerint abludere. Sed Deo laudes! non permittet hoc Divi noſtri paterna ſollicitudo. Et eam vos ipſi meremini: meremini illa fiduciâ, quâ ad

Divum

Divum concurritis in omni adverſitate: illâ &c. Pergite &c. Pergetis ſic regia via ad cœlum, ad Divum.

Ex figurâ Dubitationis ſic perorabis 1 „Cùm igitur tantæ ſint hujus Di-„vi virtutes, ut neſciam, caſtitatémne „præponam charitati, charitatem fi-„dei &c. videor mihi litem inter ſin-„gulos Cœlitum choros oriri Divum „ambientium. Suo choro vendi-„cant Apoſtoli ob flagrantiſſimum a-„nimarum zelum &c. Cùm ergo „Sanctus noſter à virtutum præſtantia „omnium Cœlitum imaginem refe-„rat, quæremus eum in tentationibus „carnis inter Sanctas Virgines, in ad-„verſis inter Martyres &c. Virgi-„num ille nobis puritatem impetra-„bit, MM. ille nobis conſtantiam. Et „quid dubitatis &c.? Sinum pandite. „Negare nequit &c. *Dubitationem*

„2. His perpenſis anceps hæreo, „priúsne condoleam iis, qui ſe maxi-„mi hujus Divi patrociniô diſpoliant „per ſocordiam; an congratuler illis, „qui illud ambiunt per vitæ probita-„tem? O quantâ ſe illi ope deſtituunt „in ſuprema mortis luctâ, quanto e-„contra iſti gaudent ſubſidiô &c. Ut „ſis à miſeris iſtis quàm remotiſſimus,

„& inter Divi clientes locum vel po-
„ſtremum merearis, age, rumpe mo-
„ras, conſidera, quid à te Divi ſancti-
„tas, beneficia &c. expetant.

471 *Hortationem* Frequens eſt ſacris præconibus Hortatio, quam ſimili formulâ concludes.

„1. Quid jam tanta Divi ſancti-
„tas à nobis poſcit, quàm ut eum mo-
„ribus, & probitate ſequamur? Vos
„eſtis nomine, hæreditate filii magni
„Patriarchæ. Eum DEus in cœlum
„ſuſtulit. Ejus jam vices agitis, à vo-
„bis exſpectantur Patris exempla.
„Quæ major veſtro nomini editis li-
„bris celebri, doctrinâ grandi, rebus
„pro bono publicô geſtis illuſtri glo-
„ria poteſt accedere, quàm ſi in vita
„Patris veſtri ſanctitas eluceat? Sed
„quid currentes ad curſum hortor?
„Plura factis oſtenditis, quâ ſitis origi-
„ne nati, quàm ego queam verbis
„producere. Patris veſtri demiſſio
„promicat in inceſſu veſtro &c. Per-
„gite, & chriſtiano orbi ſpectaculum
„geminate, ut obſtupeſcat Patriarchæ
„veſtri ſanctimoniam, & demiretur
„mores veſtros tanti Patris ſimilli-
„mos.

„2. Eam

„2. Eam rerum mirabilium ſe-„riem cùm altiùs aſpicio, non poſſum „non vobis gratulari felicitatem ve-„ſtram longè maximam. Vos, vos „eſtis, qui ſub Divi patrociniô ſecurè „quieſcitis. Noctu vigilat pro vobis „&c. Jam non ego miror priſtina illa „veſtra in Divum ſtudia. Didiciſtis „enim à patribus, quantas ille tempeſ-„tates ab urbe veſtra propulsârit &c. „didiciſtis &c. Tu igitur tuos clien-„tes tueri perge. Vide quanti du-„cant tuum patrocinium? audi quàm „frequens de tuis virtutibus ſermo &c. „Sed nec iſta ſufficiunt amantibus. „Ecce communi ego eorum nomine „tibi adgeniculor, precórque. Im-„petra majorem te amandi facultatem „&c.

3. Concitare in epilogo potes magnam in Divum quendam fiduciam, ſi dixeris eum vixiſſe in eodem loco, habitu, inſtituto, quo auditores vivunt, aut piâ audaciâ pronunciaveris Divum eſſe quodamodo ad ſingularem eorum tutelam obſtrictum, qualis eſt ordinis conditor, templi Tutelaris &c.

Epilogo multum ardoris, & facili- *472 Interrogationem*

 tatem

tatem dicta repetendi confert Interrogatio. Sit ergo.

„1. Si res ita habet, quid facimus? „Quid rependimus tantæ Divi demiſ„ſioni? quid tantis beneficiis? quid „tantis virtutibus? An erigemus aras? „non ſuppetunt dicitis, opes. An &c. „Quid ergo facimus? Conſilia non „audetis depromere? Interrogabo er„go ego Divum veſtro nomine. Vi„deor mihi audire de cœlis loquen„tem. Ego ait vitavi malum, & feci „bonum. Et ſic deinceps Divus petat per Proſopopœjam ſtatui auditorum conformes virtutes, à clero puritatem, à Religioſis obſervantiam &c.

„2. Tanta eſt Divi ſanctitas &c. „Et tamen hactenus ea fuit à non pau„cis parùm culta, quin & nonnullis „ignota. Quid ſi DEus tanto vos ve„ſtræ ſalutis flagrantiſſimi viri præſidi„ô deſtitueret? an non eſſetis orphani „ſine patre? Et quid? ſi vosmetipſos „per ſocordiam, deſtituatis? Abſit „hoc à nomine veſtro. Currite ad „Patrem: filiorum prærogativam à „moribus capite. Nemo ſit noſtrûm, „qui filiis tanti Patris aliquid indignum „audeat. Tum laxare potes promiſſa ſedulis clientibus præmia.

„3. Quæ-

„3. Quæramus itaque opem per „Benedictum. Sanitatem optamus? „quæramus per Benedictum. Pacem „&c. O S. Benedicte non latent te „noſtræ multiplices ægritudines &c. „ſana. Non latent. Tunc patebit „DEI in te amor, & tuus in nos. „Patebit &c. ſicque omnibus quæ in contentione dicta ſunt, repetitis, ſubiice. „Ecce omnes advolvimur „genibus tuis. Fac nos ita tuas virtu„tes imitari, ut ad te in patriam vir„tutum admittamur. Tandem in genere epidictico ex optatione, & Proſopopœiâ ſic poteris perorare.

„Atque utinam tam mihi facilè „foret, altiſſimè animis veſtris inſcul„pere debitam erga Sanctum N. gra„titudinem, tam præclarè de vobis „meritum, quàm quantùm illi de„beatis, ob oculos ponere poſſum. „An non liquida minùs, quàm „magna ſunt debita omnis ætatis in „Divum? Debent afflicti ſolamen &c. „Evenit tamen non paucis, ut de re„pendenda gratitudine parùm ſint „ſolliciti. Unde hoc? Non conſi„derant, quantus ſit in cœlo. Uti„nam ego poſſem ejus vobis poten„tiam, & opes oſtendere. Videretis

473 Optationem

„clavem auream ad maximas gratias „in ejus manibus. Videretis &c.

„2. O nos felices ſi tanti Cœlitum „Principis patrocinium impetraverimus. Tum enim verò ejus demiſſio erit noſtræ ſuperbiæ velox emendatio &c. Erit &c. Et ne dubitemus. Impetrabimus feliciter, „quod rogamus. Ardentiùs cupit „ſuas opes dare, quàm nos accipere. „Paremus tantùm ſinum &c. Utinam nil repoſitum eſſet in cordibus „noſtris, quod ejus liberalitatem poſſit morari! Utinam illa Divi alienæ „ſalutis flagrantiſſima ſitis; quæ &c. „ſuccenderet in nobis curam procurandi propriam? Utinam ille rigor noſtram libidinem &c. caſtigaret. O quàm citò &c.

Proſopopœiam

„3. At ſileo ego. Ecce magnus „Patriarcha os aperit, & nobis dignatur ſuarum virtutum catalogum „texere. Dein per Proſopopœiam. „Agite Filii! aliud ego à vobis pro „priſtinis illis, magnis, frequentibus beneficiis non peto, quàm ut „imitemini eum pro conditione ſtatûs veſtri, quem ego tantis laboribus imitatus ſum, Chriſtum. Si „vobis tantum animi non eſt, ut in

gravi

„gravi carnis tentatione, vos me-„cum in vepres abjiciatis, ſaltem „lubricam occaſionem vitate. Si vo-„bis non eſt &c. Id ſi feceritis, ne-„mo erit, cujus mihi ſingularem „curam non ſumam. O ſuaves vo-„ces! Quid obſtat? cur non parea-„mus tantis hortationibus, & hor-„tatori tanto? Ite, ſtudia veſtra Di-„vo addicite, reſpondete ejus pater-„næ exhortationi &c.

Licet figurâ Repetitionis quivis epilogus & neceſſitate debeat, & inſigni ornatu poſſit animari, ſingularis tamen eſt iſthæc formula, quàm de S. Benedicto pono. *Repetitionem*

„Cùm omnia hactenus narrata „conſidero, ingenti admiratione per-„cellor; cùm autem perpendo hæc „omnia ab uno tantillo temporis ſpa-„tio geri potuiſſe, in novum & in-„ſolentem ſtuporem abripior. Vi-„diſtis Benedictum in agro colo-„num, in Caſino Apoſtolum, in „monaſterio Abbatem. Agros ligo-„ne, paganos fide, Religioſos virtu-„tibus excoluit. Quis tot his unus „perſonis obeundis ſufficiat? Unus „tamen omnium *juſtorum ſpiritu* „*plenus* ſuffecit Benedictus.

„Suffecit, quia ducatu Moſes, „multitudine poſteritatis Abraham „&c. fuit. Optem jam ego quoque „viro tam multiplici, & omnium „juſtorum ſpiritu pleno ſupplices „omnes uno animô complecti, eúm„que invocare loco omnium. O „Benedicte ora pro Eccleſia cui tot „dediſti SS. Præſules, pro Imperio „Rom. cui &c.

474 *Deliberativi ad malum diſſuadendum per Apoſtrophen*

III. *Euſ.* Da mihi quoque pro Genere Deliberativo formulas perorandi? *Eub.* Complectitur, uti ſæpius monui omne bonum, quod ſuademus, & omne malum, quod diſſuademus. Pro quo ſint hæc exempla.

„1. Vos ego compello Benedic„te, Anſelme ſenſum mali hujus in „animos noſtros transfundite. Ma„luiſtis potius mori, quàm fœdari. „O ſi veſtro exemplô vellemus ſaltem „brevi aliqua voluptatulâ carere, vel„lemus ſaltem mentem à DEI inju„riis abſtinere, à crucifigendo Fili„um DEI manum. Et en jam volu„mus. Veniam! ah veniam impe„trate!

„2. Inclamat Paulus, inclamat „Gregorius &c. & tamen pauci percellun-

„celluntur mali N. horrore. Unde „tanta ſurdities ? an &c. ſed &c.

„Sinite ut ad JESU pedes ab-„jectus conquerar veſtram temerita-„tem. Bone JESU ? minaris tu peſ-„ſimo huic hominum generi æter-„num exitium. Vis ut & ego verba tua „ex ſanctiſſimo ore ſumam, & tonitrua „tua intonem ? intonabo. Iterum „miniter ? minitabor &c. Fugite, fu-„gite. Breviſſimum eſt, quod ad „effugiendam offenſi Numinis iram „datum eſt tempus. Fugite &c.

„3. Hærebimúsne diutius in ſor-„dibus noſtris &c ? Abſit : damna-„mus improbitatem noſtram &c. „Venite communi nomine veſtro, „è ſalute veſtra æterna exarabo San-„guine Chriſti ejus cruci adgenicula-„tus certiſſimæ pœnitentiæ inſtru-„mentum. Domine declaramus „ultimatam noſtram voluntatem &c. „nos dictis rationibus motos præ-„teritæ vitæ noxas fideliter expia-„turos &c. Suppliciter petimus „veniam & gratiam &c. Eſtne ali-„quis veſtrûm, qui datæ fidei nolit „ſubſcribere ? Pereat ille, hominum, „Superúmque iras incurrat. Nos „datam fidem ſervabimus in omni „loco

„loco, & rerum viciſſitudine illæ-„ſam, ducemus vitam &c.

Correctionem, & Dubitationem

„1. Hæc cùm ita ſint, cùm hujus „peccati abominatio ſit infanda, cur „non ſurgimus? An deſunt media, „vires? Abſit: ſuppetunt abundan-„ter. An non medium? an non „calcar illud DEI in peccatum quod-„libet ingens odium? Ergóne non-„dum agnóſcis vim illius medicinæ, „quam ſuo è Sanguine Chriſtus para-„vit? Quàm timeo, ne conclama-„tum ſit de tua valetudine, niſi ad „balneum pœnitentiæ ſeriò prope-„res!

„2. Si quem hæc omnia non-„dum percellunt, id ſaltem date „DEO veſtro, ut, ſi poſthac pec-„care vultis, exeatis in eum locum, „in quo ingratitudinem veſtram di-„vinorum beneficiorum præſentia „non tam terribiliter damnat, DEI-„que omnia videntis oculus tam „damnabiliter terret. Exite è ter-„ritorio DEI &c. Sed? quò ibitis? „Ubique DEUS videt. Ibitis in „agros veſtros. At adeſt DEUS, „& hos in veſtri gratiam frugibus „replevit. Ibitis &c? Ceſſandum „eſt ergo à peccando, aut peccan-dum

„dum ſub Judicis rigidiſſimi, Pa„tris benigniſſimi &c. conſpectum. „Illud exſpectatur ab omnibus Cœ„litibus, hoc terrore, & omni æ„ternæ ſalutis diſcrimine obſeſſum „eſt. Non feret divinus Judex, ſed „læſæ ſuæ majeſtatis pœnas exiget „&c.

„3. Sed in quos ego has minas „detono ? nullus jam adeſt, qui „tam grave crimen in animo ſuo fo„veat. En Domine, qui olim id fo„verunt, jam deteſtantur. Da O „DEUS! da eis gratiam, ut illud „nulla datâ dæmoni morâ expient, „nunquam recidant. Agitur ô Do„mine de pretio Sanguinis tui, de „ſalute animarum pro quibus flagris „conſcindi, crucifigi, mori voluiſti.

475 *Exclamationem*

1. In vehementi dicendi genere Euſebi orationem ſubitò abrumpe hac, vel ſimili formula. „Notiora „ſunt hæc, quàm ut à me de„beant commemorari. Oratio„nem abrumpo: vos ipſi conſide„rate, quid jam vobis agendum in„cumbat. Tum profer concitando „terrori aptam ſententiam. e. g. mors „peccatorum peſſima pſ. 33. 22. ac „exclama, O terrificum effatum! quis

„quis ſenſus vobis erit &c. cùm &c. „O miſeri &c Obmuteſco : intercipit imminentis mali horror verba „&c.

„ 2. Sinamus alios in luto voluptatum ſuæ ſalutis incurios volutari, „ponant omnem Dei metum. Et ſic per conceſſionem deſcripta vitii turpitudine, exhortare. „Vos autem „proborum veſtigia ſectemini. O „quanta vos inter & illos erit differentia! Vos ad cœlos evocabit miſericordiſſimus Deus! illos ad inferos æternùm relegabit! O tempus „infauſtum iſtis! ô fauſtum vobis!

„ 3. Eximat vos DEus infelici eorum numerô, quos ipſe vocat adulteros &c. Eximat, quia &c. Eximet autem, ſi fugiatis turpiſſimum „hoc vitium. Væ vobis! ſi non fugiatis. Nam non eximet vos eorum numerô. Et ſi non exemerit, „eritis æternùm infauſtiſſimi illius catalogi miſerrima pars, de qua dicit: hîc affer ſententiam.

„ 4. Horrendùm infremunt in inferis, qui Deum regni causâ perdiderunt. Cogitate, quantùm ululabunt, qui cœlum, DEum, ſalutem „unius breviſſimæ voluptatis nomine amiſe-

„amiſerunt. O quantis maledictis „execrabuntur breviculam illam ho- „ræ quadrantulam, quâ &c.

„1. Quid ad incutiendum peccati „horrorem cogitari poteſt, quod al- „latum non eſt? Vultis vobis pecca- „ti damna exaggerem? exaggeravi „&c. Vultis horribiliora vobis affe- „ram, ad cautelam veſtram damnari „plurimos? damnati ſunt. Vultis „majora ad horrorem veſtrum pro- „ducam, & Chriſtum mori? mor- „tuus eſt. Ah ceſſate, ceſſate plu- „ra exigere! Eheu! magna, tre- „menda &c. ſunt damna peccati, mi- „næ peccatoribus intentatæ! Fugite. *Interrogationem*

2. Allatâ in ultima proxima pec- cati &c. energicâ hypotypoſi ex ef- fectis & conſequentibus deſumpta interroga.

„Quid remedii? Quæ capimus „conſilia, ut tanta evadamus peri- „cula? Ecce in promptu conſilium? „Suggerit id pœnitentia. Deteſtemur „peccatum, quia DEI offenſa &c. „Quia &c.

„3. Quid ergo, dicetis, facien- „dum nobis eſt, ut imminentem „ruinam evadamus? Alium inter- „rogate: ego enim aliud, meliúsve

conſi-

„conſilium non poſſum proferre, „quàm quod toto ſermone tanta „vocis, & mentis contentione ſecu-„tus ſum. Agite ergo &c. Si non „auditis me, DEUM ego appello. Tu „ſcis mi DEUS, quânta ſit vel uni-„us peccati enormitas? ſcis, quàm „optem ego eandem omnibus men-„tibus ad communem deteſtatio-„nem imprimere: quia malum eſt, „quô &c. Et tunc hoc modo repe-te rationes.

„4. Has ſi vos veritates, conſilia, „præcepta contemnatis? dicite, „quanta mala incurretis? Et quan-„do? fortè adhuc hodie &c. Dicite, „in quem culpam conjicietis? An „in me? At ego monui, dixi, ter-„rui. Interitum ergo vobis adſcri-„bite. Uret, uret infernalis ignis „non tantùm ſuperbiam veſtram, „luxum veſtrum &c. ſed & perfi-„diam. O quantùm vos excrucia-„bit memoria conſilii mei tam per-„fidè, temerè, ſtolidè rejecti! Ah „deſiſtite.

476 *Proſopopœiam* „1. Ceſſo jam ego loqui & finio „Pauli verbis, quibus compendiô „dicta complectitur. Filioli mei: „in-

„inquit, diligite, quia &c. diligite „&c. quia,

2. Si ultimam proximam ſtabiliviſti exemplîs inſigniter prodeunt ſimiles formæ ex Proſopopœia.

„Chriſtus nudus, Sancti nudi ſunt &c. „ego mollibus veſtiar? Abſit. Me „exciabo, me urgebo ad paria fac„ta &c. Deponam luxum &c.

3. Vim movendi magnam habet epilogus, ſi plurium perſonarum proſopopœiâ dicta complectimur e. g. Hic clamabit: maledicta dies, quâ &c. Alius vociferabitur: maledictus pater, qui &c.

„4. Rejicitis Auguſtini monita? „nil proficit Gregorius &c? O duri! „ô ſaxei! Utinam ex altero vobis or„be teſtem dictorum evocare poſ„ſem! Loquatur ille damnatus N. Fa„tebitur ille peccati hujus damna, e„normitatem longè eſſe majorem, „quàm ego potui declarare. Et ſic eundô per omnia argumenta ſubde. „Vi„dete, ne dolor, & ſera nimis pœ„nitentia eandem vobis lamentatio„nem in inferno extorqueat. Con„fiteamini potius nunc DEO, & „ſcelus, cùm pœnitentia valet, ex„piate.

Subjectionem 1. Nihil efficacius in epilogo, quàm Subiectio à Conſequentibus repetita, cùm omnia quæ diximus, per modum vaticinii replicamus e. g.

„Si peſſimo hoc vitiô abſtinuiſſe-„mus, haberemus adhuc pacem in „patria, fidem orthodoxam in An-„glia &c. Quid? Si nondum ab-„rumpimus peſſimam peccandi con-„ſuetudinem? An non graviſſima „vobis vaticinari cogor ſupplicia? Va-„ticinabor ergo vobis famem, jam „irrumpit; vaticinabor peſtem, „jam intentat irritatus DEUS &c. „Sed hæc nimis parva ſunt, & ve-„ſtris ſceleribus inferiora: æternam „ego vaticinor damnationem. Fi-„dem negatis? Paulum audite: ne-„que adulteri regnum DEI poſſi-„debunt. 1. Cor. 6. 9.

477 *bonum ſuadendum per* IV. Si autem bonum quodpiam in Contentione ſuaſiſti e. g. Virtutem, pacem, ſtudium S. Scripturæ, juxta haſce formulas perorare poteris.

Apoſtrophen 1. *Euſ.* Si mortis, judicij, inferni horrorem exaggeravi, quem epilogum ſubnecto? *Eub.* „Necdum „vobis congelaſcit præ horrore in ar-

tubus

„tubus ſanguis ? &c. O DEUS „tu clama ! tu exaggera horrores, „ignes, ſartagines ! inclama guloſis „paratam in inferis famem &c. in-„clama &c. Expugna A A meorum „(per tuum ego te Sanguinem ob-„teſtor !) duritiem. Fac, tandem „timeant &c.

2. Si ſuaſiſti ſobrietatem, ſic concludes per Conceſſionem. „Eant „jam alii & Baccho litent, conqui-„rant gulæ illecebras, ſaginent ver-„mibus corpus ſuum &c. Nos ibimus „ad ſcholam Sobrietatis. In hac diſ-„cemus ex ore divini Magiſtri artem „refrænandi ſenſuum libidinem ; diſ-„cemus &c. Et ſic deinceps eadem figurâ repetes, quæ dixiſti. *Conceſſionem*

3. *Euſ.* Virtutis cujusdam merita, & effectus hiſtoriâ quadam demonſtravi, quomodo ſubjungam epilogum ? *Euſ.* Per Exclamationem celebra perſonas, Regem, Principem &c. de quo agit hiſtoria, & ſic perora. *Exclamationem*

„O felicitatem hujus Principis ! O „Sapientiam ! In hoc Principe vide-„tis, quid vos amare deceat, quan-„ti vobis virtus eſſe debeat. Huc „oculos, huc animos ! Videte, quid

„ament, qui mentem rerum peritu-
„rarum nebulis perpurgârunt. E-
„tiam vobis AA. hæc ſervata eſt felici-
„tas, ſi paribus vos ſtudiis conſecretis.
„O quantùm olim vobis in cœlo gra-
„tulabimini hæc tam ſalubria conſi-
„lia arripuiſſe! cùm videbitis lucra,
„cùm præmia &c. virtuti repoſita!
„Abſit, ne ullus ex nobis hanc ſibi
„pulcherrimam merendi felicitatem
„abripi ſinat. Contendite ſinguli,
„Chriſtus juvat, ejus diviniſſima Ma-
„ter animat, Angeli &c.

Vel potes virtutis, vel contrarii vitii optionem dare, & productis utriusque optionis effectibus, ſic finire.

„In veſtra jam eſt poteſtate puri-
„tatis ſtudia ſectari, aut luxuriæ ſordi-
„bus inquinari. Si illa ſectamini,nomi-
„na veſtra virginum albo inſeretis; ſi
„ hæc, porcis ſimiles effecti terribili-
„ter in inferos lacus detrudemini.
„Ad illa vos trahunt tot Sanctorum
„exempla, ad hæc pelliciunt dæmo-
„num ludibria. Eligite. Heu peſ-
„ſimam electionem, ſi ſordes cando-
„ri, fæditatem cæleſti pulchritudini
„præferatis! Erit, & erit brevi tem-
„pus illud horribiliſſimum, quô hu-
„jus vos electionis vehementer pœni-
tebit,

„tebit, & eheu forſan incaſsùm! for-
„ſan æternùm! Eligite prudenter.

4. Obteſtare Auditores per fidem orthodoxam, per pulchritudinem auditæ veritatis, per labores Martyrum eandem defendentium e. g. *478 Obteſtationem*

„Cogitate, quanto plauſu in ſu-
„um vos album relaturi ſint Jobi,
„Tobiæ &c. ſi patientiam ſitis am-
„plexuri.

5. vel potes ultimâ proximâ per inſignem hiſtoriam v. g. Eliæ clausâ ſic per Optationem perorare. *Optationem*

„Utinam ætas noſtra plures nu-
„meraret Elias! quibus &c. qui &c.
„Sed prô dolor quàm multi ſunt, qui
„à tam pulchris cultæ probitatis e-
„xemplis abludunt! Saltem nunc ad
„legem, & virtutem redeamus. Uti-
„nam nunc tandem perpenderemus,
„quanta ſit virtutis neceſſitas.

6. Plena fervoris eſt Peroratio hauſta ex cujusdam ſententiæ apta paraphraſi e. g. *Paraphraſin*

„Audite non jam me, ſed Anſel-
„mum, virum illum, qui &c.

Tum affer ſententiam, perque paraphraſin exentera hortando ad virtutem crinomenis. Ad n. 483.

Proſopopœiam

7. Frequens, & pulchra eſt in quavis Peroratione Proſopopœja præcipuè tamen in ſuaſivo genere. Eáque poteſt fieri vel inducendo ipſos auditores, vel alium quendam præſertim ex alterô mundo.

„Exemplum primi: Videor jam „mihi à vobis verba intercipi. O ſerò „nimis: ait nonnemo veſtrûm agno„vi hanc veritatem. Nunc tandem „incipiam eandem æſtimare, mori„bus imprimere &c.

Atque ſic ſinito ſingula repeti. Tum cura, ut per Apoſtrophen opem petat à Deo, B. V. Sanctis omnibus.

Exemplum ſecundi. Selige quandam ſententiam ex S. Scriptura, quæ dicta complectitur, & eandem ſine vel Angelum cuſtodem, vel Cœlitem quendam proferre.

8. Demum colophonem imponat Subjectio, ex qua ſic perorabis.

Subjectionem

„Tandem conſiderate deſerturos vos „omnia, & omnia vel invitis abripien„da. Hoſtes vos undique obſide„bunt: ſola vos virtus tuebitur. Dæ„monum vos cingent exercitus: ſolâ „virtute repellentur. Moriendum „erit: ſola virtus ducit ad vitam.

V. Hac-

V. Hactenus dicta ferme conveniunt quibuslibet vitiis, & virtutibus, & mutatis mutandis non ſine fructu ad ſingulas ſpecies transferri poſſunt. Si autem perorationem vis à vitio vel virtute ſpeciali, ſumenda eſt ab hujus, vel illius definitione, vel effectu ſpeciali: qualis eſt hæc de ſcandalo. 479 *Specialem.*

„Si minis ſuis indurata corda ve-„ſtra nequit expugnare Gregorius, „aut Deus ſuis terrere ſuppliciis &c. „ad ea me dicenda trahitis, ad quo-„rum vel ſolam memoriam contre-„miſco. Dicenda tamen ſunt etiam „ab invito. Deo ſervire contemni-„tis? contemnite. Vultis ſine fron-„te Dei, Eccesiæ, naturæque jura vio-„lare? violate. Bene eſt ad malum „veſtrum! dehiſcat terra: deglutiat „vos infernus; inſilite in ignitas ſarta-„gines. At hoc ego quæro. Si pe-„rire vultis, cur ſcandalis in perditio-„nem veſtram trahitis, rapitis inno-„centem juvenem. Pecca, ſi vis, „ſed ſolus. Heu! quantum tibi ne-„fas permittere cogor! Quid dicet ſe-„ductus à te? quid dices ad ſeductum, „cùm mutuam, & æviternam ruinam „vobis exprobrabitis?

apertam, aut

Euſ. Ex his video Perorationem ex dictis in Contentione inferri. *Eub.* Ita eſt Euſebi: ſed hæc illatio eſt duplex: aperta una, occulta altera. Illa eſt, quâ id ipſum, quod probatum eſt, concludimus; iſta eſt, qua aliud à dictis, ex ipſis tamen quoad aliquod adjunctum procedens, & minimè exſpectatum inferimus. *Euſ.* Da exemplum.

occultam

Eub. Probâſti magnitudinem e. g. divinæ miſericordiæ; deinde in Peroratione infer. Ergo graviſſimum malum eſt peccatum. „Quid jam vobis videtur de eo, qui „tantam miſericordiam transfert ad „peccandi audaciam? O quantum to-„nitruabit Dei Juſtitia, cùm violatæ „miſericordiæ pœnas expetet! Tum „tum enim verò reſarciet gravitatè „pœnæ tarditatem vindictæ &c.

Similia exempla ſunt, ſi in Peroratione Auditores admonemus datæ Deo in Baptiſmate fidei, aut emiſſi voti, promiſsíve hoc faciendi, quod nos contendimus. Formulæ ſunt ferme hæ.

„Et verò iis cum mihi negotium „eſt, qui Deo fidem ſuam oppigno-„rârunt, diſceſſuros ſe è cœtu impro-

„bo

„bo &c. Fidem ego veſtram appello. „Cavete, ne perfidiæ ſcelus incurra„tis.

CAPUT VIII.

De Fructibus ſacræ Architectonices.

480 *Aperire ſibi viam ad alias ſcientias per orationem,*

E*Ubulus*. Ea eſt orationis præſtantia, tot, & tanta ejus emolumenta, ut meritò dici poſſit aurea illâ clavis, quâ S. Scripturæ, & SS. PP. theſauros recludimus. Vis infractam in adverſis caſibus conſtantiam? vis in ſecundis rebus animi demiſſi tueri modeſtiam? vis perituris avulſam mentem ſolis æternis innectere? orationem lege, vel oratorem audi, qui hæc omnia è Rhetorices legibus evincat, næ immotus ſtabis in tempeſtate, humilis in felicitate, liber in quacunque honorum ſublimitate. Et hujus generis bona ſexcenta non ſine tenera voluptate meditari licet in oratione, ex qua illa omnia pleno alveo in lectorem, aut auditorem derivantur. Nunc illa duntaxat emolumenta ob oculos verſantur, quæ Rhetorica in ſpeciale laboris præmium ſoli

oratori reſervavit. *Euſ.* Et quænam illa? *Eub.* Omnes (nihil temerè affirmo) humaniores ſcientiæ; & ſi in Philoſophicis mediocriter tinctus ſis, etiam Theologia, præſertim illa, quam *Poſitivam* dicimus. In perarduo quidem (fateor) vertice omnes ſcientiæ ſedem ſuam collocârunt, ſed qui oratione valet, in quavis ſcientia difficultatum rupes facilè complanabit. Et ut à cœptis conſiliis non deflectamus, Oratio eſt regium magnificúmque palatium, id ſi tu debito Locorum, figurarum, cæterarúmque rerum uſu educere ſciveris, haud difficili operâ inferioris cujusdam nominis ædem Chriam ajo, Epiſtolam, Hiſtoriámve fabricabis. Singula námque ſacræ Architectonices artefacta iisdem ferme legibus, quibus oratio compaginatur, conſurgunt. Fidem exemplis aſtruo, & quidem primò Chriæ.

§. I.

Adſtruuntur leges ædificandæ Chriæ.

481 *Conſtruere Chriam*

E*Uſeb.* Quid ergo eſt Chria? *Eub.* E græco uſum, & neceſſitatem ſigni-

ſignificat. Unde etiam ejus præſtantiam notes, & nil eſt aliud, quàm artificioſa commemoratio perſonæ cujusdam factum, vel dictum, vel utrumque per certa capita ad motum animorum referens.

Euſ. Quotuplex eſt Chria? *Eub.* Triplex: verbalis, Activa & Mixta. *triplicem*

Verbalis eſt, qua cujusdam dictum, ſententiam, vel apophthegma explicamus. Quale eſt illud Chriſti ad Patrem: *in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Luc. 23. 46. *Verbalem*

Activa eſt, quæ non dictum, ſed mirabile cujusdam factum exponit. Quale eſt hoc. *Illuſtriſſimus Princeps Benedictus anno ætatis decimo tertio inſciis majoribus vaſtam eremum ingreditur.* *Activam*

Mixta tandem chria ex dicto, & facto, cujusdam coaleſcit. Quid illuſtrius in rem dici poſſit, quàm illud Act. 7. ubi S. Stephanus lapidatus pro ſe orans ſtat ℣. 58. Cùm autem pro lapidantibus inimicis orat, poſitis genibus clamat voce magna: *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum* ℣. 59. *Mixtam*

Euſ. Quot conſtat Chria capitibus? *conſtantem octo partibus*

Eub.

Eub. Octo, nec pluribus, nec paucioribus & eodem ſemper ordine collocandis. Súntque hæc

1. Encomium	5. Simile
2. Paraphraſis	6. Exemplum
3. Cauſa	7. Teſtimonium
4. Contrarium	8. Epilogus.

482 *Encomiô* I. *Euſ.* Quid eſt Encomium? *Eub.* Laus illius, cujus factum, vel dictum explicare debes. Et hæc laus eſt in quavis Chriâ materia Exordii, quæ tamen bifariam dividenda eſt: *Protaſis* prima eſt velut generica, & capitur ex locis communibus e. g. doctrinâ, virtutibus, aliiſque prærogativis, quibus Cœlitum, quispiam celebrari poteſt, aut facinus quoddam extolli.

Apodoſis. Altera laus eſt ſpecialis, & conſtricta, & hauritur ex ſolo dicto, vel facto illius, quem laudamus. Illa materiam præbet Protaſi Exordij, hæc Apodoſi. Exemplum eſto ſententia SS. Beoani, & Meldani Præſulum, qui S. Furſeo de cœlis conſpicui memorabili planè dicto ita de Manſuetudine pronunciârunt. *Nullum boni operis Sacrificium ſic DEO acceptabile, & probatum eſt, quam patientiſſimi cordis contra omnes injuri-*

injurias lenitatis manſuetudo. Sæc. 2. Bened. ad an. 650. n. 25.

Habes hîc Chriam verbalem. Hoc igitur, vel ſimili modô Sanctos Præſules in Protaſi laudabis à dignitate Epiſcopali.

ratione Protaſis

„Inter majora illa Præſulum ſidera, quibus cœli horizon fulget, ingenti virtutum ſplendore promicant SS. Beoanus, & Meldanus. „Sanctimoniæ ſuæ radios non in una „duntaxat Britania ſpargebant, ſed „fulgentiſſimi ſolis inſtar univerſam „Eccleſiam colluſtrârunt. Nulla vir„tus, quam verbis non docuerunt, „& factis non monſtrârunt. Pati„entiæ cupis exempla? omnium ad„verſitatum procellas immotô ani„mô ſuſtinuêre. Vis imaginem il„luſtriſſimi Præſulis? Animas ſitiê„runt implacabili ſiti, diœceſin ſuis „ipſi pedibus luſtrarunt, improbi„tati bellum movere, orthodoxæ fi„dei fines propagare, divini Numi„nis cultum in diſſitas regiones eti„am vitæ, ſanguiniſque impendiô „proferre concupiêrunt. Sanè non „tam multis ſanctiſſimorum viro„rum tiara gemmis, quàm vita vir„tutibus refulſit.

Apodoſis

Ut autem Chriæ tuæ ſenſum altiſſimè audientium animis infigas, paulatim te ab laude generica, quæ ex quavis virtutis prærogativa ſumi poteſt, ad Apodoſin recipe, in qua Sanctum à ſolo dicto, aut facto dilaudes. Normam ex priori exemplo cape:

„Unde mihi ſemper jucundiſſi-„mum fuit eorum dicta, factáve „mente revolvere, aut pro concio-„ne declamare. Suaviſſimè in ſoci-„etatem ſolatii mei ibitis, ſi unicum „Sanctiſſimorum virorum dogma ex „me perceperitis. Fors D. Furſeo „noſtro aſpectabili formâ è cœlis „conſpicui hoc aliquando apoph-„thegma enunciarunt. *Nullum boni* „*operis ſacrificium &c.* O effatum „aureum! ô ſententiam cedro dig-„nam, & omnium fidelium men-„tibus inſculpendam. Utinam hu-„jus ego vobis dogmatis ſingula ſacra-„menta declarare poſſem!

Dein ut te ritè accingas ad captandam benevolentiam, debes Apodoſis rationem dare ſimili modo.

„Utinam is eſſem fauſtiſſimus „ſculptor, qui intimis eam veſtris viſ-„ceribus ſententiam poſſit inſcribere.

Nunc

Nunc da rationem, ut autem bene exploratum habeas chriæ ſenſum, ejusque Locos Rhetoricos. Cùm itaque ſenſus Chriæ in noſtro exemplo ſit. *Manſuetudo eſt valde meritoria*, & Locus ſit Comparatio cum ſacrificiô, & Effecta Manſuetudinis; his omnibus te arctè aſtringere debes, ne fruſtra fatigatus divageris, & in crinomenon pecces. *Euſ.* Quæ ergo ſunt Fffecta Manſuetudinis? *Eub.* Ingentia merita ex parte noſtri, ingens beneplacitum ex parte Dei. Quæ ſi per Pattitionem dividantur, quis non videt ampliſſimam, pulcherrimamque dicendi copiam? En ad priora normam.

„O quàm amplas tum veſtris ego „mentibus opes pararem! opes nem„pe illas, quas Deus conſummatæ „manſuetudini promiſit, quæ auferri „nunquam poſſunt, quibus cœlum „comparatur.

En habes jam hîc crinomenon, & ſimul Apodosîs rationem. A qua gradum facies ad captandam benevolentiam ſimili modo. *captatione benevolentia*

„Verùm haud meis conatibus opus eſt; duo maximi Præſules, quod ego *docilitate, & attentione*

„ego nequeo, effabuntur. Audietis „miranda. Auſcultate.

His ritè ſervatis absque novo ſtudio auditor redditur docilis, & attentus.

483 *Paraphraſi* II. *Euſ.* Quid eſt Paraphraſis altera Chriæ pars? *Eub.* Liberior dicti, vel facti, aut utriusque ſimul, quod per Chriam producendum eſt, explanatio. Munus itaque Paraphraſis eſt verba Chriæ dilucidè ob oculos mentis, & ſi facti, aut mixta eſt, etiam quaſi ob oculos corporis ponere, ea nempe verborum, & ſenſuum vigore, acſi factum illud coram intueremur. Unde Chria facti magnopere amat virtutes Narrationis, Hypotypoſis, & alia tam verborum, quàm ſententiarum lumina, quibus facinus quodpiam velut in ſcenam producimus.

naturali 1. *Euſeb.* Quotuplex eſt Paraphraſis? *Eub.* duplex: naturalis, & moralis. Illâ explicas chriam ſecundùm ſenſum naturalem verborum: *morali.* hâc explanas, quàm inſigniter dicto, factóve, quod tractas, caſtigentur mores. Si autem dictum, factumq; ſumas ex S. Scriptura, varia eſt Paraphraſis, uti litteralis, ſpiritualis, allegorica, tropologica, & anagogica.

2. Lit-

2. Litteralis eſt, quem Author S. Scripturæ Spiritus Sanctus per ſe primò, & immediatè per verba ſcripta voluit ſignificare, e. g. dùm Matt. 27. 50. *Chriſtus dicitur clamans voce magnâ emiſiſſe ſpiritum*, ſignificatur ſecundùm litteram Christum fuiſſe verè mortuum, & ejus Sanctiſſimam animam ſeparatam à corpore. *litteralis.*

3. Spiritualis (etiam myſticus dicitur) eſt, qui ex intentione Spiritûs S. per verba S. Scripturæ mediantibus rebus verè factis, vel geſtis, ac per voces primò ſignificatis, denotatur. Sic illud Iſ. 11. *Habitabit lupus cum agno*, myſticè ſignificat efficacem Eccleſiæ doctrinam, quâ diſcet homo inſtar lupi rapax habitare, & vivere in ſumma pace cum pacificô, & velut ovis eſt, manſueto. Ex hoc ſenſu dicitur in Script. Eccleſia mons, pulchra ut Luna; alibi nigra, ſed formoſa; aliàs petra &c. Alia aliis myſticis locutionibus explicantur, quibus ſi juxta modum, quem n. 400. explicavi, per Partitionem inhæſeris, inſignem paraphraſin produces. Nam quidquid e. g. de *Monte* dixeris, ad Eccleſiæ laudem transferre potes. *Spiritualis.*

allegorica 4. Allegoricus eſt, quô aliud verbis, aliud ſenſu denotatur. Id dupliciter fit: primò uſurpat S. Scriptura omnis generis tropos, & metaphoras. Sic per Metonymiam *peccatum* ſubinde ſignificat effectum, ſeu pœnam peccati; nonnunquam hoſtiam pro peccato, & tunc ſenſus litteralis cenſendus eſt, non quem verba propriè, ſed quem metaphoricè ſignificant. Hoc modo illud Pſ. 17. 11. *volavit ſuper pennas ventorum:* ſignificat: ventos velocitate prævertit. Secundò cùm res geſtæ, perſonæ, artefacta &c. veteris legis ad ſignificanda myſteria reipublicæ Chriſtianæ transferuntur. Sic bella Iſraëlitarum in Terram promiſſam euntium denotant continuam fidelium luctam cum dæmone ad cœleſtem patriam pergentium. Sic Moſes, Joſue, Samſon denotant Chriſtum; Debbora, Eſther, Ruth B. V. Mariam; & tabernaculum, templum, Eccleſiam, Sanctum quoddam monaſterium.

morali Tropologia illa, quæ in S. Scriptura dicuntur, transfert ad corrigendos, & formandos mores. Ex hoc ſenſu dicimus omnem Chriſti actionem eſſe noſtram inſtructionem; &

ex

ex facinore fratrum Joſephum vendentium producimus turpitudinem invidiæ, magna matrimonii incommoda etiam in ſanctis conjugibus &c. Si hunc ſenſum intelligis, juſtorum, cùm S. Scripturæ bella leges, prælia cum dæmone, carne, & mundo tibi ob oculos pones. Paucîs nullus eſt apex in S. Scriptura, qui non formandis, & caſtigandis moribus documenta ferat. Quid quòd ipſe rerum dictarum, aut factarum ordo ad inſtaurandam vitam ſaluberrima monita ſubminiſtrat. Sic ſub rerum geneſin tertio die germinat terra, quarto ſidera producuntur, quinto creantur aves. Gen. 1. An tu hunc ordinem productionis myſterio vacuum cenſes? Nequaquam: B. Petrus Dam. Ser: 64. ad inſtituendos mores pulcherrima elicit documenta. *Prius neceſſe eſt*: inquit, *ut mens noſtra virentium virtutum opera germinet, quatenus ſic mereatur cœleſtis gratiam luminis, ac poſtremo evolare valeat ad contemplandam ſpeciem veritatis.*

5. Tandem ſenſus Anagogicus totus eſt in ſignificandis rebus ad alteram vitam ſpectantibus. Atque in *Anagogicâ*

 hoc

hoc differt ab Allegorico, quòd hic ob oculos ponat veritates ad Eccleſiam militantem, ille autem ad triumphantem pertinentes. Unde ex Anagogiâ Terra Promiſſionis cœleſtem patriam, Hieroſolyma cœlum, Sabbatum quietem æternam, Aſſueri magnifica menſa cœleſtium deliciarum ſatietatem ſignificat. Pari modô in nova lege actiones Chriſti, & Apoſtolorum ſymbola ſunt beatitatis æternæ. Sic ſtupendum illud Chriſti convivium Matt. 14. quô quinque panibus aliquot virorum millia pavit, denotat illam in cœlo menſam, quâ in æternum infinita hominum millia ſaturabuntur. Principium autem Anagogiæ ex parte rei ſignificatæ eſt reſurrectio mortuorum, in Chriſto, ejúsque Sanctiſſima Matre cœpta in nobis autem complenda.

SS. Patrum.

6. Verùm de his ſatis. Si plura cupis, adi S. Scripturæ interpretes. Multùm quoque ad illuſtrandos hos ſenſus conferent Vagi *Scripturæ* & *Allegoria*, ſi eos uſui & calamo tuo familiares reddideris. Illum vide n. 95, hunc n. 98.

Quod verô ſpectat ſententiam SS.PP.

SS. Patrum, multùm prodeſt noſſe locum, tempus, cauſam, & modum, quo ſua effata protulerunt. Ad intelligendum ſenſum verborum, & ritè proferendum juvat etiam conſiderare verba antecedentia, & conſequentia. Tandem ſaluberrimè, & omnium tutiſſimè tam in S. Scripturæ, quàm SS. Patrum ſententiis explicandis appellatur ad mentem Eccleſiæ, ejúsque ſenſui per omnia inhærendum eſt, curandumque ut non tam nova, quàm vera producantur.

7. *Euſ.* Sed quomodo debeo ſententiam, quam ego jam ſatìs perſpectam habeo, ad Rhetorices leges diducere? mihique dicendi materiam parare? *Eub.* Antequam reſpondeam, nota ſis ex Philoſophiâ tria in quavis propoſitione, atque adeo quavis Sententia inveniri: prædicatum, ſubjectum, & copulam. Prædicatum eſt id, quod de aliqua re enunciatur, profertur, eíque tribuitur: uti in hac theſi: *Manſuetudo* 2. *eſt* 3. *Sacrificium* 1. *Sacrificium* 1. eſt prædicatum, quia enunciatur de Manſuetudine. Illud autem, de quo aliquid enunciatur, eſt 484 *diducenda è prædicato, ſubjectô, & copulâ*

ſubjectum, uti hîc *Manſuetudo* 2, quia de ipſa aliquid enunciatur ſcilicet ratio Sacrificii. Copula demum eſt, quo prædicatum, & ſubjectum connectitur, & eſt hîc *eſt* 3. Si ſententia eſt ſimplex, quæ unico ſenſu, ac interpuncto conſtat, qualis eſt allata: ſubſtantivum primum eſt ſubjectum, alterum prædicatum, & verbum dicitur copula. Si autem eſt compoſita, quæ ex pluribus contexitur ſenſibus, & interpunctis, totum id, quod enunciatur, prædicatum; & de quo enunciatur, ſubjectum dicitur: qualis eſt ſupra allata, & mox dilucidanda S. Beoani ſententia. His notatis reſpondeo.

v ceibusq; eorum ſingulis

8. Antequam manum tabulæ admoveas, ſingulas prædicati, ſubjecti, & copulæ voculas percurre, easque per Locos Rhetoricos, præſertim eos, ex quibus eductæ ſunt, uti hîc eſt Comparatio, ex qua prodiit S. Beoani effatum, circumducito, ac tacitè tecum, ac in confuſo perpende, qualem pro ſubjecto dicendi materiam ſuggerat Definitio, Partitio, Genus, Species, cauſæ, & fermè ſemper Effecta. Idem obſerves in prædicato, & ſingulis ejus voci-

circumductis ad Locos Rhetoricos per

vocibus. In copula autem præ cæteris Locis attende cauſas, & effecta, horum, & illarum Adjuncta. Exemplum cape à prima S. Scripturæ ſententia Gen. 1. 1. *In principio* 1. *creavit* 2. *DEUS* 3. *cælum*, *&* *terram*, *In principio* eſt adjunctum: ô quàm eſt id admirabile? Ubi ante rerum geneſin erat DEUS? &c, *Creavit* 2. itidem eſt adjunctum *modi* nempe productionis ex nihilo, ſimulque imbibitum habet cauſam finalem. Cogita quàm hic fuerit ſublimis, ſanctus &c; illa quàm fuerit mirabilis, prodigioſa &c *DEUS* 3. eſt cauſa efficiens. Admirare hujus cauſæ ſapientiam, charitatem, potentiam &c. *Cælum*, *&* *terram* ſunt effecta. Quàm multa dicenda erunt, ſi ex effectuum præſtantiâ deprehendere coneris opificis magnitudinem! ſi cœlum, terramque per Partitionem luſtres, ac in hac perpendas varietatem animalium, germinum &c. elementorum vires, & naturam; ejus præſtitem nempe hominem, hominis finem, dominium in res creatas &c: in illo autem ſolis, ſiderumque pulchritudinem, Empyrei amplitudinem,

gloriam, & finem. Sic paratâ quaſi per tranſennam dicendorum ſylvâ illæ tibi arbores (argumenta aio) cædendæ erunt, quas tuæ Paraphraſis fabricæ noveris aptiſſimas.

481 transennam

9. *Euſ.* Optem mihi tanti rem momenti aliô iterum exemplô explicari. *Eub.* Factô petitis reſpondeo, & prædicatum exentero. *Opus bonum* à Definitione, & Effectis res eſt præſtantiſſima. Definitur enim actio meritoria vitæ æternæ. Placet DEO, obſtupeſcunt id Angeli, auget hîc gratiam, in cœlo gloriam, debetur ipſi æterna beatitudo. Porro ex Comparatione eſt *Sacrificium ſic DEO acceptabile, & probatum,* ut nullum veteris legis DEO tam gratum fuiſſe dici poſſit. Nam in illis tantùm oves, & boves, in hoc autem boni operis Sacrificiô mactatur DEO animus. Verumtamen in ſubjectô longè majora reperio rerum momenta. Nam ex comparatione à S. Beoano dicitur Manſuetudo omni bono opere, & Sacrificiô T. O. DEO gratior. Miris ſæpe DEUS eventis probavit veterum Sacrificia, in S. Scripturis eô nomine magnopere celebrantur. *Odoratus*

eſt

eſt Dominus Odorem ſuavitatis, qui Gen. 8. 21. è Sacrificio Noëtico conſurgebat, tanta beneplacentiâ, ut illicô ſubjunxerit: *Nequaquam ultra maledicam terræ diluvio.* Majora alibi dicuntur. Si tamen S. Beoanum audio, gratior eſt DEO Manſuetudo. Cur? Ex cauſa materiali, & quod offertur: illis ut dicebam, mactantur bruta animalia: hâc ipſa anima. Ex adjunctis: facilè eſt mactare hircum: at difficillimum mactare rebellantis iræ affectum. Patebit hoc, ſi ad manſuetudinis Effecta mentem exporrigo, ut ſunt: ferre *omnes injurias* famæ, valetudinis, fortunæ, easq́ue illatas ab improbiſſimis, nullâ datâ causâ, ex præmeditata malitiâ. Magis S. Beoani mens patebit ſi animum ad Adjuncta Manſuetudinis converto. Nam omnes injurias docet perferre *patientiſſimo corde* nullam vindictam, ſed potius inimico gratiam expetente. Nondum ſatis. Manſuetudo lenitatis aſſumit pulchritudinem, ut nihil unquam in inceſſu impetuoſum, in loquelâ aſperum, in facie turpidum appareat, ſed vera ima-

go placidiſſimè defluentis rivuli ob oculos ponatur.

10. Jam ſententiam velut per otium ventilatam, ſic ex regulis Amplificationis produces:

„Ea eſt boni operis præſtantia, ut, „quidquid in honoribus magnum, in „Martiis geſtis glorioſum, in illuſtriſ„ſimis ſcientiis ſublime attuleris, om„nibus his opulentiis ſuæ prærogativâ „nobilitatis longiſſimè antecedat. Su„peris omnibus jucundiſſimum præ„bes ſpectaculum, gratiæ divinæ (cuj„us minima portio vaſti orbis theſau„ros omnes ſuperat) opes in immen„ſum auget; gloriam in cœlo parat „talem, qualem neque cogitatu, ne„que relatu nemo unquam in tertium „cœlum raptus Paulus aſſequi potue„rit. Et ut eſt ſiderum in cœlo, ita „& bonorum operum in Eccleſia va„rietas. Pulchra ſunt omnia; pre„tioſa ſunt ſingula; pulchritudine ta„men, & ſui pretiô alia aliis præcel„lunt. Alia phoſphorum, alia lu„nam, alia ſolem ipſum meritorum „radiis imitantur. Quæ humanis o„culis parva videntur, magna ſunt. „Ortum enim ſuum repetunt à meri„tis Chriſti, naturæ gazas omnes ex-

ſupe-

„ſuperant, præmiô æterno digna pro-
„clamantur. Inter hæc tamen bono-
„rum operum Sacrificia, ſi (quem
„nec ego tibi ſine tenerrimo mentis
„affectu proferre poſſum, nec tu au-
„dire debes) magnum illum inter Cœ-
„lites Principem Beoanum auſcultes,
„primas tenet Manſuetudo. Placué-
„re quidem (& quis ſine injuriâ priſ-
„cæ pietatis refragetur?) Deo illa bo-
„um, illa ovium, illa panîs, & illa
„cætera per omnes retro ætates repe-
„tita antiquæ religionis Sacrificia;
„plus tamen placet Supremo Numi-
„ni victima, quâ ira inſolens illud
„animal in Manſuetudinis obſequi-
„um mactatur, immolatur, & lita-
„tur. Licet autem id veriſſimum
„eſſe tanti viri teſtimoniô exploratiſ-
„ſimum teneamus, tum tamen po-
„tiſſimùm Manſuetudini eam præro-
„gativam inter omnia Sacrificia tribu-
„amus, neceſſe eſt, cùm ejus miniſ-
„teriô ira eo loco, & tempore, Deo,
„& virtuti offertur, quô irritatur ca-
„lumniis, exagitatur probris, provo-
„catur damnis, ac grandi bono-
„rum, fortunæ, valetudinis, & fa-
„mæ jacturâ laceſſita ad vindictam
„vehementer armatur. Tum enim
„verò

„verô ſi effrænis animi paſſionem „comprimas, vindictæ conſilia quæ„que damnes, contra placidiſſimæ „Manſuetudinis leges nullum tibi ex „ore verbum, nullam in vultu no„tam, & in toto corpore nullum „motum exponi ſinas, Sacrificium „offers, quo nullum majus tibi ad „meritum, homini ad exemplum, „Deo ipſi ad beneplacitum unquam „poteris immolare.

486 *Cauſa* III. *Euſ.* Quid eſt cauſa? *Eub.* tertia Chriæ pars, quâ dicta in paraphraſi per debita argumenta confirmamus. Dixi per debita argumenta non tantùm ex quatuor cauſis eruenda, ſed ex quovis Loco, quem aptiſſimum exiſtimaveris. Potiſſimam tamen opem conferunt Definitiones conglobatæ, Species, Genera, Cauſa efficiens, Conſequentium frequentationes, & ſemper (ni fallor) Effecta, & ante omnes alios cauſa finalis, & Adjuncta. Hiſce ſemper immorandum eſt, ut clarè ob oculos ponas cur hoc, vel illud factum, dictúmve ſit, ab hac, vel illa perſona. *Euſ.* Quomodo id confectum eo?

Eub. 1. Singula argumenta ex Loco producta divide in ſua membra. e. g. quàm finis, quo res geſta, aut dicta eſt, ſit honeſtus, jucundus, utilis; & quàm momentoſa ſint Adjuncta ad aſſequendum finem, v. g. perſonæ dicentis, aut gerentis, cùm dices, quàm bene illa intellexerit theſauros in ſuo dicto, factóque, ſi in mores, uſúmque vertantur, latentes.

2. Velut conſilia gerentis, aut dicentis debes confirmare argumentis, ita quoque argumenta ſuavioribus figuris exornare. Eluceat hîc potiſſimùm Rhetoricæ ceruſſæ fulgor.

3. Ne filum crinomenis amittas in Chria verbali, dictum, etſi compoſitum ſit, tanquam ſimplex tibi ſtatue ob oculos. e. g. *Quæ ratio S. Beoanum movit, ut manſuetudinem omnium Sacrificiorum gratiſſimum diceret.* Et ſic ſimpliciter ſtatutæ ſententiæ faciliùs ſua conquires argumenta, & extra orbitam haud facilè ſaltitabis. In Chria facti, aut mixta factum, aut dictum ſimul ita tibi repræſentas. *Cur iſte vir hoc geſſit, dixítque?* Sícque ſimpliciter ob oculos conſtitutæ Chriæ mox emendica ſuas cauſas ex Locis; Cur hoc tempore

pore, hoc modo, cur hic &c. dixerit, aut geſſerit? ac ſingulas particulas, factíque partes eventilans integram rationum farraginem collige, & quas probaveris, repudiatis cæteris, ad fabricam Chriæ converte.

4. Cura ſis, ut tranſitioni, qua Paraphraſi cauſa vinculatur, inſit vis quædam ab aliqua præſtanti figurâ inſita, qualis eſt Interrogatio, Præteritio, Apoſtrophe (qua cauſam dicti ab auctore pulchrè exquirimus) Dubitatio, dialogus, optatio. Formulæ ferme ſunt hæ.

„Utinam admirandi hujus facino„ris cauſam eorum aliquis panderet, „qui arbitri aſtitére, aut admirandæ „ſcenæ partem quandam tenuerunt! „Hi dicerent charitatem, quâ allectus „eſt: nam &c. prudentiam, qua &c. „Demiramini vos dicti hujus al„tiſſimi myſteria, ego animum illum, „ego robur illud, ego cauſam, & mo„menta rationum, quibus illectus il„lud protulit, obſtupeſco. Vir e„nim iſte ſanctiſſimus voluit doce„re, quanta merita uni e.g. manſuetu„dini repoſita ſint &c.

„Hactenus verba Divi excepimus, „nunc ipſam mentem, ex qua illa „de-

„deprompſit, intueamur. Dixit, ut „&c. ô quanta charitate, ut tandem animo noſtro imprimamus. „Cauſas tanti facinoris exquiritis? vos „colles, vos ſidera date! Dicite, cur „in eremo ſitit, qui paſcit omne animal, amantiſſimus Servator?

Luculentiùs iſta patebunt, ſi S. Beoani dictum ex comparatione producamus.

„Hæc è ſenſu S. noſtri Logothetæ Beoani dicere potui, dixiſſet „alius, cui acutior mentis acies, longè majora. Petitis jam cœleſtis apophthegmatis cauſas? Dicam: „quanquam efflictim optem vices „meas in S. Furſeum, qui verba, & „verborum lumen excepit à Divo, „transferre. Diceret enim ille admiranda hujusce dicti myſteria, quorum ego vix apicem tangere potero. „Dicam tamen, & forſan exſpectatione majora. Cum alia priſci moris Sacrificia offerebantur adducebantur, boves, oves, hirci, capreæ; adolebantur thus, thymiamata; conſecrabatur panis, ſimila, „oleum. Parari hæc poterant modicis impendiis, & labore haud „majori. Non opus erat magno

„quo-

„quodam ſeu mentis, ſeu corporis „anniſu, ſed tota Sacrificii ratio quadam externæ ceremoniæ, & devoti animi religione abſolvebatur. „At prodeat, qui palmari laceſſitus „injuriâ manſuetudinis Sacrificium „facere velit, prodeat inquam, & „dicat, quantus labor ſubeundus ſit, „quanta violentia imprimenda ipſi „menti, ut iram reprimat, ne in probra „erumpat; linguæ, ne vindictæ conſilia capiat; ſenſibus, ne turbatæ mentis notas admittat facies! Tum enim verò non tam Sacrificium, „quàm prælium adeundum eſt. „Non jam mactandus eſt bos, ſed „animus, non jam alieno Sacerdotis miniſteriô, ſed propriâ velut „manu jugulum petendum eſt. Velis obloqui injurianti: lingua reprimitur; indignatio læſæ famæ „conſurgat: deprimitur; vindictæ „cupido ſe obarmet: opprimitur. „Quidquid aſperum, ex ore; quidquid nubilum, ex facie; quidquid „immite eſt, ex animo ablegatur, „proſcribitur, & repudiatur. Hæc „autem omnia, tota licet reluctante „naturâ conficere, animumque omni ſiniſtro affectu eximium ſupremæ

„mæ Numinis majeſtati integerrimè „immolare, an non tu Sacrificium „exiſtimas omni aliâ victimâ majus, „acceptius, & illuſtrius? Talis námque ſe ipſum mactat, licet obnunciet dolor, licet obluctetur ira, licet totus animus ſe ſe velit ad vindictam armare. O facinus præclarum! ô Sacrificium ſublime! ô victimam Cœlitibus longè gratiſſimam!

IV. Notatis iis, quæ n. 206. de Oppoſitis, & n. 227. de Conſequentibus diximus, notandum porro eſt variam eſſe propoſitionem: ſimplicem, & compoſitam, abſolutam, & conditionalem. 487 *Contrariô*

1. Ut jam hanc Chriæ patrem prægnanti argumento ſtabilias, propoſitioni ſimplici affirmativæ adde ejusdem contrariam negandô. e. g. ex mente Petri Cellen. l. 3. ep. 11. *Charitas DEI eſt virtus virtutum.* Ut jam contrariam producas, diſquire, quid Charitati, & virtuti contrarietur: & cùm inveneris odium illi, iſti peccatum contrariari, dic. Ergo econtra *odium DEI eſt peccatum peccatorum.*

 2. Si

2. Si autem propoſitio eſt compoſita, in utraque compoſitionis parte procede, uti in ſimplici e. g. *Sine charitate* inquit S. Cæſarius Arelaten. Ser. 13. *dives pauper eſt: & cum charitate pauper dives eſt.*

3. In propoſitione hypothetica ponis contrarium ſolâ ſublata conditione e. g. *Illa Virginitas perfecta eſt* inquit B. Petrus Dam. Ser. 47. *quæ reliquis virtutibus cingitur.* Ut à contrario argumentéris, dic. *Virginitas, quæ reliquis virtutibus non cingitur, non eſt perfecta.*

4. In propoſitione abſoluta, in qua invenitur vox *nihil*, *omnia* &c. attende, an prædicentur de materia neceſſaria, ſeu tantùm contingenti. In illâ *nihil* vertitur in *omnia*, *nihil* autem iterum in *omnia;* in contingenti in *aliquid.* Unde quia illud Pauli abſolutè, & ob effati divini auctoritatem infallibilem neceſſariò verum eſt diligentibus DEUM *omnia cooperari in bonum*, ſic vertes: ergo econtra *DEUM non diligentibus nihil cooperatur in bonum.* Et ſic illud B. Petri Dam. Ser. 30. *Nihil amanti difficile* transferes in contrari-

trarium hoc modo. „Omnia non „amanti difficilia.

5. Porro notandum in figura Interrogationis particulam *non* eſſe affirmativam, & formas dupliciter in contrarium verti. Primò eandem convertendo in ſubjectum ſuum, ſecundò in contrariam formam. Eſto exemplum illud Petri Cellen. l. 1. ep. 19. interrogantis. *Quid non poteſt Charitas?* Quod idem, ac: „omnia poteſt Charitas. Si jam primo modô in contrarium Chriæ vis vertere, dic: „is, in quo non eſt Cha„ritas, quid poteſt? ſubaudi *nihil*, ſed idem *nihil* amplifica per omnes ſalutis æternæ vias. Si ſecundo modo, dices: „quid poteſt odium? iterum ſubaudi *nihil*, ut prius. Quid enim potuerunt SS. Martyribus ſuo odio nocere tyranni? Plura huc enucleabit Philoſophia.

6. tandem pulchrè contraria firmantur, & amplificantur (licet alios Locos haud excluſos velim) Conſequentibus, eorúmque frequentatione. Normam præbet Ven. noſter P. Dionyſius Faucherius, qui in Chron. Lirinenſ. ita de Patientia canit.

- - - Conſtans ſola eſt inſtantia, cœlum
Quæ rapit.

Ejus contrarium eſt, quod illico ipſe ſubjungit.

- - Ignavus inde repulſus abit.

Ut itaque hocce hemiſtichium non ſine robore producas, animum adverte ad conſequentia, ſeu omnia, quæ aditu cœli repulſum ignavum mala conſequi ſolent, enumerata amplifica, qualia ſunt. 1. Proſcribitur è cœtu Beatorum, & viſione Dei. 2. Damnatur ad ignem æternum, & ſocietatem dæmonum. 3. Obruitur omnibus miſeriis: & quænam hæ? Eruantur è Partitione. Ab hac facilis eſt tranſitus ad quintam Chriæ partem nempe Similitudinem.

Formulæ autem à Cauſa ad contrarium tranſeundi ſunt hæ. „Clariùs id perſpiciemus, ſi rem versâ facie contemplabimur.

„Verùm enim verò ſi te virtutis „pulchritudo ad morum inſtaurationem non allicit, compellet te vitii „turpitudo. Alterutrum neceſſe eſt: „ut aut illâ fulgeas, aut hâc ſordeſcas.

„Vi-

„Vidiſtis hactenus mirandas o-
„bedientiæ prærogativas. Utinam
„grandis quidam orator adeſſet, qui
„jam nobis rebellem Deo, legibus-
„que perſicaciam declaret! Libens ti-
„bi ô Gregori meam dicendi provin-
„ciam cedo. Dic quanta mala in
„orbem invexerit inobedientia!

„Lucem hactenus virtutis luſtra-
„vimus; nunc tenebras vitiorum ſe-
„riô cogitatu ingrediamur, ut & il-
„lam magis amemus, iſta vehemen-
„tius deteſtemur.

„Hanc dum ego proborum feli-
„citatem penſiculatiùs perpendo, co-
„gitatione devolvor ad miſeram im-
„proborum calamitatem. O quan-
„ta ſunt mala, in quibus hærent! &
„tamen illis majora imminent. Im-
„minet horrenda mors &c.

„Ut altiùs menti virtutis merita
„inſideant, vitiorum nunc damna
„conſideramus; & quidem illa dam-
„na, quæ, niſi virtutis præſidiô pro-
„pulſemus, miſerè incurramus ne-
„ceſſe eſt.

„Lucem huic veritati, ut nemi-
„ni non ad oculum patere poſſit,
„vel ab ipſis tenebris emendicare fa-

„cillimum exiſtimo. Agedum tu „qui hactenus ignorabas &c.

„Verùm ut hujus monſtri (pec„catum ajo) truculentiam velut ob o„culos deſcriptam habeatis, gratiæ „pulchritudinem contemplemini. „Hæc eſt &c. Quid jam ſentietis de „peccato, ſi ab eodem omnem hanc „gratiæ opulentiam aufferri dixero? Patebunt hæc, ſi ex hoc Loco S. Beoani dictum protulero.

„Et quamquam S. Beoani in qua„que re ſententia tanti nobis eſſe de„beat, ut nullum efficacius ejus aucto„ritate argumentum poſſimus deſide„rare; libet tamen ejus ſanctiſſimo „dicto diutius immorari, non tam ut „id novis fulcimentis ſtabiliamus, „quàm ut altiùs animis inſculpamus „nullô unquam immoderatæ iræ im„petu, aut vi eradendum. Enim ve„rò ſi priſca veteris Legis monumen„ta evolvimus, paſſim reperimus, pla„cuiſſe Deo illa Sacrificia, holocauſta „illa, victimas illas, quæ quotidie mag„na religione offerebantur. At po„ne myſtam Sacris attuliſſe odiô quo„dam obnubilatos animos, profectò „thymiamati fragrantiæ, victimis gra„tiæ, & cuique alii Sacrificio ſuavitatis „pluri-

„plurimùm deceſſiſſet. Si verò Ec-
„cleſiæ Diptycha ingredimur, eò lu-
„culentiora hujuſce rei reperiemus
„argumenta, quô firmiora ſunt in le-
„ge gratiæ vincula Charitatis. Ito,
„immenſos theſauros Sacris aris im-
„pone, opes tuas omnes offer; niſi
„mentem odiô, iráve vacuam attule-
„ris, rejiciet Deus dona tua, damnabit,
„& execrabitur, donec redeas in pa-
„cem cum fratre tuo, & manſuetu-
„dine animum ad malaciam redu-
„cas.

V. Quinta, & omnium jucundiſſima, propoſitæque theſi faciliter illuſtrandæ aptiſſima pars eſt Similitudo. Similitudo autem ſumitur hîc latè, prout complectitur etiam Comparationes, & Parabolas. *488 Similitudine*

1. Parabolæ ampliſſimam materiam à Conſequentibus præbent, poſſúntque ab ipſo oratore concipi. *Euſ.* Aperi mentem exemplô. *Eub.* tractans illud Jo. 13. 1. *Chriſtus in finem dilexit eos*, ita ex hoc loco argumentaberis. Si potentiſſimi Regis filius ad vilem mediaſtinum in tetrum carcerem deſcenderet, ſceptróque natas manus catenis innecteret, ſuâ captivitate, & morte illum

in libertatem, & vitam aſſereret; an non tu eum ſervum novo mortis crudeliſſimæ genere dignum cenſeres, ſi tam incenſo amori non ſolùm amorem non rependeret, ſed cum hoſtibus Regis perfidè conjuraret &c. Filius Regis Chriſtus eſt, mediaſtinus tu es ô peccator. Sedecas in horrendô inferni tyranni ergaſtulo &c.

Tum lata à Conſequentibus via panditur ad explicandam tum peccatoris malitiam, cum Dei miſericordiam. Id quod patebit, ſi voculam *finem* amplifices e. g. pro te fuit flagellatus, nec tamen ceſſavit te amare &c. ſed dilexit te in finem mortis ignominioſiſſimæ &c. & amorem tuum tam citò finit gula, voluptas &c.

2. Hanc partem multùm quoque exornant, ſi ſimilitudines conglobentur, & repetantur à rebus ſenſibilibus, ut à cœlo, terra, & elementis.

3. Cùm Similitudines non conglobantur, pulcherrimè *ſimile* ſeu Protaſis Similitudinis exornatur per Hypotypoſin; *aſſimilatum* verò ſeu Apodoſis ejuſdem per Interrogationem,

nem, Communicationem, Apoſtrophen. Vide 199. n. 4.

4. Similitudo ferme hiſce formulis contrario ſubnectitur.

„Hæc perſuaſerunt B. Beoanum, „ut diceret nullum eſſe DEO gratius „Sacrificium, quàm Manſuetudinem „&c. Nam uti &c. Et verò hac in re „uſuvenire ſolet, quod nautis. Hi „veluti &c. Hanc theſin illuſtrant ſi„dera, terra firmat, ſtabiliunt elemen„ta. Sicut enim aſtra &c. Et velut „terra &c. Quemadmodum tandem „elementa &c.

„Id quod hactenus contendi de„monſtrare, fæcunda rerum parens „natura velut ob oculos ponit. In„gredere mecum quempiam cultiſſi„mum hortum; quemadmodum „hîc videre licet omnis generis flores: „ita in Eccleſia omnes virtutes.

Ex his ita S. Beoani effatum pertexes. „Redeas autem in pacem, atque man„ſuetudinis condimentô victima tua „non careat, profectò Superis omni„bus beneplaciti prorſus ſingularis „dulcedinem propinabis. Quod enim „in cibis medulla, in condimentis „ſal, in annulis gemma; hoc eſt in „ſacrificiis manſuetudo. Quemad-

„modum multa ſunt ornamenta, quæ „hortum quempiam ad prodigium „uſque naturæ provehunt. An non „aſpicientium oculos in admiratio- „nem rapiunt variis floribus pictæ a- „reolæ? longâ ſerie conſitæ, & dul- „ciſſimis fructibus fæcundæ arbores? „ſalientes fontanæ? & reliqua colo- „ribus, odoribúſque variegata paradi- „ſi imitatio? At tollatur ex hac ger- „minantis naturæ regia florum prin- „ceps roſa, næ omnis alius artis, & na- „turæ decor plurimùm amœnitatis „amittet. Ita quoque hominum vi- „ta ſtudiis probitatis ceu muris horti „inſtar cincta variô virtutum germi- „ne effloreſcere ſolet. Videas hunc „caſtitatis liliis candeſcere, illum cha- „ritatis roſis rubeſcere, iſtum vario „virtutum colore tulipas imitari, alios „excelſa animi fortitudine conſurgere „ut cedros, alios demiſſionis ſtudiô „fertilium arbuſtorum more infimis „inhærere eò demiſſiores, quò ſunt „fæcundiores. Si tamen ex viridan- „ti hac virtutum gloria auferimus „Manſuetudinis germen, vileſcere no- „bis incipiet omnis reliquus quantus- „cunque ornatus, videbimúrque no- „bis non tam cultum animum videre, „quàm

„quàm quandam culti animi illuſio-
„nem. Adeo nempe vileſcunt om-
„nia ornamenta, ſi nanſuetudo illis
„pulchritudinis gratiam non conci-
„liet. Quid proin mirum, ſi nulla
„Superis placeat victima, quæ ſine
„manſuetudinis ſtudiis immolatur?

VI. Sextam ſedem in Chria tenet *Exemplum*. *Euſ.* Quid intelligitur Exemplô? 489 *Exemplô*

1. *Eub.* Factum quodpiam, in quo id ipſum, quod Chria dictô, vel factô in theſi propoſuit, ad oculum eluceſcat. Auditor itaque in iſta Chriæ parte inſtituendus eſt, quanto cum merito id ipſum exercitum ſit, quod tu probandum ſumpſiſti, quò ſic vi, & virtute talis narrationis ad ſequelam pertrahatur.

Exemplum autem dupliciter poteſt proponi: Inductione, & Narratione. Illâ breviter complectimur plures hiſtorias absque ſuis circumſtantiis. Vide n. 285. Iſtâ afferimus unam, duas, aut ad ſummum tres ſimilis facti formas ſuis cum adjunctis, eásque, ut p. 3. c. 7. toto §. 3. diximus, ornatu Rhetorico expolimus.

Huic autem ornatui debet ineſſe

vis

vis à vehementioribus, & ad motum aptioribus figuris repetita, ut hac narratione audientium voluntatem inclines, & per Teſtimonia, & Epilogum penitus triumphes.

2. Parari ſtudiô notandi ſimiles hiſtoriæ facilè poſſunt. Ingentem hujusce opulentiæ theſaurum tibi polliceor ex Actis Sanctorum ord. S. Bened. recèns à R. P. Jo. Mabillone noſtro editis. Univerſim vitæ Sanctorum, & faſti Eccleſiæ locupletabunt pulcherrimam hiſtoriarum notitiam. Eminet in illis Jo. Bollandus S. J. in his Cæſar Baronius. Has opes breviore operâ ſuggerunt R. P. Gabriel Bucelinus, R. P. Laurentius Surius, R. P. Zacharias Lippelous; recèns R. R. P. P. Petrus Ribadeneira, & Cornelius Hazart S. J.

3. Vivaciſſima redditur hæc pars Hyſterologiâ, qua n. 370: cùm ingenioſè unam hiſtoriæ circumſtantiam ſuo loco emotam in alium transferimus, aut nomina propria tegimus usque in finem, ut hac ratione ſuſpenſus auditor faciliùs rei novitate percellatur.

4. Amant hæ hiſtoriæ præ cæteris conſultationes, Exclamationes,

Com-

Communicationes, Proſopopœias, Hypotypoſes, & Apoſtrophes. Ut autem hæ hiſtoriæ quaſi mutuis ignibus incaleſcant, unam ſemper (niſi aliud ratio ſuadeat) ex faſtis Eccleſiæ, alteram ex S. Scriptura depromendam cenſeo.

5. Ratio autem à Simili ad Exemplum tranſeundi eſt talis.

„Id quòd hæc rerum machina re-
„bus adumbrat. Hiſtoria exemplis
„demonſtrat. Ingredere mecum faſ-
„tos Eccleſiæ &c. Evolvamus S. Scrip-
„turæ monumenta,

„Suo cum lucro, vel damno
„longè maximô idipſum experti ſunt
„illi magnates &c. de quibus veterum
„monumenta hanc cataſtrophen ad
„poſteritatis terrorem, & eruditionem
„transmiſerunt. Teſtem ego te ap-
„pello Gualberte. Diem illum no-
„bis in mentem revoca, quo Cœli-
„tes omnes unius magnitudine vic-
„toriæ in admirationem rapuiſti.
„Ibas &c.

„Cùm Manſuetudini præconia re-
„peto à verſicoloribus, pratis à fra-
„grantibus hortis, à fulgentibus ſtellis,
„oculos mihi perſtringit ille admirandi
„facinoris illi⁹ fulgor, qui ex facie Gual-

berti

„berti emicuit, cùm &c. Operis toti-
„us ſeriem ab ovo, ut ajunt, audi.

„Quod fieri à nemine, vel à pau-
„ciſſimis poſſe cenſebis, id à pluri-
„mis feliciſſimè confectum Hiſtoriæ
„monumenta demonſtrant. Prode-
„at è Virginum choro Agnes, quæ
„&c. Integras heroum myriades
„producit ſolus Patriarcha Benedic-
„tus. Hi omnes pro virtute depug-
„nare &c.

„Haud opus eſt ad hanc gloriam
„pertingendi viam multo conatu a-
„perire. Ab omnibus Divis ſtratam
„ſemitam tenemus. Non pigeat ſe-
„qui, & conſequéris præeuntes. Ob
„oculos tibi pone Placidos &c. Vir-
„tutis illi iter ingreſſi ſunt pueritiæ
„annos nondum egreſſi. Agebatur
„&c. annus à nata Benedictina Re-
„ligione nonus, cùm &c.

Dictis iterum lucem afferet, ſi S. Beoani dictum quodam exemplô illuſtremus.

„Ut hæc omnia luce clariùs con-
„ſpiciatis, evolvite mecum Valum-
„broſanos faſtos, & unum mihi Joan-
„nem Gualbertum manſuetudinis
„myſtam, victimam factum ſpecta-
„te. Fors is nefarii hominis ſicâ
ſangui-

„ſanguinis, & neceſſitatis jure con-
„junctiſſimum ſodalem amiſerat.
„Amici necem dolentiſſimè tulit.
„Et ut erat majorum gloriâ præcelſi,
„& juventutis ardore præfervidi ani-
„mi, talionis conſilia in parricidam
„ſumpſit. Dies Chriſti paſſi tragœ-
„diâ lugubris (Paraſceven dicimus)
„agebatur; cùm ecce Joannes egre-
„giâ juvenum ſtipatus, & armatus
„catervâ fortè fortunâ in hoſtem inci-
„dit ſolum, & inermem. Miſero ef-
„fugium omne viarum anguſtiæ, &
„ſtricti in præſens exitium enſes præ-
„cludebant. Quid ageret in tam fatali
„rerum articulô comprehenſus? Con-
„ſiliavitæ extremùm periclitans à mor-
„te Servatoris petit. Humi fuſus, &
„in crucis modum expanſis brachiis
„metu prope exanimata voce Joan-
„nem affatur. Per eum ego te, in-
„quit: rogo, qui hodie pro ſuis ini-
„micis, & ſicariis orans in Cruce exſpi-
„ravit, parce. Motus hac oratione
„Gualbertus militares, & in vindictam
„excandeſcentes ſpiritus interpellans
„ſupplici veniam, & vitam dedit. O in-
„ſignem Manſuetudinis, & immola-
„tæ iræ victimam! Spectâſtis hacte-
nus

„nus Joannem Deo, & Manſuetudi-
„ni litantem, ſpectate nunc Deum
„præmiantem. Cùm tantâ ſui ipſius,
„& iræ mactatâ victimâ in templum
„S. Miniatis ſecedit, ac Crucifixi Ser-
„vatoris imagini adgeniculatur, illa
„caput veneranter inclinans Joanni
„pro tam grato litatæ iræ Sacrificiô
„gratias agit. Eo ſpectaculô motus
„Joannes ſuos commilitones Floren-
„tiam præmittit. Ipſe verò arbitris
„liber conſtituit non jam ſolius vin-
„dictæ, ſed ſui ipſius, ac omnis
„mundanæ ſpei Sacrificium facere.
„Abbatem S. Miniatis adit, ac ſup-
„plex in ſacrum cœtum admitti petit,
„contemptisque paternis minis ſibi
„ſuismet manibus arrepta forcipe
„crines abſcidit, ac poſitis illuſtriſ-
„ſimæ familiæ titulis S. Benedicto ſa-
„cramentum dixit. Quô Magiſtrô
„prodigium humilitatis, patientiæ,
„& obedientiæ evaſit. Vitam ſanc-
„tiſſimam tam beata morte corona-
„vit, ut eum Cœleſtinus Papa III.
„plaudente orbe apotheoſi donârit.
„Magna hæc ſunt, & ipſas naturæ vi-
„res ſupergreſſa, longè tamen ma-
„jora, & verè divina reſtant exem-
„pla. Aſcende tuo mecum cogita-
„tu

„tu montem Colgotæum, quiſquis „Manſuetudinis pretia hactenus di„metiri neſciiſti. Hîc hîc (obſtu„peſcite cœli!) à perfidis ſervis ſuſ„penſus ab infami ſtipite Dominus „pendet, & ille Dominus, cujus nu„tibus parent cuncta elementa: in ſa„crilegos ignis ſua fulmina, ſuas äer „tempeſtates, aqua ſuos vortices, ſua „tellus ſaxa offert ad vindictam. „Quid exſpectas? an ſubitò dehiſcere „terram, contorqueri fulmina, ac „uno ſimul omnem Judæorum col„luviem exitiô involvi? Erras. A„mantiſſimus Servator tibi ad exem„plum factus manſuetudinis victima, „& Sacerdos exarmat elementa, veni„am, veniam clamat etiam conjura„tis hoſtibus. Sed ô benigniſſime „Jeſu hi, quibus ſupplicium depre„caris, quantis Sacratiſſimum corpus „tuum flagris ſulcârunt? Sulcârunt: „ego tamen *Pater ignoſce illis*. Sed „hi paliuris caput tuum inaudito auſu „per ſummum ludibrium ſimul, & „tormentum conterebrârunt! Con„terebrârunt: ego tamen *Pater ignoſ„ce illis*. Sed hi te hac in cruce o„dio, invidiáque furiati per inaudi„tum nefas ſuſpenderunt! Suſpen-

„derunt: ego tamen *Pater ignoſce il-* „*lis:* morior ego filius tuus; ut vivat „hoſtis meus, & tuus: imo non am- „plius hoſtis, ſed ut à me reconcilia- „tus, mihi ſit frater, tibi filius. *Ig-* „*noſce ergo illis*, *quia neſciunt, quid* „*faciunt*. Atque hæc clamans exſpi- „ravit, ut tibi manſuetudinis ſpiri- „tum inſpiraret. O te centeno dig- „niſſimum inferno, quisquis auſeris „adhuc vindictam ſpirare!

490 *Teſtimonio*

VII. Licet exemplis ex genuinæ Narrationis legibus productis ingens ad motum vis inſit; plurimùm tamen eis virtutis accedit, ſi teſtimoniis ſtabiliuntur. Audire namque rem factam eſſe excitat admirationem, quæ ſæpe relinquit otioſum auditorem. At cùm audimus rem quampiam non ſolùm factam eſſe, ſed etiam è maximorum virorum, aut ipſius Dei teſtimonio nobis faciendam; tum enim verò pudet diutius pigritare, & ad opus accingimus mentem, & manus futuri ipſi ſecuturis exemplum. Ex his patet.

1. Diligentiæ conquirendi teſtimonia apta ineſſe debere ſelectum, eaque non nudo verborum ſono, ſed

ſed veſtita ornatu Rhetorico producenda eſſe.

Facilè autem conveſties, ſi per Apoſtrophen nunc ab hoc, nunc ab alio S. Patre, aut Doctore dictis tuis ſuffragium petieris, per brevem Dialogum interſtinxeris, vivida Exclamatione concluſeris, aut alia figurâ, quæ viam parare poteſt inſigni epilogo, exornaveris.

2. In collocandis teſtimoniis; ſervandus eſt ordo, & dignitas teſtium. Minores præmittimus majoribus, & S.Scripturæ teſtimoniis ultimus, & maximus locus dandus erit, ut iis tandem audientium animos triumphemus.

3. In amplificanda hac ſeptima parte mentem reflecte ad Adjuncta, 1. quis dicat? 2. cui? 3. quando? 4. quanta vi? 5. ubi. Depingenda nonnunquam eſt dicentis auctoritas, audientis vilitas, temporis ratio. Auditor nonnunquam educendus eſt per Hypotypoſin ad locum e. g. aulam, montem &c. in quo res dicta eſt, quaſi verè de novo diceretur. Aliàs vis dicendi per Optationem, Exclamationem &c. inſigniter producitur.

4. Tranſitus autem ab Exemplo ad Teſtimonium eſt ferme talis.

„Sine ſolatio, metu &c. audiri „non poteſt, quod in eandem ſen-„tentiam S. Iſidorus pronunciavit.

„Neſcio, quid ſtabiliendæ theſi „noſtræ aut ad aſſenſum efficacius, „aut ad motum potentius afferri „poſſit, quàm illa Marci cedrô dig-„na ſententia.

„Dictis ſubſidium fert Rupertus, „cùm ad communem omnium no-„ſtrûm eruditionem grande illud o-„raculum fudit.

„Subſidiatur Ruperto Anſelmus, „ac paucis verbis, ſi ſapimus, velut „tonitru noſtram ſuperbiam con-„cutit.

„Verùm non licet depingendæ „pulcherrimi facinoris imagini diu-„tius inhærere: penicillum capit „Marcus, ac tot coloribus, quot „verbis ſententiam noſtram ob ocu-„los ponit.

„Tu quoque cœleſti, & flexani-„mâ eloquentiâ Paule trahe concio-„nem meam. Inclama ei, quod „olim intimis tuorum Galatarum „viſceribus inſcripſiſti.

Uti-

„Utinam jam nunc tuos ego Pau„le ſenſus, verba, voces, ignes ca„pere poſſem, ut ore tuo digna „vi grandem illam tuam gnomen „proferam. Mea ergo condo, tua „produco. Audite jam orbis præ„conem,

„Si, quo ſenſu tam grande à no„bis exemplum ſuſcipiendum ſit, „ſententiam à S. Bernardo exquira„mus, dicet nobis &c.

Exemplum autem noſtræ Chriæ ſic pertexo.

„Duriſſimum hoc ego hominum „genus tibi emolliendum cedo Da„miane. Singulorum mentibus il„lud tuæ ep. 17. l. 4. inſtilla. *Qui* „*conſuevit*: inquis, *frequenter iraſ*„*ci, juſtitiam nunquam poterit ope*„*rari.* Nunquam poterit: ô hor„rendum *nunquam*! Sed pergis. „*Qui ſe ex humana ratione non tem*„*perat*, *neceſſe eſt*, *ut ſolus beſtialiter* „*vivat.* Quid gravius dicere potuiſſes? „addis tamen iratum, & à manſue„tudine alienum hominem à Spiri„tu Sancto è cœtu fidelium penitus „proſcribi. O miſerum hoc morta„lium genus! Vobis lachrymas, man-

„ſuetis ſolatia ſervo. Omnes iſti ſa-
„cerdotes, & è divini Spiritûs teſti-
„moniô filii DEI ſunt; Sacerdotes,
„ſi victimam: filii, ſi hæreditatem
„ſpectes; illam ingenti merito mac-
„tant DEO ſuo, & hanc pro illâ di-
„vino promiſſo jam poſſident. Sem-
„per enim in divinis tabulis ſibi con-
„ſignatum legent illud Matt. 5. *bea-
„ti mites, quoniam ipſi poſſidebunt
„terram* æternæ promiſſionis. Sem-
„per eorum auribus dulciſſimè regia
„Davidis cythara pſ. 24. accinet. DE-
„US *docebit mites vias ſuas.* Cùm
„alii per avia vitiorum ab ira, furo-
„re, vindictæque libidine abducun-
„tur, DEUS ipſe (ô ſolatium!) do-
„cebit illos regias in cœleſtem patri-
„am vias. Et eſto, ceſpitent hi
„nonnunquam, & ab anguſtâ virtu-
„tis ſemita parumper exerrent, uni-
„us Manſuetudinis & humilium pre-
„cum Sacrificio mereri ſolent, ut in
„viam nullo morum diſpendiô re-
„ducantur. Nam & nos tecum ô
„Sanctiſſima heroina Juditha didici-
„mus in ſchola Manſuetudinis c. 9.
„16. ad DEUM clamare: *humilium, &
„Manſuetorum ſemper tibi placuit
„deprecatio*: placuit, & ſemper pla-
cebit

„cebit ut victima graviſſima, ut ho-
„locauſtum prorſus ſingulare. Sed
„& tu Amor Divine Spiritus Sancte
„doce nos tuos Neomyſtas, ut ab-
„jecto rancoris, odii, ac inimicitiæ
„dedecore purum Manſuetudinis Sa-
„crificium offerre diſcamus. DEus
„inquis: Prov. 3. *manſuetis dabit*
„*gratiam*. Exſurgant graviſſimæ ten-
„tationum procellæ: manſuetis da-
„bit gratiam, ut eas devincant. Ir-
„ruant integra morborum, ærum-
„narúmque agmina: dabit gratiam,
„ut imperterrito animo excipiant,
„infractô perferant, hilari ad proxi-
„mi exemplum, proprium ſalutis
„emolumentum, ac divinæ gloriæ
„incrementum conſtanter transfe-
„rant. O Manſuetudinem virtutum
„pulcherrimam! ô Sacrificium pror-
„ſus ſingulare!

VIII. Chriam claudit Epilogus, quo breviter, quæ in Paraphraſi dicta ſunt, revolvimus. 491 *Epilogô*

1. Ut autem materiam, & vim Epilogo concilies, Adjuncta perſonæ, quæ ſententiam, aut facinus edidit, adeunda ſunt.

2. Ex figuris nullam cenſeo aptiorem, quàm Apoſtrophen, quâ auc-

tori gratias agimus pro illuſtriſſimo dicto, aut facto; vel (ſi Divus eſt) ſupplices ſimus, ut dictum ſuum cordibus dignetur inſculpere; vel qua promittimus ſequelam, ſtudiáque noſtra addicimus, ut quàm plurimos in tam illuſtre dicti factíve decus pertrahamus. Ad motum etiam perorant ii, qui ſententiam è templorum tholis, aut ædium foribus ſuſpendunt; qui inſcribunt frontibus audientium; aut pro xenio, alióve munere amicis offerunt; qui ſententiam muſicis cantandam, præconibúsque declamandam tradunt.

3. Materiam, ſimulque decorem conferunt Epilogo *Conſequentia*, ut ſi proferas, quæ morum pulchritudo conſecutura ſit eos, qui hanc gnomen cordi ſuo inſcribent.

4. Tranſeundi à Teſtimonio ad Epilogum viam præſtant fere ſimiles formæ.

„Peroravi: quid dictis addam, neſ„cio: dixit omnia unus Anſelmus. „Non jam ergo oratorem, ſed pic„torem agam, & exarabo Sanctiſſi„mi viri dogma &c.

„Audiſtis hactenus S. Beoani ſen„tentiam, audiſtis quantis eandem

Anſel-

„Anſelmi , Ruperti concelebrent „præconiis. Quid igitur vetat, quin „vitâ, & moribus in hæc præconia „concedamus ? Agedum ! omnem „rancorem deponite , mentem ceu „virgineam tabellam S. Beoano præ„bete, inſcribet ille dogma ſuum, ut „nullâ unquam injuriâ poſſit deleri.

„Pauciſſimis verbis quanta myſte„ria complexus es Beoane. Hæc tua „verba murus ſunt inexpugnabilis, „qui hoſtes arcere, aurifodina locu„pletiſſima , qua animam omni vir„tutum decore ornare poterimus. „Viciſti beneficiis gratitudinem no„ſtram. Ut immortales tibi grates „perſolvamus , dogma tuum in ore, „in mente , in moribus noſtris cir„cumferemus &c.

Cætera de Epilogo videri poſſunt cap. ſuperiore §. 10. Hîc ſolùm nota, eum optimè erui ex viſceribus cauſarum.

Ex S. Beoani autem dicto, & his regulis ita perorabis

„Quid igitur Sanctiſſime Præſul, „ac Cœleſtis Magiſter Bëoane mora„mur ? cur non ſinguli ſanctiſſimis „pedibus tuis advolvimur ? Ecce nos „coram fulgentiſſima facie tua pro-

„ſtratos ! Gratias tibi immortales pro „illuſtriſſimo tuo dogmate perſolvi„mus. Non amplius, non amplius „vindictam ! Deinceps ponemus om„nem rancorem : omnes erimus „Sacerdotes Manſuetudini ſacri. I„ram, & omnem turbidum irritati „animi affectum, cùm probris in„juriisque proſcindemur, mactabi„mus. Impetra nobis à Summo Sa„cerdote Chriſto gratiam, ut hæc „Manſuetudinis Sacra devoto, & ſe„reno ſemper animo fideliter obea„mus, donec ad promiſſa manſuetis „præmia feliciter ad te perveniamus.

aptam uſui vario

IX. Ex his patet Chriam eſſe perinſigne non minus Oratoris artefactum, ſed & cuivis concioni in quamque partem pertrahendæ utiliſſimum. *Euſeb.* Quando itaque mihi Chriam, & quando panegyrin, aut aliud dicendi genus ſuades aſſumendum? *Eub.* Rem magni momenti quæritas : & ex emolumento tuo libens reſpondeo.

1. Chriam ſuadeo, quoties quæſtio communis, ac trita, cujusmodi ferme catecheſis amat, producenda eſt. Sic ex trito illo. *Quis es tu ? Ego ſum chriſtianus catholicus.*

vix

vix fabricabis orationem, facilè autem Chriam; ſi in Encomiô laudes Eccleſiam hoc modo nos interrogantem, & promptè, veracitérque reſpondere valentem: *ſum Chriſtianus catholicus*; ſi deinde in Paraphraſi declaraveris, quàm grandem hic talis virtutem, quanto cum meritô, ac quam legem profiteatur; ſi porro per *Cauſam* rationes attulleris, ut ſunt Martyrum teſtimonia, miracula &c. quæ nos ad promptum hocce reſponſum movere poſſunt; ſi quoque in *Contrario* eorum infelicitatem produxeris, qui non poſſunt dicere, quin etiam nolunt: *ſum catholicus*; ſi per *Simile* Fidem dixeris lucem in tenebris, Sapientiam, gemmam &c. ſi tandem pro fide morientium &c. exempla, eandem dictis, & ſcriptis laudantium *teſtimonia* protuleris, planâ viâ ad Epilogum utilem non minus, ac ardentem delabéris, ut nemo non fidei donum æſtimet, DEO pro eodem gratias agat &c. promptè, hilariterque profiteatur.

Atque hoc Chriæ uſu totam catecheſin non ſine ſpe magni fructûs pro concione proponere poteris.

2. Econ-

2. Econtra verò ſi quæſtio quædam minus obvia pertractanda eſt, orationis uſum ſuaſero, eamque pro materiæ varietate panegyricam, ſuaſivam, aut diſſuaſivam. *Euſ.* Quando panegyrin condendam ſuades? *Eub.* Quoties tibi cum aliqua perſona laudibus digna negotium eſt, aut cùm feſtum quoddam præ manibus habes, aut cùm rerum dicendarum copiâ laboras, ut ſi de aliquo Divo unicum fortè factum conſtat: tunc enim ad regulas *Operum* ſingularium, quas n. 435. tradidi, refugiendum eſt. Ex his e. g. unicus S. Thomæ Apoſtoli ad Indos convertendos penetrantis zelus abundantem egregiæ panegyri materiam præbebit.

3. Si autem opus quoddam arduum ac inſigne præ manibus habes, vel quandam morum turpitudinem propulſare cupis, genus Deliberativum adeundum ſuadeo.

4. Nonnunquam tamen, præſertim ſi dictum, vel factum illuſtre eſt, omnium vices Chria non inutiliter ſubibit. Sed id tuo judicio relinquo, quo duce diſces ex tempo-

ris,

ris, loci, ac concionis uſu varietate placere.

§. II

Methodus conſcribendi epiſtolas dilucidatur.

EUbulus A Chria venimus ad Epiſtolam, quæ definitur mutuus abſentium, vel quaſi abſentium ſermo ſcriptus de omnibus rebus, & negotiis ad communem hominum ſocietatem ſpectantibus inſtituendus, arte certis regulis firmatâ pulcher, & ſuavis. Ex his patet negotia quæque, rerumque eventus omnes eſſe materiam epiſtolæ, ac eam ab illis omnium optimè conſcribi, qui calamô animi ſui ſententiam omnium elaboratiſſimè ad regulas infra dandas expreſſerint. 492 *Conſcribere epiſtolam. variam*

Euſeb. Quotuplex eſt epiſtola? *Eub.* Multiplex: ſingulæ tamen ad triplex genus reſtringuntur. Deliberativum, Judiciale, & Demonſtrativum. *generis*

Ad Deliberationem, quæ tota in dando conſilio poſita eſt, pertinent ſequentes, & quidem. *Deliberativi*

1. Suaſoria, qua in rebus dubiis ami- *Suaſoriam ex*

amico conſulimus, eique, quid ſuſcipiendum ſit, ſuademus.

regulis iſtis

Euſ. Quid in Suaſione ſervandum? *Eub.* 1. Lauda ſis amicum à prudentiâ, ſtudiô veritatis, ac probitatis. 2. Promtiſſimam amicum demerendi voluntatem pandito. 3. Narratio ponenda eſt, qua clarè, & breviter conſilii rationem declares ex Locis Rhetoricis, potiſſimùm Partitione, & Adjunctis. 4. Confirma conſilium tuum argumentis ab utili, jucundo, &honeſto repetitis; ab Adjunctis perſonarum e. g. amicorum idem efflictim ſuadentium, & optantium; à Contrariô, & damnis, quæ repudiatô conſiliô emerſura ſunt; à Cauſa finali, & effectis. 5. Refutanda ſunt modeſtè, ſyncerè tamen, quæ dato conſilio poſſint officere. 6. In concluſione aut per priſtinas amicitiæ inconvulſæ hactenus leges pete conſilii tui ratihabitionem, & uſum; aut pollicere officia tua, aut Confirmationis argumenta breviter repete, aut Superûm opem implora, ut conſilium & approbent ipſi, & ejusdem laborem ſolentur, & fortunent.

Euſ. Sed quibusnam formulis hæc

hæc omnia proponenda ſunt? *Eub.* Exempli cauſa hæc pauca ex Cicerone, meisque Excerptis propono.

„Hoc tibi agendum cenſeo, ſi „meo conſilio parere volueris &c.

„Si, ut ſolens, ad aliorum conſi-„lia vitæ tuæ rationes componere ve-„lis, hoc tibi agendum cenſeo, ut „omnia, quæ dignitatis, quæ laudis, „quæ gloriæ pleniſſima ſunt, tibi „non ſolùm imitanda, ſed & perci-„pienda proponas.

„Etſi conſilium faciliùs capere, „quàm dare poſſim, verearque tibi „homini ſummâ prudentiâ prædi-„to quidquam aut ſuadere, aut diſ-„ſuadere, ne, cùm amori in te me-„o ſim obſecutus, tuo videar judi-„cio diffidere: malo tamen præ-„ſumptionis cujusdam notam ferre, „quàm in ulla officiorum meorum „parte deficere.

„Cùm meô in te amore, tum „tuâ cauſâ impulſus ſuadeo &c.

„Dabis hoc amori noſtro, ut in „eam te ſententiam adduci ſinas, „quæ cum tuâ & utilitate, & nomi-„ne eſt conjuncta.

Hæ, & ſimiles formulæ uſu notandi facilè comparari poſſunt. Hinc

iis

iis referendis brevis ero. *Euſ.* Placet conſilii tui ratio. Da ergo dictorum exemplum. *Eub.* ut profectui tuo, & meæ brevitati ex æquo ſatisfaciam, ſufficio meis exemplis magnorum in re epiſtolari principum Ciceronis, Juſti Lipſii, aut Eryci Puteani epiſtolas, & fideli operâ, ut eas facili uſu poſſis adire, citabo. Illuſtre itaque ſuaſionis exemplum habes apud Cic. l.2. ad Fam. ep.28. & ep.9. l.7.

493 *Diſſuaſoriam*

2. Tranſeamus ergo ad epiſtolam diſſuaſoriam, quam exordimur à noſtra in amicum ſolicitudine; Contentionem dein ſtabilimus à turpi, inutili &c. Adeunda potiſſimùm ſunt Adjuncta perſonæ, loci, temporis. In concluſione monebis, obteſtaberis, aut officii pollicitatione induces amicum, ut cœpta conſilia damnet. Formulæ ſunt hæ.

„Vide, quàm diligenter potes, „ne quos tibi continentia terminos „præſcripſit, transgrediare.

„Sejunge te quæſo aliquando ab „iis, cum quibus te non tua pruden„tia, ſed temporum vincula conjun„xerunt.

Normam diſſuadendi præbet Cic. L 16. ep. 403. ad Fam. & l.6. ep. 10.

Eâdem

Eâdem fermè methodo, qua ſuademus, etiam hortamur; & qua diſſuademus, etiam dehortamur. Hortari autem ſolemus potiſſimùm ad illuſtre quoddam facinus, cui producendo inſignem materiam ſuggerunt Adjuncta perſonæ, & facinoris; priſcæ quoque ætatis exempla, aut majorum. Epilogus eſto conciſus, & fervidus obteſtationibus, & nonnunquam Proſopopœja? *Hortatoriam, & Dehortatoriam*

3. Ad amicum opis noſtræ indigum, aut officii cupidum ſcribimus epiſtolam officioſam, ad mœſtum conſolatoriam, ad iratum conciliatoriam. *Euſ.* Quibus legibus contexitur illa? *Eub.* 1. In Exordio defer ultro tuum amico ſtudium, & operam; oſtende promptam in omne officiorum genus voluntatem; aut amici in te merita recenſe, eorumque gratam memoriam; aut excuſabis diuturnum ſilentium. 2. In epiſtolæ Contentione per Partitionem, & Adjuncta perges ad ſingularia officia, ad quæ tua ſtudia, & laborem polliceberis. 3. Proferes cauſas, cur amico tam prolixè bene velis; qualis eſt in te gratitudo ex multis beneficiis conſurgens, longa *Officioſam.*

neceſſitudo, & fructus ex hac in bonum commune, & privatum multis jam annis dimanantes; ex parte amici eximia virtus, & ob ſuam inſitam excellentiam omni officiorum genere digniſſima. 4. In epilogo flagitabis, ut amicus tui amoris periculum facere velit, & imperare ardua quæque &c.

Formulæ ſunt hæ. „Animum „ad quidvis obſequii promptiſſimum „polliceor in omnibus, in quibus de„ſiderabis amici officium.

„Omnia volo à me & poſtules, „&exſpectes: Vincam officiis meis „cogitationes tuas.

„Ego te mihi ſemper amicum eſſe „volui, me ut tibi amiciſſimum eſſe „intelligeres, laboravi. Maneo in „voluntate, & quoad voles tu, per„manebo. Has litteras velim exiſti„mes fœderis habituras eſſe vim, non „epiſtolæ, meq́ue ea, quæ tibi pro„mitto, ſanctiſſimè obſervaturum.

„Quæ ad te pertinere arbitrabor, „ea meâ ſponte faciam: ſiquid igno„rabo, de eo admonitus omnium „ſtudia vincam.

„Noſtram fidem omnes, & amo-

„rem

„rem tui abſentis præſentes tui cog-„noſcent.

„Perſuade tibi te unum eſſe,in quo „ego colendo patriam mihi conſti-„tuerim ſanctitatem.

„Illud tibi perſuadeas velim, me „omnia,quæ ad tuam dignitatem per-„tinebunt, quæ eſt per ſe ampliſſima, „ſummo ſtudio ſuſcepturum; quod „quamquam intelligo me cum mul-„tis facturum, appetam tamen hujus „rei primas.

Hæc omnia velut in ſpeculô repræſentat Cicero l. 5. ep. 8. ad Craſſum & ep. 178. l. 10.

4. Exordium conſolatoriæ capimus, cùm noſtrum dolorem ex amici dolore hauſtum pandimus,aut cùm benevolentiam noſtram recenſemus, aut amici exploratam fortitudinem prædicamus. 2. Contentio poſcit rationem, cur amicus à ſe, & animi ſui conſtantiâ etiam in his nubilis non deſciſcat. Hinc 3. adducenda ſunt omnia, quæ poſſunt lenire dolorem: qualia ſunt. Malum non erit diuturnum; accidit ſine culpa; converti poteſt ad illuſtre virtutis exercitamentum; à Dei voluntate, cujus nutu omnia ſapienter gubernantur,immiſ- 494 *Conſolatoriam*

ſum eſt; miſera mortalis vitæ conditio, præſens rerum v. g. bellorum tempeſtas plurimos in eandem calamitatem traxit; ſi magnorum virorum exempla ob oculos verſantur, non tam dolendi, quàm gaudendi materies ſpectabitur. E Loco ſimilitudinis hæc calamitatum hyems amœnum felicitatis ver pollicetur &c.

In Epilogo igitur adhortaberis, ut præſentem fortunam amicus magnanimiter ferat, ac cogitationes à malo abductas bonis patientiæ, & Chriſtianæ fortitudini promiſſis affigat. Aut hortaberis, ut illuſtri patientiæ exemplo ad poſteritatis eruditionem ſuum nomen magnorum virorum diptychis inſcribat. Aut ſtudia tua polliceberis amico ad minuendam moleſtiam, vel fortiter ferendam. Aut breviter rationes contentionis repetes. Aut tuam cum ipſo amicitiam his malis ſtabilitam fateberis.

Formulas conſolandi has adduco. Euſebi: plures ex titulo de *Patientia*, Fortitudine &c. proferes.

„Optimi patris tui mortem ut do-
„leo vehementer, ita omnino feli-
„cem exiſtimo, qui ſic obierit, quan-
„do hac ſorte naſcimur omnes.

„Cave

„Cave ita imbecillo ſis animo, ut „in communibus miſeriis dolore te „vinci patiaris.

„Abducito à dolore animum, & „te adverſus omnes ſævientis fortunæ „impetus Chriſtianorum more o„barma:

„Concede ſapientiæ tuæ hoc de„cus, propter magnitudinem animi, „& ingenii tui omnia moderatè,& ſa„pienter ferre.

„Quando præſtitimus, quod de„bemus, moderatè, quod evenit, fe„ramus.

„Tu fac, animum fortem habe„as, & in ea, quæ tibi nunc ſunt adver„ſa, rectè factorum innocentia remiſ„ſiùs, placatiúsque feras.

„Me non oratio tua ſolùm, & ſo„cietas pene ægritudinis, ſed etiam „auctoritas conſolatur.

„Omitte per DEUM impoſte„rum has cogitationes, quas ille im„probat.

Dictis ingens lumen accedit, ſi legeris ep. 33. Juſti Lypſij cent. 1. & ep. 5. Cic. Fam. l. 4.

5. Epiſtola conciliatoria duplex eſt: unâ iratum conciliamus ad pacem, & dicitur Deprecatoria, alterâ *495 Conciliatoriam*

hactenus ignotum ad neceſſitudinem. In illius exordio fatebere culpam, eámque tamen aut improborum conſiliis, aut juventutis fervore commiſſam extenuabis. 2. Spondebis ſeriam morum correctionem. 3. in Contentione produces cauſas, quæ poſſint offenſum placare. 4. In concluſione offeres te ad condignam pœnam, ac nullum ſupplicium detrectabis, quàm noxam, quæ minimè poſſit dehinc diſplicere.

Cùm autem hactenus ignoti viri benevolentiam ambis, & quæris epiſtolâ, Exordium duces 1. ab illius virtutibus ſoli ſimilibus, qui ſuos radios etiam in ignotas cavernas demittit. 2. Demiſſè petes, ut te in ſuorum amicorum album aſcribat. 3. In Contentione produces argumenta tuæ petitionis; qualia ſunt DEI gloria, boni communis emolumentum, virtutis ampliora ſtudia &c. 4. In Epilogô polliceberis omnem cultum, & perennem tuam, & tuorum gratitudinem. Lucem ampliorem adducent hæ formæ, plenam autem pro Conciliatoria Cicero l. 5. ep. 66. pro Deprecatoria l. 2. ep. 12. ad Fam.

„Niſi

„Niſi certò cognoſcerem tuam er-„ga me ſummam, verùm etiam in „omnes, tametſi alienos bonarum „litterarum ſtudioſos non vulgarem „benevolentiam, vererer profectò „ſtudiorum tuorum tranquillitatem „temerè interpellare.

„Singularis tua humanitas mihi „hanc fiduciam miniſtrat, ut tametſi „nihil promeritus, audeam tamen „tuum officium liberè requirere.

„Tuam erga me ſingularem bene-„volentiam vel in labore meo, vel in „honore perſpexi, totamque do-„mum veſtram vel ſalutis, vel digni-„tatis meæ ſtudioſiſſimam cognovi.

„Nihil eſt mihi crede virtute for-„moſius nihil pulchrius, nihil ama-„bilius. Semper te propter ſum-„mum ingenium, ſuaviſſimos mo-„res, ſingularem probitatem & con-„ſtantiam amavi, ad quem amorem „hoc tempore tantum acceſſit, ut „mirarer locum fuiſſe augendi in eo, „quod mihi jam pridem cumulatum „etiam videbatur.

„Miram ſanè rem, & tibi ut opi-„nor, auditu jucundiſſimam, non „potui non ad te perſcribere.

„Amor inter nos mutuus, meáque de virtute opinio facit, ut &c.

„Non reperio, quâ verborum formâ tibi explicem, quantùm tibi debere velim; quando tu vir iſta auctoritate, & præſtantiâ tam honorificè de me ſentias, & loquaris,

Petitoriam

6. Hactenus recenſitis epiſtolarum generibus exquiritur ferme bonum illius, cui ſcribimus; Petitoriâ verò Commendatitiâ, Mandatoriâ, Communicatoriâ, & demum diſputatoriâ reſpicitur bonum aut gratia ſcribentis.

Euſ. Quomodo efformatur Petitoria? *Eub.* Ut honeſta ſolùm decet dari, ita ea ſolùm oportet peti & ab amico ſperari. Itaque in exordio tuam, indigentiam & in amicum fiduciam pandes; illius autem liberalitatem, & demerendi præſertim inopes promptitudinem. Tum 2. expones petitionem tuam ab Adjunctis: quibus nonnunquam brevis narratio præmittitur infortunii. 3. In Contentione affer rationes', quibus amicum ſuaviter in tuam ſententiam, & tui miſericordiam pertrahas. 4. In Concluſione polliceberis perpetuam beneficii memoriam, tuáque officia,

&

& rependendi voluntatem modeſtè addices; aut DEUM obteſtaberis, ut impenſam opem novis amico favoribus remuneretur.

Rogantium formulas quasdam hîc ſubjicio: plura ſuggeret exercitatio.

„Etiam, atque etiam te rogo, ac „magis, quàm à me vis, aut pateris te rogari, ut &c.

„Te rogo, ut, quod facis, pergas mea ſtudia tueri, juvare, provehere.

„Pro veteri noſtra conſuetudine „precor, ut in hac re elabores.

„Non audeo vehementiùs à te „contendere; ne aut ipſe tuæ perpetuæ conſuetudinis erga me oblitus eſſe videar, aut te oblitum putem.

„Si me, ſicut ſoles, amas; ſuſcipe me totum, atque hoc, quidquid eſt oneris, ac muneris pro „mea dignitate tibi tuendum, ſuſtinendumque puta.

Frequentia ſunt iſta. „Illud te „præcipuè rogo, & obteſtor pro amore noſtro: amoris noſtri causâ: „pro noſtra amicitia: pro jure noſtræ amicitiæ: pro veteri conjunctione, & neceſſitudine: pro pari

„inter nos & mutuâ benevolentiâ: „amicitiæ noſtræ nomine: pro tuo „perpetuo in me ſtudio, meoque „item in te ſingulari.

Ad Exemplum Petitionis nihil illuſtrius adduxero, quàm ep. 69. Ciceronis, ad Luceium l. 5 Fam. & ep. 197. ad Planc. l. 10.

496 Commendatitiam

7. Hoc epiſtolarum genere pro alio petimus gratiam: in quibus, ut ritè conſtruantur, res, quæ petitur, & perſonæ, à qua, ex qua & cui petitur, conſiderandæ ſunt. In re, quam petis, disquire an ſit honeſta facilis, utilis, à multis diu expectata. In perſonâ, cui quempiam commendas, perpende innatam demerendi litteras e.g. & litteratos facilitatem, humanitatem, priſtinam neceſſitatem multis annis nutritam, ſacultatem expeditam concedendi gratiam petitam. In perſona, quam commendas, conquire dotes naturæ, patriam, parentes, doctrinam, & ea omnia, quæ n. 420. & ſeqq. fusè de laude perſonarum diximus. In temet ipſo autem examinabis, quantùm optes, ut gratia commendato concedatur. Atque tum invenies cauſas juſti tui deſiderii.

Eum

Eum in modum confectâ inventione, ſic commendationem tuam diſpones.

In Exordio pandes tuam fiduciam in amicum, aut eum, quem commendas, laudabis. Tum petes gratiam, dignitatem, officium &c. ei quem commendas. Hæc dein propoſitio probetur in Contentione argumentis ab utili, jucundo, honeſto, facili, exemplo tam tuo, quàm aliorum. Licet etiam à conſequentibus (modeſtè tamen) afferre commoda conſecutura familiam, bonum commune, virtutis, & doctrinæ exiſtimationem, ſi commendatus per te votis potiatur: demonſtrabis proin quot, & quantas virtutes in uno commendato honoraturus, ac quantam exin apud omnes probos, Cœlites, DEum ipſum gratiam initurus ſit. Stabilitur demum contentio fortiter Cauſa finali dignitatis, quam petis, ſi ab Antecedentibus demonſtres hunc finem à promoto feliciter comparatum iri.

In concluſione addices tua, commendatíque officia, ſtudia, & gratitudinem. Polliceberis gratiam commendato conceſſam tibi fore haud alio cultu, quàm ſi in te collocata eſ-

ſet.

ſet. Aut rogabis per ſupplicum preces, per virtutum merita, per inſitam benefaciendi benemeritis tum facilitatem, cum facultatem.

Phraſes commendantium calamis conſuetas, has tibi breviter aſtruo.

„Hujus hominis integritas ſic mi-
„hi multis argumentis eſt explorata,
„ut non dubitem illum tibi vel capi-
„tis mei periculô commendare.

„Quamquam non libenter incre-
„dibili tua humanitate ad amicorum
„fortunas augendas abutor; hunc ta-
„men juſtiſſimis de cauſis vel dignita-
„tis, quam ampliſſimam conſecutus
„eſt, vel humanitatis, vel illius in me
„beneficii tibi commendo, petóque
„à te majorem in modum, ut res ejús
„omnes ſic ornes, ut gratias utríque
„habere velit immortales.

„Hunc tibi ſic commendo, ut
„quidquid in te amoris erga me tui
„reſidet, ac benevolentiæ, id totum
„in illum, cujus gloriæ, ac fortunis
„mirabiliter faveo, conferas: quod te
„facturum & meâ, & illius causâ con-
„fido.

„Gratiſſimum mihi feceris, ſi viri
„hujus dignitati ſuffrageris, atque om-
„nia, quæ ad illum novo honoris
„ſplen-

„ſplendore augendum, illuſtrandúm„que pertinebunt, ſummô ſtudiô ſuſ„cipias, & defendas.

Sine jam, ut tibi ſingula inſigni exemplo exhibeat Cicero. Id quod præſtat ep. 272. Fam. l. 13. & ep. 16. l. 2.

Eſt & alia commendandi ratio, qua famulum ex ſervitio domum, aut ad alium herum dimittimus. Unde & Dimiſſoria dicitur, cujus ſunt hæ partes. Præmiſſo nomine, patria, & arte famuli eundem dilaudabis à præſtito tot, & tot annis ſervitio: proin eum dignum pronunciabis omnium, ad quos venerit, patrociniô. Utque id aſſequare, lectorem rogabis. Siqua alia Dimiſſoriæ admiſcenda ſunt, à commendatitiâ repetantur. *Dimiſſoriam*

8. Epiſtola Mandatoria eſt, qua herus famulo, pater filio, magiſtratus civibus, & quique majores ſubjectis aliquid expediendum mandant. In Inventione quinque ſunt Adjuncta conſideranda: *quis* imperet, *cui*, *quid*, *quomodo*, *quando*. In particula *quis* cura ſis, ut imperans ſit retinens majeſtatis, dignitatíſque, ne, cui præeſt, ſubeſſe videatur. In *cui*; imperandum eſt manſuetè omnibus, præcipuè, 497 *Mandatoriam*

puè, qui ſenſu humanitatis, & rationis ſe duci ſinunt. Hi námque tales faciliùs manſuetum imperium admittent, quàm ſupérbum, & illud diligentiùs exequentur. Potiſſimùm autem *quid* imperetur, diſpiciendum, probandúmque eſt, id eſſe facile, aut ſanè non admodum difficile, honeſtum, utile, debitum, & neceſſarium vario nomine. Ne autem mandatum mediis deſtitutum tyrannidem ſapiat, illa ſunt in litteris ſuggerenda, modúsque deſignandus, quo ſit conficiendum. Cúmque multa bene geſta malum ſoleant exitum ſortiri, niſi ſuo tempore deſignentur, dies, nonnunquam etiam hora exprimenda eſt, quâ imperata fiant.

Diſpoſitio Mandatoriæ pro dignitate mandantis varia eſt, & certis regulis præter ſermonis elegantiam conſtringi nequit.

In Epilogo repetes mandatum, & ut ſine mora, aut deſignato tempore conficiatur ſine tergiverſatione, monebis. Solet nonnunquam adjici promiſſio præmii, id quod tamen ferme favore abſolvitur. Formandis Mandatis lucem ferent hæ loquendi normæ.

„Cu-

„Curabis hæc diligenter, & quàm-„primùm: animum, & manum operi adjicies,

„Fac, quemadmodum ſoles, & „æquitas tui muneris expoſcit, di-„ligenter.

„Si qua in re ſedulò tuo functus „es officiô, fac hoc in negotio om-„nem fidem, induſtriam, diligenti-„am, & ingenium expedias.

Pulchra, & frequentia ſunt hæ. „Age pro viribus: pro tua virili. „Summè conaberis, omni ſtudiô „contendes: omnibus tum animi, „cum corporis viribus enitéris: nul-„lum ſtudium prætermittes: ſummo „conatu adnitéris: toto pectore in „hoc incumbes &c. ut &c.

His illuſtrandis facem accendit Cicero ep. 360. l. 14. & 379. l. 15. Ciceroni proximè accedit Caſſiodorus in Libris var. quos tibi non poſſum non ſuadere plenos eruditione, & exemplis.

Ex Mandatoriæ regulis conſurgit etiam prohibendi ratio; hæc tamen liberiùs ſe in argumenta diffundit in Contentione, quàm illa. Exemplis abſtineo. *Prohibitoriam*

9. Epiſtolam Communicatoriam dico eam, qua in dubio exquirimus ab *498 Communicatoriam*

ab amico conſilium, ut, quid nobis è re ſalutis decernendum ſit, ſcripto ſignificet. Exordium ducitur à ſtudio noſtro in amici ſapientiam, & virtutem collocato; ac dein pandimus ancipitem noſtrum animum. In Contentione producimus cauſas, quæ nos dubios reddunt.

Tandem in Epilogo ſententiam amici exquirimus, ac vicariam operam pollicemur.

Rationem ineundæ conſultationis præſtant hæ normæ.

„Magna de re conſultatio mihi ſuſ„cipienda, quam tibi his litteris ex„ponere volui. Ego tuam ſenten„tiam propter ſingulare animi tui de „virtute judicium audire deſidero.

„Nemo eſt omnium, qui cum potius „eſſe mihi, quàm tecum comunican„dum putem: nec enim clariſſimo„rum virorum, quorum ſimiles „eſſe debemus, exempla, neque doc„tiſſimorum, quos ſemper coluiſ„ti, præcepta te fugiunt.

„Quare velim pro tua erga me „perpetuâ benevolentiâ, ſcribas ad „me, quid videas, quid ſentias, „quid exſpectandum, quid agendum

nobis

„nobis exiſtimes. Magni nobis e-
„runt tuæ litteræ.

„Tibi autem id conſilium do, „quod mihimet ipſi, ut vitemus o- „culos hominum, ſi linguas minus „facilè poſſumus.

Iterum egregiè hæc dicta ſuis exemplis ſtabiliet tibi Cicero ep. 3. l. 8. ad Atticum, & ep. 76. ad Rufum, l. 5. Fam.

10. Diſputatoria tandem epiſtola claudat genus deliberativum. Atq; hac propones primò quæſtionem, dein amici ſententiam exquires. Ex his patet eam conſtare quatuor capitibus. *Diſputatoriam*

Primò captabis benevolentiam, dein quæſtionem propones, tum varias pro quæſtione ſententias proferes, tandem aut tuam defendes, aut amici tui mentem rogabis. Concluſio abſolvitur grati animi pollicitatione. Agnata eſt Diſputatoria Communicatoriæ; atque mutuò ſe fulciunt: hæc tamen latiùs patet, illa ferme ſola artium liberalium terminis concluditur.

En tibi paucis diſputandi per epiſtolam quaſdam rudes imagines.

„Liceat mihi per te, quæ tua eſt „in rebus omnibus animi æquitas,

„ſentire aliud omnino in litteris, „quàm tu ſentias, dumodo nullâ in„ter nos amoris, hoc nomine, be„nevolentiæq́ue mutuæ jacturâ fiat.

„Quorum ſententiæ nec ego pla„nè accedo, nec ingenuo cuiquam, „& liberali accedendum puto.

„Cupio & de cæteris, quid ſenti„as audire, tantò majorem tibi ad„hibiturus quotidie gratiam, quan„tò ab erroribus me vel ſæpius, „vel liberiùs, vel poſtremò etiam „ſeveriùs vindicaveris.

„Tuum mihi pro lapide Lydio „judicium erit. Nam ut illo purum „aurum ab adulterino dignoſcitur: „ſic apud me de tua facilè ſententia „verum videtur poſſe, falſumq́ue „diſcerni.

In rem non ſine fructu leges Juſti Lypſii diſputationem de canibus cent. 1. ep. 44.

499 *judicialis*

II. *Euſ.* Recenſe mihi quoque epiſtolas generis judicialis. *Eubul.* Noſti hoc genus totum abſolvi accuſatione, & defenſione, ac utriúsque partibus. Proin hujus generis epiſtolæ ſunt aliæ Accuſatoriæ, aliæ Defenſoriæ & aliæ has, aut illas perfecturæ. De ſingulis priori ritu breviter.

1. Pri-

1. Prima eſt accuſatoria, qua aliquem aut violati promiſſi, aut amicitiæ &c. arguimus. *Accuſatoriam*

In Exordio ſtatim pandimus noſtrum dolorem ab Exclamatione; Dubitatione, aut alia vehementiori figurâ. Dein doloris noſtri cauſas afferemus ipſius facti breviculâ, ſed gravi narratione. Tum in Contentione factum demonſtrabimus, & ab Adjunctis læſi, & lædentis exaggerabimus. Haud negligendæ ſunt hîc circumſtantiæ modi, & temporis, quo injuria facta eſt: velut, an facta ſit errore, neceſſitate, an datâ operâ, an tempore, quo maximè colenda fuiſſet amicitia?

In Epilogo hortaberis amicum, ne iterum peccet, ſed notam hanc eluat. Licet etiam nonnunquam adjicere minas, aut conſilium ſalubre ad inſtaurandam amicitiam.

Ne autem hujusmodi epiſtolæ potius rixæ quàm ſynceræ correctionis ſpeciem ferant, abſtinendum eſt probris, & verbis animum potiùs exulcerantibus, quàm perſanantibus, & multa rejicienda ſunt vel in fervorem ætatis præcipitis, aut in errorem temporis, aut aliam cauſam,

ut videare non tam læſus, quàm ſollicitus, ne, ſi errorem hactenus culpâ vacuum tolerares, diſſimulando in amicitiæ, quæ ſe maximè in propulſandis malis prodere debet, leges delinquas.

Rei litterariæ principes has ferme accuſandi formas in exemplum producunt.

„Religio amicitiæ noſtræ prope „profanata eſt nuper. Infatuaſti ami„cum. Nihil turpius, quàm eum, „cujus plurimis, & neceſſariis uſus „ſis officiis, non ſolùm non colere, „ſed etiam negligere, quin & con„temnere. Vix adduci poſſum, „ut credam, quod mihi de te „ab auctoribus alioquin minimè „vanis, adfertur. Eſt enim & à „mea de te exiſtimatione, & à tuis „moribus priſtinis alienum. Ar„canum, quod nuper tibi commiſi, „utpote ei, quem nihil unquam ce„lare ſolebam, id audio jam prola„tum in lucem, quotidie ad plures „ſerpere. Te rumoris hujus aucto„rem eſſe neceſſe eſt, quando ipſe „mihi ſum conſcius, cum nemine „illud præter te unum mortalium „communicâſſe. Quod ſi falsò eſt mihi

„mihi obnunciatum, eſt, quod vehe-
„menter gaudeam. Malim enim in
„illis vanitatem accuſare, quàm in te
„amici fidem deſiderare. Sin verè,
„haud te dignum feciſti. Quid enim
„tam perfidum, quàm amicorum ar-
„cana prodere? Res eſt non tam ex-
„poſtulatione, quàm acri reprehen-
„ſione digna. Sed nondum de tua
„fide diffido. Tu fac hoc ſcrupulo
„me quàm primùm leves.

Hæc omnia clariùs more ſuo demonſtrabit Cicero ſuis epiſtolis ep. 62. ad Anton. l. 5. Fam.

2. Accuſatoriæ vicina eſt Invectiva, qua calamum in improbum quempiam acriter ſtringimus. Regulis recenſendis, quas juſta indignatio ſuppeditabit, haud opus eſt immorari. Formulæ ſunt hæ. *Invectivam.*

„Quis contumacior, quis inhu-
„manior, ſuperbior, acerbior, cru-
„delior unquam fuit?

Ita cæcus crudelitate, & ſceleribus ferris, ut cupiditatem tuam nulla unturpitudo retardârit.

„Expert⁹ ſum jam pridem tuam per-
„fidiã. Tu manifeſto maleficiô teneris.

„Tu familiæ noſtræ famam tuis
„flagitiis violâſti. Immenſa es ali-
„qua vorago, gurges vitiorum, tur-

„pitudinumque omnium. Quæ no-„ta turpitudinis non eſt inuſta vitæ „tuæ?

„Tu eos, quos beneficiô proſequi, „pietate colere, veneratione ſuſcipe-„re, ac obſervare debebas, inaudi-„tâ crudelitate perdidiſti.

„Quæ libido ab oculis, quod faci-„nus à moribus unquam tuis, quod „flagitium à toto corpore tuo abfu-„it? incredibili hoc ſcelere ſcelus cu-„mulâſti.

500. Comminatoriam

3. Mitiùs incedit epiſtola comminatoria, quâ lapſis pœnam, aut lapſuris labendi metum infligimus. Eſtque fermè patris ad filium immorigeratum, judicis ad reum, domini ad ſervum contumacem. Pro fine fas, & æquum habet.

Exordium ducitur ab ipſo crimine aſperum querelis, & indignatione. Dein crimen exaggeratur breviter.

In Contentione adducuntur juſtæ indignationis, & minarum argumenta.

In Epilogo recapitulantur dicta, aut ſi mitiùs agere velis, hortaberis, ut ſeriâ morum correctione indigna-

tionis

tionis juſtiſſimæ flammis materia ſine cunctatione ſubducatur.

Huius generis epiſtolæ inſigniter exſurgunt Adjunctis perſonarum & criminis, famâ, teſtimoniis &c. Stylum amant conciſum emaculatum tamen maledictis, & probris, & juſtitiæ rigores non ſine oleo lenitatis adducentem. Sed jam hæc ſuis loquendi formulis illuſtremus.

„Niſi iſtam tuam maledicendi li- „bidinem profuſámque conſtringas „ſcurrilitatem, oſtendam eum me „eſſe, qui nec dignitatem, nec nomi- „nis ſui exiſtimationem ludibrio tuo „oblatam eſſe patiatur.

„Invitus facio, ut ad tuam impu- „dicitiam, nequitiam, furorem, ani- „mi mei abjiciam moderationem: „ſed niſi humanitate potius mecum, „quàm injuriis certare velis, cogar & „ipſe & in te violentior eſſe, quàm vel „uſus meus, vel natura poſtulat.

„Nunquam hujus culpæ pœnam „effugies. Ego tibi iſtam linguæ laſ- „civiam præſcindam.

„Ex his laqueis ſi te exueris, ac te „aliqua vi, ac ratione explicâris, in pla- „gas majores incidendum eſt tibi;

„mortem acerbam, crudelémque tibi „proponemus.

„Permitto aliquid iracundiæ tuæ, „do adoleſcentiæ, credo amicitiæ, ſed „niſi tibi aliquem modum vitæ con„ſtitueris, coges oblitum me noſtræ „amicitiæ, habere rationem dignitatis „meæ.

„Si in ea mente manes, ea quæ „mereris, exſpectes, velim.

Illuſtre comminandi exemplum præbet Metellus ep. 58. inter Cic. fam. l. 5. iterum Brutus, & Caſſius ep. 215. lib. 11.

501 *Reprehenſoriam* 4. Quarto loco ponimus Reprehenſoriam; quæ duplex eſt: unâ inferiores, & conſceleratos impetimus, & hæc ſequitur leges Invectivæ: altera docet modum reprehendendi amicum hactenus nullo vitiô notatum. Ne hujusmodi reprehenſio incaſsùm cadat, his cautelis utendum. Oſtende te invitum reprehenſionis aculeos ſumpſiſſe. Aut lauda amicum in aliis, ut placidè deferaris ad vitium, de quo amicum arguis. Aut dimiſſa perſonâ ipſum vitium inſectare. Aut oſtende virtutum ſplendori labem aliquam inſperſam videri ab aliis, & etiam referri, quam proin tu velis, ſi fama

fama conſtet, abluere. Aut ſumes perſonam medici, qui, quò magis amat, ægri valetudinem, eò diligentiùs omnem artis opem excutit. Aut dices amicitiæ veræ, quæ in ſola virtutis communione conſiſtit, te ſpecimen daturum, acre quidem illud, ſaluberrimum tamen, & quod nunquam auderes ſumere, niſi aut cogeret amor, aut impelleret neceſſitas.

Exordieris itaque Reprehenſoriam à ſignificatione amoris, dein ſcribendi cauſam expones.

In contentione juſtæ reprehenſionis argumenta produces, eáque petes à quatuor cauſis, præſertim efficiente; ab effectis, ab adjunctis loci, temporis &c. à teſtimoniis, à fama, & judicio aliorum præcipuè amicorum.

Epilogum animamus hortatione, ut inuſta nota ſine mora deleatur.

Formulas pro prima reprehendendi ratione has ſuggero.

„Pudorem cum amicitiâ perdidiſ-
„ti homo, & humanitatis expers, &
„vitæ communis ignarus.

„Hanc deterrimam belluam quis
„ferre poſſet? quid eſt in eo præter
„libidinem, crudelitatem, petulanti-
„am, avaritiam, audaciam? ex his to-

„tus conglutinatus eſt, nihil apparet „in eo ingenuum, nihil moderatum, „nihil prudens, nihil pudens, nihil „pudicum.

„Omnium ſcelerum, flagitiorúm„que documentum es. Homo es ſi„ne ſpe, ſine fide, ſine fortunis, ore, „linguâ, manu, vitâ omni inquinatus.

„Promptus es ad vim, paratus ad „ſeditionem, audax ad omne facinus: „Vultus plenus furoris, mens ſcelere „obſtricta, lingua maledictis impedi„ta, oculi feritatis, ſermo atrocitatis „plenus.

Formas ſecundæ reprehendendi rationi commodas has notes.

„Candidiſſimo hactenus nomini „tuo, recèns affrictam labem pro mu„tua noſtra neceſſitudine ferre non „poſſum.

„Nupero te tuo facto in invidiam „omnium adduxiſti.

„Etiam, atque etiam vide, ne, „quam nominis tui gloriam nulla hac„tenus inſectantium invidia potuit of„fuſcare, tam ignobili facinore aut „obſcures, aut extinquas.

„Mallem tacere, quàm loqui; & „ipſum epiſtolæ meæ argumentum „plus mihi diſplicet, quàm tibi pote-

„rit

„rit diſplicere. Sed demus priſcæ „noſtræ conſuetudini etiam hanc glo„riam, ut ardius creſcat, & reprehen„ſione firmetur.

„Diſcant inſectatores tui amici„tiam noſtram ſolo virtutis commer„ciô ſtetiſſe,nec poſſe uno erroris im„petu dejici.

„Dabis hoc amicitiæ noſtræ, ut „quantùm ab adulatione aliena ſem„per fuit, tantùm veritatis ſtudiô ful„ciatur.

„Ea mente, qua meam, etiam „tuam ſortem ſuſtineo. Nec fauſta „mihi fortuna placet, niſi & te fortu„net. Par mihi in mala mens: tua „velut mea fero; aut ut veriùs lo„quar, ferre non poſſum.

Sed ſatis de his: meliora ſcribentem lege Ciceronem ep. 412. l. 16. Fam.

5. Variis malis, & miſeris præmitur vita humana; quas cùm amicis afflicti perſcribunt, exſurgit epiſtola indignatoria; cujus hoc eſt artificium. 502 *Indignatoriam*

Exordium conſurgit querelis, dolore, & indignatione, quam nolis celare amicum. In contentione malum ipſum deſcribitur, & ab Adjunc-

junctis, ac cauſis oſtenditur, quàm grande ſit malum.

In Epilogo exquirimus ab amico manuum, precúmve opem, nonnunquam etiam vindictam, crebro tutelam.

Curandum, nequid à chriſtiana fortitudine abludens hujusmodi epiſtolis irrepat, & de immaginariis injuriis tragœdiam inſtituamus. Sed malum ſit oportet tale, quod juſtam mereatur, & haud otioſam indignationem; ut ſunt depravati mores, litterarum, & bonæ educationis neglectus, innocentia preſſa diu, aut etiam oppreſſa, ſceleratorum impunita libido &c. Efformandis his epiſtolis manum ducent hæ indignationis formæ.

„Doleo ita communem rem eſſe „delapſam, ut ne ſpes quidem me„liùs aliquando relinquatur.

„Non medius fidius præ lacrymis „poſſum reliqua, nec cogitare, nec „ſcribere.

„Opprimor interdum, & vix re„ſiſto dolori, quòd ea me ſolatia de„ficiant, quæ cæteris, quorum mi„hi exempla propono, non defue„runt ſimili in fortuna.

„Non

„Non faciam, ut enumerem mi-„ſerias omnes, in quas incidi prop-„ter ſummam injuriam, & ſcelus „non tam inimicorum meorum, „quàm invidorum, ne & meum mœ-„rorem exagitem, & te in eundem „luctum vocem.

„Quid querar? Nihil me infortu-„natius. Nos tamen in his etiam „miſeriis erecto animo, & minimè „perturbato ſumus, honeſtúmque, „& dignitatem noſtram magna curâ „tuemur.

Prototypon querelæ præclarum conquire ſis l. 14. Fam. ep. 353. ad Terent.. & l. 11. ep. 224. ad Brutum.

6. Verùm cùm etiam ſpectatæ virtutes ſæpe à malevolis linguis vapulent, ab arte, & re epiſtolari neceſſaria defenſio nonnunquam evocanda eſt. Defenſoriæ autem artificium his conſurgit capitibus. Exordium ducitur aut à neceſſitudine ejus ad quem ſcribis; aut à malevolis linguis, malísve, quibus premeris; aut ab innocentiâ, ac iniqua fortunâ eorum, qui tecum patiuntur. Tum miraris tuam famam, aut bona ad cenſuram vocari. In Contentione *Defenſoriam*

dein

dein id demonſtratum ibis aptis argumentis, eáque repetes à vitæ tuæ rationibus, ab Adjunctis, à ſtudiis &c.

In epilogo autem amici opem, qua te & virtutem contra improbos tuearis, flagitabis.

Si autem fama tua apud amicum cœpiſſet laborare, modeſtè afferes innocentiæ tuæ capita, polliceberis damnaturum te factis prorſus contrariis incuſantium improbitatem, vel hortaberis, ut priſtinæ tuæ fidei velit periculum facere. Aut ſi factum excuſandô propulſare non potes, id minuendô, aut penitus fatendô te hominem probabis, errantem eum, nequaquam impœnitentem, ſed paratum ad ſubeundos quosque labores, ut læſam amicitiam inſtaures.

Nonnunquam ſimpliciter petimus ab amico, ut nos ab improborum injuriis vindicet, & tunc epiſtola ſequitur leges Petitoriæ, de qua 495. n. 6.

Ædificandis hujus generis epiſtolis formam præbent hæ phraſes.

„Probè novi virtutem tuam non „ſagô minus, quàm togâ ſpectatam, „in bonos nunquam non liberalem, „ſemper in improbos armatam. Ad

hanc

„hanc ego ceu ad tutiſſimum aſylum „accurro. Auſi ſunt nuper in publi-„co conſeſſu famam meam impu-„dentiſſimis calumniis proſcindere „ii, quorum ego ſemper ſtudia, „damna nunquam ſectatus ſum.

„Haud norunt hi, vel noſſe vo-„lunt ingenium meum, aut de ho-„mine amiciſſimo non amicè ſen-„tiunt.

„Officium tuendi famam apud „eum ſuſcipio, qui laboranti nomini „ſuppetias ferre ſemper in primis ha-„buit.

„Illa nominis mei gloria, cujus „maximam partem tuis me ſtudiis „debere noſti, ab improbis miſerè va-„pulat, flagellatur.

„Si meam ſolius famam in diſcri-„men vocaret, injuriam ſolô ſilentiô „vindicarem. Sed cùm labem affri-„cet innocentibus, quorum mihi „ſemper vitâ charior exiſtimatio fuit, „armatis precibus injuriam, & inju-„riantem perſequor.

Ectypon ſemet per epiſtolam tu-endi graviter, ut ſolet, ſuppeditat E-rycus Puteanus Cent. 1. ep. 16.

III. Aggrediamur jam metho-dum conſtruendi epiſtolas generis *503 demonſtrativi*

De-

Demonſtrativi, id quod totum laude, & vituperio abſolvitur. Ejusmodi epiſtolæ ſunt Laudatoria, Gratulatoria, Evchariſtica, Nuncupatoria, & Narratoria. De ſingulis breviter.

Laudatoriam 1. Laudatoriâ rem quampiam, perſonam, aut perſonæ quoddam facinus commendamus.

Exordium duci ſolet aut à narratione facti, famâ, aut fructu cujusdam operis.

Contentio ſtabilitur iis argumentis, quibus à n. 420. ad n. 448. eruendis operam noſtram dedimus.

Epilogus abſolvitur gratulatione, hortatione, ſtudiorum tuorum pollicitatione, aut ſyncerâ gaudii ſignificatione.

Cavendum autem, ne, cùm perſonam, aut facinus, ad quam ſcribimus, laudamus, à laude devolvamur ad adulationem. Cavebis, ne aliena afferas, ſed ea duntaxat, quæ ad virtutem, & in cœptis conſtantiam ſtimulare poſſunt.

In propriis verò laudibus recenſendis parciſſimi ſimus, neceſſe eſt, nec ad eas unquam, niſi coacti, & indirectè prodeamus. Fateor tamen nimiam hîc religionem haud vitiô care-

carere, quô te expurgabis, ſi factum tuum ſyncerè ſine faſtu referes, & maximam gloriæ partem in amicos, magiſtros, omnia tandem in DEUM. Fateberis proin. non tam de bene geſtis te lætum, quàm de pertexendis cœptis ſollicitum, ut piorum preces, conſilia, & operam conquiras.

Stamina contexendæ laudis hæc ego tibi exempli locô ſuggeſta velim.

„Inter cæteros virtutum ſplendo„res emicat magnus labor in negoti„is, fortitudo in periculis, fides in „amicitiâ, induſtria in agendo, ce„leritas in conficiendô.

„Homo antiqua vitæ religione „præditus, & longo multarum re„rum uſu exercitatiſſimus: tantâ „virtute, & integritate, nemo ut „illo frugalior eſſe poſſit.

„Nulla res tanta eſt, cujus qui„dem efficiundæ poteſtas homini „conceditur, quam non ille & con„ſiliô regere, modeſtiâ temperare, „integritate tueri, virtute conficere, „auctoritate conſervare poſſit.

„Homo ſummo locô natus, ſum„mo ingenio, ſummâ virtute. Mag-

„ni animi ſemper, & ad omnes ca-
„ſus ferendos conſtanter paratus.

„Tuam contemerare laudem nul-
„la unquam calumnia poterit. Tu-
„am laudem nulla unquam obſcura-
„tura eſt oblivio.

„Omnia in te unum congeſta ve-
„neror, quæ aut fortuna homini-
„bus, aut natura largitur.

„Immortale indeptus nomen mo-
„ri non potes. Vives etiam poſt fa-
„ta rerum geſtarum gloriâ in poſte-
„ritatis moribus.

Verùm ut ſine vituperiô artis laudemus, audiamus Ciceronem laudantem ep. 191. l. 10. Placebit etiam Erycus Puteanus Cent. 1. ep. 2.

504 *Gratulatoriam*

2. Frequens inter amicos gratulatoriæ uſus eſt, conſurgitque his capitibus.

Materia ſunt omnia vera bona: oſtendes proin ea eſſe præclara, à multis ambita, paucis, & non niſi magnis, & optimè meritis conceſſa. Recenſebis etiam Adjuncta boni aquiſiti. e.g. tempus, locum, perſonam: cui plurimùm majeſtatis, & pretii accedit, ſi dixeris fuiſſe v. g. dignitatem collatam tempore iniquiſſimo, in loco canditatorum omni

omni genere virtutis ſpectatorum celebri, à perſona æqui ſtudioſiſſima, & inſigni probitatis arbitrô. Par ineſt vis effectis aditæ dignitatis, uti ſunt regia, & aperta ad majores honores, famamq́ue via, plauſus omnium bonorum, patentiſſimus excurrendi in omnium virtutum vias campus.

Forma gratulatoriæ hæc eſt. In Exordio pandes tuam è ſecundis amici tui rebus lætitiam, aut ſtatim exordiris à plauſu, aut gratiarum actione ad Cœlites, & DEUM per Apoſtrophen directa; vel compellabis collati boni cauſam efficientem, celebrabis ejusdem cauſam finalem, & hujus conſequentia tum apud DEUM, cum apud homines

In Contentione dein profiteberis quàm meritò ex boni collati magnitudine lætitiam, & plauſum ſumas. Ne autem deflectas in adulationem, dicito te gaudere, quòd unius amici cultu tam multæ ſint honoratæ virtutes, quòd æmulorum repulſa ſit invidia, quòd patriæ, familiæ &c. parta ſit ea gloria, quæ ſegnibus additura ſit calcar ad paria virtutis ſtudia.

Quòd ſi verò bonum quodpiam non adeo magnum gratuleris, id transfers ad hortandi materiam, dicesque his modicis viam ſterni ad majora.

In Concluſione aut gratulationem repetes, aut polliceberis ſtudia benevolentiæ tuæ, aut precum officia, ut partis diu & feliciter frui liceat amico, aut hortaberis, ut bene meritis aditam dignitatem pergat honorare, amicos autem, & virtutis ſtudiis ſibi ſimiles beneficiis excolere.

Gratulandi quasdam tibi hîc imagines ſubjungo, ad quarum colorem tuas depingas.

„Aditum honorem tibi DEUS „immortalis fortunet, velim.

„Litteræ tuæ ſuaviſſimæ, quibus „te novis honoribus auctum nunci„as, tantâ me lætitiâ repleverunt, ut „prorſus dubitem, cui potiſſimùm „gratuler: tibíne cui tanta dignitas „obtigit: an patriæ, quæ tantum ha„bitura ſit præſulem: an principi, „qui talem conſiliarium: an mihi „potius, qui tuis bonis perinde, ac „meis delector.

„Nuncius neque optatior, ne„que jucundior afferri potuit, quàm

qui-

„qui nuper eſt de nova dignitate tuâ „allatus.

„Omnes iſtam tibi excelſam, & „admirabilem rerum geſtarum glo- „riam gratulantur, perpetuamque „tibi fore exoptant. Qua in re gra- „tulor tibi ita vehementer, ut te „quoq; mihi gratulari, quàm gratias a- „gere malim: alterum non omnino „deſidero: alterum verò facere po- „teris.

Ad conficiendam, & facilitandam rem gratulatoriam facient. ep. 17. l. 2. Cic. ad Curionem, & ep. 457. l. 12. Fam. Facem feret etiam Juſtus Lypſi- us cent. 1. ep. 23.

3. Uti, ſi beneficium amico col- latum eſt, conſurgit epiſtola Gratu- latoria: ita ſi nobis, Evchariſtica. Hujus tanta eſt neceſſitas, quanta eſt ingratitudinis fæditas, à qua, ni ve- lis, & poſſis gratias agere, vix te un- quam poteris vindicare. *505 Evchariſticam*

Si autem evchariſtices artem cal- leas, exerceasque magnum amicitiæ conſervandæ opus conficis, & novis beneficiis canalem. Nam ſæpe refert gratiam, qui bene gratias agit.

Materia itaque Evchariſticæ ſunt omnia beneficia, eaque non magna

ſolùm, ſed & parva, ne pro illis ingrati, hæc contempſiſſe videamur.

Ut autem animi gratitudo pateſcat in pagellâ, proferri debent Adjuncta collati beneficii. Qualia ſunt. Beneficium collatum eſt præclarum, utile, honeſtum, multorum bonorum ferax; collatum eſt citò, ultro, uberiùs, quàm ullus amicorum auſus fuiſſet petere, non ſine invidia æmulorum, aut certamine ambientium. Collàtum eſt à viro magno, ſummâ auctoritate prædito, eximiô virtutis, & meritorum æſtimatore, ab amico multis, & priſtinis nominibus chariſſimo. Collatum eſt non petenti, nec petere unquam auſo, aliunde plurimis titulis obſtricto &c. Evchariſticam tandem præ cæteris exornat cauſa finalis per Comparationes declarata e g. Volebas nempe ſolem imitari, qui humiles caſas non minus, ac altos regum vertices radiorum ſuorum beneficiis obaurat.

Quod formam ſpectat; in ea haud multùm laborandum eſt. Si amas beneficium, & benefactorem, optima magiſtra eſt gratitudo, cujus proin leges ſequéris.

In Exordio itaque beneficii magnitu-

nitudinem, & tuam ex eadem lætitiam profiteberis.

In Contentione docebis, quanti facias beneficium, & benefacientis propenſum animum in beneficia; & nunc tibi gratulaberis, nunc aliis, quibus licuit in felicitatem fortunæ venire; ad perſolvendæ gratitudinis ſacramentum aſciſces tibi omnium obſtrictorum voces, & animos.

In Concluſione precaberis tibi ab hominibus, & Superis facultatem tantis beneficiis vicem rependendi, aut perennem beneficii memoriam, & cultum polliceberis, aut hortaberis, ut deinceps te, tuósque benignè complecti dignetur.

Contexendis Evchariſtices epiſtolis ſubſidium conferunt hujusmodi loquendi normæ.

„Gratum mihi fuit munus tuum, „gratior epiſtola tam amica, gratiſſi„mus animus. Etſi nulla oratione par „tuis meritis gratia haberi poſſit; ma„lo tamen tuis me beneficiis victum „confiteri, quàm eorum, quæ acce„perim, diſſimulatione haberi ingra„tus.

„Quibus tibi verbis gratias agam, „non reperio. Sunt enim in te om-

„nia auguſtiora, illuſtrioráque, quàm „quò conatûs mei infirmitas aſpirare „poſſit. Ita cùm parem benevolen„tiam navare non poſſim, ſtudium ti„bi meum vel agnoſcendo, vel præ„dicando beneficio libenter decla„rabo.

„Quæ vis ingenii, quæ magnitudo „obſervantiæ tot, tantíſque beneficiis „reſpondere poterit?

„Quamquam tibi gratia tanta re„ferri non poſſit, quanta debetur, ha„benda tamen eſt, quantam maximam „animi noſtri capere poſſunt.

„Quòd referre gratiam, ita ut vo„lebam, non poſſim, fortunæ debes „imputare.

„Hoc, quod mihi reliquum eſt, te „amabo, te colam, te venerabor. Mea „enim mihi fortuna eripere potuit, „meipſum non poſſit.

„Agere gratias, fit verbis. Habe„re gratiam, animo. Referre gratiam, „& gratias, opere.

Sed hæc omnia longè præclariùs demonſtrantem audiamus Ciceronem ep. 299. ad Serv. Sulpit. l. 13. & ep. 196. l. 10. ad Plancum.

506 *Nuncupatoriam*

4. Jam quod epiſtolam Nuncupatoriam ſpectat Euſebi, ut eam ritè con-

conſtruas, arte, & ingenio opus eſt, dicitúrque perſpicua ratio ſcripto mandata, qua librum quendam in lucem,& bonum commune emittimus.

Nuncupatoria autem eſt duplex: unâ editi operis cauſas damus, alterâ opus ipſum Mecœnati cuidam conſecramus. Hæc dicitur etiam Dedicatoria, illa Præfatio ad Lectorem.

Præfationem ad Lectorem

Euſ. Quomodo conſtruitur Præfatio? *Eub.* In Exordio modeſtè produces ſcriptionis tuæ cauſas, quas petes vel ab amicorum precibus, otio, juſſu majorum,potiſſimùm à materiæ, quam tractas utilitate, præſtantia, aut etiam neceſſitate.

Tum in Contentione id ipſum probabis. Ibis dein ad methodum, quam in contexendo libro tenuiſti, ac ita graphicè Lectori ob oculos pones, ut totius operis œconomiam, & imaginem menti ſuæ inſcriptam habeat. Qua in re breviter conſilii tui rationem ſuggeres.

In Epilogo hortaberis lectorem, ut laborem tuum, & bene conſulat,& uſurpet. Teſtaberis etiam nullius alterius te deſiderio teneri, quàm communis utilitatis, & gloriæ divinæ.

Euſ. Quodnam eſt Dedicatoriæ

Dedicatoriam

artificium? *Eub.* Exordieris aut à vitæ tuæ rationibus, aut officiis, ſtudiíſve. Aut afferes illuſtre quoddam facinus, vel præclaram eruditionem è veterum geſtis, vel apophthegmatis repetitam, à quibus paulatim ad operis inſtituti rationem delabéris. Tum laboris tui ſcripto mandati diurnis, nocturníſque ſtudiis tandem abſoluti cauſas dabis.

In Contentione probabis quibusnam rationibus inductus opus tuum huic Patrono volueris conſecrare. Eæ autem repetantur ex vita, moribus, geſtis, doctrina, famáque Patroni; ex majorum quoque gloria, veteri in litteras, & litteratos cultu, & conſuetudine.

Tum exenterabis operis tui partes, & methodum, celebrabis materiæ pertractatæ utilitatem, præſtantiam, & neceſſitatem. Implorabis quoque Mecœnatis tui tutelam contra lividorum dentes, & contumelias, ac ut laborem tuum probet, & apud probos approbare velit, rogabis.

In Epilogo te, tuum opus, ac omnia ſtudia tua conſecrabis, ingenium, viréſque tuas ad majora molimina, & juſſa offeres.

Euſ.

Euſ. Quibusnam libri ſunt dedicandi? *Eub.* Omnibus, quibus gratitudinis nomine ſumus obſtricti, aut quibus litteræ, litteratique cordi ſunt ad illas illuſtrandas, hos propugnandos. Tales ſunt Principes, Epiſcopi, magni Præſules. Quin etiam inſigni exemplo dedicari poſſunt libri Deo, Deiparæ, Angelis, Cœlitibus, aut certo Cœlitum ordini, ut Sanctis Monachis, Apoſtolis &c. vidimus quoque libros inſcriptos purgantibus animabus, civitati, ſenatûi, regnis, provinciis &c. Quod ſi Cœlitibus tranſcribimus opus quodpiam, liberiùs eundum eſt in nomina debitæ gratitudinis, in partitionem laudis &c. cùm eo caſu ſimus extra diſcrimen adulationis poſiti.

Euſ. Debétne cuivis operi Dedicatio, & Præfatio præfigi? *Eub.* Nequaquam: ſæpe utriusque vices agit perſpicuus titulus fronti ex quatuor cauſis prænotatus. Nonnunquam omiſsâ præfatione, quæ lectorem monitum volumus, Dedicatoriæ inſerimus; aut econtra omiſsâ Dedicatoriâ veſtibulum operis ſola Præfatione præmunimus.

Phraſes Dedicatoriæ hujusmodi paſſim invenire eſt. „Quò

„Quò lucubrationem hanc meam „benignô reciperet oculo litteratus „orbis,tuo eam nomini inſcripſi.

„Ea enim me ſpes alit, fore, ut „tanto præmunita nominis tui patro- „cinio livoris ungues feliciter evadat.

„Munus hoc meum tibi mitto „meæ in te voluntatis, & ſtudii lucu- „lentum argumentum: exiguum qui- „dem illud, ſi molem ſpectes; mag- „num, ſi animum; maximum, ſi ar- „gumentum. Et quidquid in eo de „mea tenuitate parvum eſt, id totum „magnitudo tuæ humanitatis ſuble- „vabit.

„Offero tibi opus iſthoc ſi aut ex „ſua, aut mea dignitate ſpectetur, „perexiguum : ſi ex viribus meis, „magnum : ſi ex animo, maximum.

„Argumentum id complectitur, „quô tu nullum amplecteris magis, „Deiparam &c.

„Libellus iſte nomini tuo inſcrip- „tus argumentum quoddam præfert „mei de te judicij, & mirifici erga „te amoris. Utriusque perenne mo- „numentum quodpiam ad poſterita- „tis memoriam transmittere cupio : „ut pateat, quantùm tibi debeam, & „pro te velim.

„Quid-

„Quidquid uſpiam ad devincien-
„das hominum voluntates reperiri
„valet, id totum in te natura, & gra-
„tia liberali manu congeſſit, ut eſſes
„non tam prodigium hominis, quàm
„quoddam ſimulacrum Deitatis.

„Nihil ego de ampliſſima gentis
„tuæ gloria dicam, nihil de illo bo-
„norum genere, quæ ex te ceu largo
„fonte in omnes dimanant. Alii
„iſta in te ament, ego nihil in te a-
„mo, niſi teipſum. Plura ſtylô de-
„ſignarem, niſi modeſtiæ tuæ vul-
„nus timerem. Mavis enim mag-
„na patrare, quàm magnus audire.

„Omnia in te magna ſunt, etiam
„animi demiſſio: cui is gratior, qui
„laudum tuarum parcior.

Exemplis haud opus eſt: paſſim in veſtibulis librorum videri poſſunt: Vide, quæ nos in propylæo noſtro ad Celſ. Principem, & Archiep. Salisburgenſem peroramus.

5. Demum epiſtola Narratoria eſt, qua novos rerum eventus amicos edocemus. Eorum alii ſunt privati, ut ſi ſignificas, quâ ſis valetudine, quid ruri, quid domi &c. evenerit: alii publici, ut, quid in ſago, & togâ geratur, quæ icta ſint inter 507 *Narratoriam*

inter principes fœdera, quo malo, peſte &c premat quæpiam regio; qua felicitate gaudeat, uti qua fæcunditate, commerciis &c.

Exordium Narratoriæ ducitur aut à benevolentia mutui amoris, aut commendatione eventûs. *Euſ.* Sed quî commendatur eventus? *Eub.* Si dixeris rarum inſolitum, probis ſolatio, terrori improbis. Si rem glorioſam dixeris geſtam à charis, notis &c. & econtra fœdam ab inimicis, & gloriæ noſtræ infeſtis.

Contentio tota abſolvitur narratione facti: quæ conſurgat Adjunctis loci, temporis, modi, perſonarum &c. ex cauſis quoque efficiente, & finali, ex Effectis, aliísque Locis, & regulis, quas ſupra 408. & ſeqq. tradidi. Hi tamen Loci ad conſtruendam Narratoriam epiſtolam alio ornatu conveſtiendi ſunt, ac danda opera, ut narratio brevis, clara, elegans, breviculis interſtincta ſententiis prodeat, & omni ſui parte veritatis luce fulgeat. Si cui rei geſtæ gerenda, ejúsve gerendæ ratio addenda eſt, id modeſtè fiat, & argumentis è re petitis captum, officiúmve tuum haud ſuperantibus.

Con-

Concluſione complecteris dicta, rogásve, ut hiſtoriolam tuam, animíque tui ſtudia æqui, boníque conſulat amicus. Aut profiteberis, te eventus rerum haud otiosè accipere, ſed in virtutis materiam trahere, vel polliceberis frequentiùs ejusmodi argumenta, ſi ea intelligas amico grata fore. Colorem dictis, & facem dicendis ferent hæ loquendi formæ.

„Nihil rerum mearum te celare „poſſum, & partem meæ felicitatis „haud exiguam, eſſe cenſeo, ſi eandem in tua lucra, & ſolatia derivo.

„Rem tibi refero, quam tu tam „prono affectu audies, ac ego ſpec„tavi.

„Facinoris glorioſiſſimi ſeriem, „cujus non ſolùm pars, ſed princeps „actor amicus noſter fuit, ab ovo, ut „aiunt, tibi retexo.

„Toti negotio non tantùm inter„fuit, ſed præfuit amicus noſter.

„Nihil hactenus magnopere dig„num, quo concatenata tua pro re„publica negotia interpellem, evene„rat: niſi temporis, & animi ergo „velis noſſe nuperi prælii cladem &c.

„Hæc tibi ſcripſi, quia æquum e„rat, te pro amore mutuo non ſo„lùm

„lùm omnia facta mea, dictáque, ve-„rùm etiam conſilia cognoſcere.

„Quæ temporis hujus ſunt, æter-„nitati, aut certè poſteritatis memo-„riæ ad exemplum, & cautelam com-„mendata velim. Ego Chartis, tu „faſtis committe. Nunc tragœdiæ „ſeriem accipe.

Audiamus Ciceronem ſua in rem exempla producentem ep. 54. l. 4. & ep. 416. l. 16. & ep. 15. l. 2. & ep. 82. l. 6. Placebit etiam Eryci Puteani l. 1. ep. 1.

508 alias, mixtas

IV. *Euſ.* Omniáne hactenus epiſtolarum genera complexus es? *Eub.* Nequaquam: fidem tamen ego tibi meam interpono, alias, quotquot ſuperſunt, à recenſitis artificio haud magnopere differre, aut ſanè earum mixturâ conſurgere. Tunc itaque curabis, ut eam mixtæ epiſtolæ partem, quæ hiſtoriam complectitur, juxta leges Narratoriæ; & quæ luctuoſa eſt, ſecundum jura conſolatoriæ (atque ſic de aliis cenſeas, velim) efformes.

Ex his autem hactenus dictis colliges ſtylum, virtutes, & vitia Epiſtolæ.

1. Scy-

1. Stylus ſit acciſus, & eximius à Rhetorum amplificationibus; picturatus variis figuris, non tamen vi accitis, ſed quaſi ſponte ſe inſinuantibus. *ſtylo eleganti,*

2. Virtutes ſunt brevitas, perſpicuitas, ſimplicitas, venuſtas, decentia, & eruditio. *brevem*

Brevis erit, Res tenues abſcinde, ſuperfluíſque Adjunctis abſtine. Nihil repete. Structuram, & periodum omnem longiorem fuge. Aſynthetis aſſueſce. Allegorias, & phaleratas phraſes exauctora.

3. Ne autem, cùm brevitati ſtudes, in perſpicuitatem, quæ in omni eloquentiæ genere primas tenere debet, pecces, procul eſto ab iis, qui nihil doctum putant, niſi quod, ut aurum effodiendum non erat. Selectus ergo verborum ſit neglectus, non tamen incurius. Epiſtolæ tuæ verba ſponte ſint advocata, non metaphoris multis coacta, ſuóque loco ritè collocata. *perſpicuam*

4. Dein epiſtola fulgere debet gemina ſimplicitate, ſtyli, & animi: ita ut hujus candor, & illius fluor legendis affectum rapiat, & capiat intellectum. Si omnibus ornamen- *ſimplicem,*

tis elaborata fulgeat epiſtola, careat autem ſolâ mentis ingenuitate, jam non placebit legenti, qui mavult ſyncerè conveniri, quàm ſplendidè illudi. Nimius ornatus non tam ornamentum eſt, quàm fucus. Ut autem tam ſtyli, quàm mentis ſimplicitas ritè pingatur in charta, leges nequeunt, conſilia dari poſſunt. Et quæ? Lege Ciceronem, & alios hujusce artis magiſtros, & ſine longis præceptionum ambagibus pertinges ad optatam ſimplicitatem.

venuſtam

5. Venuſtatem autem concilias tuæ epiſtolæ, ſi eandem animas ſermone vivido, quique legenti ſcribentis mentem pandere, & pandendo voluptatem quandam aſpergere poſſit.

decentem.

6. Decentiæ ornatu conveſtitur epiſtola, ſi ſtyli ratio venuſtè reſpondeat rebus, & perſonis, quas, & quibus ſcribis: ut pulchra veſtis non cuivis eſt ornatui; ita non quivis decor ornat epiſtolam, ſed is, quem probat ratio, & judicium facit. Eadem veſtis, quæ militem ornat, civem dedecorat: ita quoque eadem byſſus, quæ venuſtat epiſtolam conſolatoriam, deformat conciliatoriam.

Judi-

Judicio hîc ſtandum, & auxilium non tam ab arte, quàm DEO, & natura petendum eſt.

7. Tandem epiſtola conſperſa ſit ſacrâ, profanaque eruditione. Hac gratiâ nulla eſt apud doctos potior, & in litterarum commerciô nulla utilior, ac gratior: fiunt litteræ magiſtræ diſcendi, & docendi, quin & vivendi. Singula hæc emolumenta perditum it, qui eruditionis ſtudium negligit. Hanc autem cum illis ſervabis, ſi epiſtolam exornes adagiis, & apophthegmatis veterum; ſi eandem argutiis, & ſententiis conſpergas: ſi hiſtoriæ, & fabulæ coloribus pictures: ſi demum ſalibus, & jocis interſtinguas. *eruditam*

8. Hactenus dicta, & uſu fideliter exercita epiſtolam vitiis feliciter emaculant. Infamant autem alia ſtylum, alia rem: ſtylum quidem nimia affectatio artis, & prope, ut multis evenire ſolet, in vincula metri conjectæ. Rem infamant, qui quidem multa ſcribunt, ea tamen, ad quæ reſponſum exquiritur, aut negligunt, aut penitus omittunt, ſimilesque ſunt, qui aliud interrogantibus, aliud reſpondent. Hoc vitiô *emunctam vitiis ſtyli, & rei.*

ni litterarum commercium repurges, ſterileſcet labor tuus, & ii, quibus ſcribis, prius nauſeam, quàm tuam epiſtolam capient.

509 *inſignitam titulô debitô.*

V. *Euſ.* Sed quomdo tota fabrica cujusdam epiſtolæ compaginanda eſt? *Eub.* Epiſtolæ præfigendus titulus amici, ad quem ſcribis; dein partes in unum corpus vinculandæ, demum debita ſubdenda clauſula.

1. De titulo nihil poſſum certa lege definire, & ſi poſſem, non auderem. Si in ulla, in hac ſane re ineptit mundus, ac ipſa hac ſua titulorum liberalitate infamiam ſuæ paupertatis prodit. Velim proin hac in re modeſtiam ſecteris, & uſum ſapientûm.

vinculatam connexione genuina.

2. Meliùs operam noſtram collocabimus in catenandis epiſtolæ partibus. Id quod ſi confeceris è re natâ, potiores numeros in commercio litterali vel compleſti, vel complebis brevi non admodum difficili operâ. Ut tibi facem præferam, has vinculandi rationes ex meis Adverſariis, ob oculos pono.

„Sancta audiſti, audi ſanctiora.
„Hactenus fœda, nunc fœdiora.

„Hæc

„Hæc rumore cognovimus, iſta „oculis noſtris uſurpavimus.

„Satis de republica: ad domeſti- „ca veniamus. Quantum negotium „ſusceperis, oſtendi: quâ ratione per- „ficias, diſce.

„Vulnus detexi, nunc emplaſtrum „appono.

„Quid doleam, habes: nunc, „quid metuam, accipe.

„Triſtia mittamus, veniamus ad „lætiora.

„Verùm hæc tibi cum multis „communia, illud tuæ propriæ lau- „dis.

„Hæc adhuc puer, jam quæ a- „doleſcens deſignârit, referam.

„Conſilii mei rationem habes, „nunc, quid te facere velim, ape- „riam.

„Venio nunc ad id, quod neſcio, „an primum eſſe debuerit.

Frequentes in epiſtolis ſunt hæ tranſitiones. Reliquum eſt, ut &c. Hoc accedit. Ad propoſitum redeamus. Ad rem redeamus. Redeo ad prima. Primùm. Deinde. Præterea. Poſthæc. His adde. Ad hæc. Huc pertinet. Quid quod. Quin etiam. Denique. Demum.

„Poſtremò. Porro autem. Jam ve-
„rò. Cæterùm. Verùm.

clauſam forma conformi. 3. Ut autem epiſtolam non ſine decore claudas, hæ formulæ ſubſervient.

„Sat calamo datum. Plura ſer-
„vabimus in Cal. Junij, ubi plura
„oretenus.

„Sed ſentio me jam longiùs pro-
„vectum, quàm propoſita ratio poſ-
„tularet.

„Verùm quò provehimur? vela
„contrahamus. Laconicâ utar bre-
„vitate. Ne longus ſim. Quid mul-
„tis? Quid multa? Quid te multis
„moror? Non auſerim graviſſima
„tua negotia diutius interpellare.
„Quid verbis opus eſt? Paucis con-
„cludo. Omnia in pugnum ut a-
„junt, contraho. Cùm tecum col-
„loquor, paginam verbis ſponte ſua
„fluentibus implevi. Amori nempe
„nunquam ſatis finio.

§. III.

Exhibetur Ars comica, & Actio.

220 Exhibere facinora perſonarum in

I. EUſ. Quid eſt comœdia? *Eub.* Poëſis dramatica, qua in ſcenam

ñam res geſtæ ita producuntur, quaſi
nunc coram gererentur, & oculis
ſpectarentur. *Euſ.* In quo convenit
cum tragœdia ? *Eub.* In ſtylo gravi,
vorios motus ciente, & Poëticam
ubique imitante. *Euſ.* In quo diſcon- *ſcena*
venit ? *Eub.* In fine, & principio. *inſtructa*
Nam Comœdia nonnunquam triſte *partibus*
habet principium, finem autem ſor- *geminis.*
titur ſemper hilarem : econtra verò
Tragœdia ſemper tragico, à quo no-
men habet, exitu, funeſto, & luc-
tuoſo terminatur. *Euſ* Quotuplicis
generis ſunt Comœdiæ partes ? *Eub.*
Duplicis. Primæ parant ſcenam, ſe-
cundæ ingrediuntur ſcenam. Illæ
ſunt titulus, & argumentum : hæ
Prologus, Protaſis, Epitaſis, Cataſ-
taſis, & Cataſtrophe.

1. Quid eſt titulus ? *Eub.* Eſt *titulo*
totius thematis in ſcenam producen- *præfixô.*
di paucis, & gravibus verbis per a-
nacephaleoſin comprehenſa inſcrip-
tio, quæ fronti, vel veſtibulo thea-
tri affixa rudem quandam præbeat
futuri ſpectaculi imaginem.

Euſ. Qualis debet eſſe titulus ? *debito*
Eub. Qualem exigit oratio propoſi-
tionem, de qua c. 7. §. 2. hoc eſt
clarum, brevem, ſale ita conditum,

ut totius ſcenæ quendam prægustum præbere poſſit. *Euſ.* Unde debet deſumi? *Eub.* Unde propoſitio: à primis nempe Comœdiæ perſonis, ab earum patria, officio, nomine, loco, fortuna, eventu, conditione, aut alio adjuncto, ac fundamento, cui totius comœdiæ moles inædificari debet. *Euſ.* Da ſingulorum exempla. *Eub.* A perſonis. *Adalbertus Hungariæ Apoſtolus*; ab earum patriâ: *S. Ludovicus Galliæ Sol*; ab eorum officiô: *Petrus Paſtor*; à nomine: *Joſephus redivivus*; à loco: *Libertas incarcerata*; à fortuna: *Paupertas opulenta*; ab eventu: *Innocentia Damnata*; à conditione: *Ruri degens Majeſtas.* Præ cæteris tamen inſigniter titulus repetitur Comœdiæ à perſonâ, cujus dignitas, felicitas, gloria &c. in cataſtrophe; ut econtra tragœdiæ ab illa perſonâ, cujus interitus, mors &c. in eadem evolvitur. *Euſ.* Poteſtne titulus unâ voce conſtare? *Eub.* Poteſt, ſi vox illa argumentum ſufficienter ſignificat, velut ſi exhibiturus inferni pœnas inſcribis. *Infernus*: præſtat tamen à potiori in titulo perſonam & cauſam Comœdiæ

mœdiæ conjungere e. g. *Landelinus Pœnitens.*

2. A titulo transeundum eſt ad argumentum (Græcis dicitur periocha, Latinis ſumma dramatis) breve, & perſpicuum, & ornatum, in quo hiſtoria rei, quam in ſcenam producturus es, contineatur. *argumentô*

Euſ. Quomodo Periocha ſit brevis ? *Eub.* Si omiſſis circumſtantiis ſumma tantùm rerum capita adducantur; perſpicua verò, ſi terſo ſtylo; ornata, ſi egregio epiphonemate claudatur.

3. Titulus, & argumentum muta ſunt; laudem ſuam merentur ſine voce, ſi modò ſale non careant. At verò Prologus in ipſam ſcenam producitur vocibus animatus, & perſonis, oculis ſe ingerit, & auribus. *Euſ.* Sed quibus vocibus ? *Eub.* Ligatis certô quodam metri genere, & in modulos muſicos redactis. *Euſ.* Quibus perſonis ? *Eub.* Cùm Prologus myſtica totius Comœdiæ ſit expoſitio, tales perſonæ fingi debent, ac eligi, quales præ cæteris aptiores cenſentur ad id ſignificandum moraliter, quod phyſicè in ipſo themate promittitur, & exhibetur. *Prologô*

Euſ. Sed quæ cenſentur aptiores? *Eub.* Quæ in ſymbolis, in cauſa efficiente, in effectis, & adjunctis id moraliter præſtant, quod phyſicè, & oculis cernetur effectum in ipſo, ut innuebam, themate. *Euſ.* Ænigmata loqueris. *Eub.* Nil diffiteor. Sed me, quem Sphynga, & Oedipum habes. Velis e. g. in theatrum producere quemdam S. Martyrem. An non is efficiet mira? Nunc *fidem* propugnabit coram tyranno, nunc deflebit *paganam cæcitatem*, nunc ſollicitabit divinam *miſericordiam*, nunc tormenta contemnet, & mortem ipſam ſubibit. Jam ecce tibi, ut hæc in Prologum ædifices, Fidem, Idololatriam, Dei Miſericordiam, Fortitudinem tandem, qua mortem adit, in perſonas efforma, & ſingulas eâ corporis, habitûs, ſermoníſque compoſitione repræſenta, qua id omne ſpectetur oculis, quod intus geſtum eſt in mente Martyris.

Atque adeo vitia quæque, quibus impugnatus; omnes virtutes, quibus defenſus fuit, optimè perſonam induunt, concertant verbis, armis, & dolis. Idem pro varietate fabulæ dicendum eſt, de artibus, de elemen-

tis,

tis, de locis, de regnis, de urbibus, in quibus res geſta eſt. Unde non ſine plauſu hodie ſpectantur in ſcenis Germania, Hiſpania, Gallia &c. Roma &c. nunc gloriari de ſuorum civium fauſta, nunc ingemiſcere de eorundem infauſtâ fortunâ &c. Porro cavendum, ne perſonæ ſic fictæ coincidant in veras, & quæ in Prologo exhibita ſunt, eodem modo reducantur in actu aliquo, velut ſi in Prologo juberes Innocentiam decollari, & eodem modo in cataſtrophe Martyrem, qui Innocentiâ ſignificabatur. *Euſ.* Sed quas leges variationi ſtatuis? *Eub.* Immiſta ſomnia, vaticinia, ſubitos nuncios, demiſſas è cœlo, aut terra voces, concuſſiones theatri, varias mutarum perſonarum exhibitiones, peripetias &c. Atque hanc variandi neceſſitatem ratio poſuit.

Eſt námque Prologus in comœdia, quod Exordium in oratione, quis autem non videt, quantùm abludat à decoro eloquentiæ eadem argumenta repetere in corpore orationis, quæ attuliſti in capite? Ut ut autem Prologus (id quod etiam de aliis choris dictum velim) diverſam à re, quam ſignificat, faciem ſumere debeat,

beat, affectus tamen poſſunt, nonnunquam etiam debent conſpirare. Atque adeo Prologi e. g. lætitia, ira, dolor &c. perbene in ſcena, & ſuo loco repetuntur.

511 *Protaſi*

II. Prologum excipiat Protaſis, ſeu illa comœdiæ pars, in qua ſumma rei exhibetur, exitus tamen illius ita oculitur, ut is nequaquam patere poſſit ſpectatori. Hîc igitur Choragus connitatur, ut exſpectatione ſuſpendat præſentium animos, & deſideria ſuccendat. In Protaſi tragœdiæ regnat gaudium, aut gaudii ſimiæ: ſanciuntur fœdera amicitiæ, capiuntur conſilia, concitantur motus de eventu rei ſolliciti; horum dolor, aliorum gaudium auditur &c. Econtra verò Protaſis Comœdiæ vendicat ſibi dolorem, aut doloris aſſeclas. *Euſ.* Sed per quot ſcenas hæc eventûs Apoſiopeſis debet exporrigi? *Eub.* Per totum Actum primum & in eô abſolvi. *Euſ.* Sed quomodo eventum rei abſcondere poſſum? *Eub.* Si in tragœdia affers perſonæ primatis proba conſilia, cum amicis varia commercia; quædam interiecta vel ab æmulis, vel à fortuna, vel Deo obſtacula;

cula; ſi metui fiduciam, & fiduciæ metum inſpergis; &c.

1. Protaſin ordine ſequitur Epitaſis, quâ rei ſumma longè magis, quâm in Protaſi factum fuerat, involvitur. Hîc fit morum, fortunæ, vel famæ mutatio, eventus rerum implicantur, turbæ in Protaſi excitatæ intenduntur. *Euſ.* Quibusnam hæc regulis conficiuntur? *Eub.* Quibus omina, ſomnia, technas tractamus. Unde Epitaſis duos hoſtes velut in duos exercitus diviſos in proſcenium adducit, quorum unus fraudibus, & ſtratagematis agit, alter doli nil metuens plus armis, innocentiæ &c. fidens, quàm technis ſtudens paulatim eò adducitur, ut ſe captum, aut certè capto ſimilem fateri cogatur. Quem in finem prodeſt fingere quendam transfugam utrique parti per ſimulationem ingeniosè faventem, qui occulta conſilia prodat, & in exitium proditi detorqueat. *Epitaſi*

2. Ab Epitaſi tranſis ad cataſtaſin, quæ in primis ſuis ſcenis rem ita involvit, quò in ultimis ita involuta cernatur, ut rerum perturbatio, & involutio perſpicuè ſub oculos cadat, nulla tamen ratio evolvendi appareat. *Cataſtaſi*

at. Dominantur hîc admiratio, ſuſpenſio, ſollicitudo, metus, ſpes ſucciſa deſperatione collabitur. Vehementer animatur Cataſtaſis novis, nuntiis, ſomniis, vaticiniis, vario genere ominum ex imaginibus, cantu avium, ſignis, vocibus ex altero orbe allatis. In Cataſtaſi dicitur cardo Comœdiæ verti: feliciter vertes, ſi motus animi ſint non ſolùm vehementes, ſed varietate mixti. Quod utrumque inſigniter conficere dicuntur ii, qui teneram ætatem adducunt in theatrum, qui innocentiam captam, irriſam &c. exhibent: qui faſtum, & ſcelus triumphare faciunt, & novis technis inſudare, quibus tandem innocentiæ ferat ultimum exitium.

Cataſtrophe per

3. Quidquid exagitatæ rei in Epitaſi, & Cataſtaſi fuit involutum, per Cataſtrophen evolvitur fine prorſus inexpectato. Hinc Cataſtrophe Comœdiæ tota agitur plauſibus, ut econtra Tragœdiæ cædibus, furore. Hæc pars præ cæteris expoſcit artem, præcipuè in miſcendis paſſionibus; oculos ſpectaculis implet, & præ aliis partibus cupit eſſe verborum parcior.

512 *Actus*

III. Hæ, de quibus hactenus, par-

tes

tes diſtribuuntur in Actus, & hi in Scenas. *Euſ.* Quid eſt Actus? *Eub.* Actus ab actione peracta nomen ſortitus nihil eſt aliud, quàm nobilior hiſtoriæ pars, quam exhibemus. *Euſ.* Quomodo differt hæc pars à Protaſi, & aliis ſubjunctis partibus? *Eub.* Hæ à Poëſi natæ ſui diviſionem ſumunt à chorago, & fictione; actus autem ab hiſtoria, & ipſius rei ſerie procedunt, nec eſt in choragi arbitrio plures, aut pauciores Actus fingere, ſed tot ſuſtinendi ſunt, quot hiſtoria ſuggerit partes nobiliores. Et hæ ſingulæ ſingulos Actus conſtituant neceſſe eſt. Ut proin hiſtoriam dignam cothurnô ſeligas, non ſolùm in ipſa ſpectes nova, inſolita, horrida, ſtupenda; ſed & membra. Hæc ſi numerum quintum excedunt, potius roſtro, quàm theatro debentur. *Euſ.* Quot ergo membra, & ex membris Actus ſunt deſignandi? *Eub.* Non pauciores tribus, & non plures quinque. Nam pauciores non caperent Protaſin, Epitaſin, Cataſtaſin, & Cataſtrophen, ſine quibus nullus erit motus: plures non exhiberent unius vel quaſi unius diei (uti exigit Comica) hiſtoriam, ſed toti-

quinque quatuor, aut tres.

totius vitæ. *Eub.* Quænam ſunt hæc membra novum Actum fundantia? *Eub.* Quæ ex rei geſtæ materia novum præbent argumentum, admirabilitatem &c. velut ſunt vitæ innocentia, ejuſdem depravatio, & depravatæ interitus. *Euſ.* Quomodo unus Actus ab altero ſecernitur? *Eub.* chorô. *Euſ.* Potéſtne unus Actus exporrigi in duas partes veluti in Protaſin, & Epitaſin? *Eub.* Poteſt, ſi ex judicio juxta regulas ciendi affectus ferat materia. Ferme tamen Protaſis totum Actum primum complectitur, & in eo finitur, ac non niſi raró primam, rariùs ſecundam ſcenam infert ſecundo Actui. Epitaſis & Cataſtaſis autem amant ſecundum, tertium, & quartum Actum, velut ultimò claudi cupit per Cataſtrophen. Ex his vides Actus in Comicâ, eſſe id, quod ſunt argumenta proxima in oratione; & partes, velut paſſiones orationi miſcendas. Uti autem argumenta proxima in oratione per remota corroborari debent; ita Actus in Comica per ſcenas exhiberi.

diſcretos chorô.

Scenas

2. Sunt ergo Scenæ partes Actuum, eorumque probationes oculis, & auribus ſuaviter, & variè illapſæ. Alia

Alia autem Scena eſt ſimplex, alia compoſita. Hæc pluribus perſonis, illa verò unâ ſolùm animatur. Simplicis uſus rarus eſto, ac brevis, niſi perſonæ, argumentíque majeſtas exigat produci. Compoſita plures admittit perſonas duas, tres, quatuor, vidi etiam decem. Hoc tamen notandum, ut quo plures producis, eò ſint ad tollendum tœdium in loquendo breviores. *Euſ.* Sed quot Scenas ſtatuis in uno Actu? *Eub.* Quot remotas in una proxima orationis; hoc eſt tot, quot ipſa rei inventæ ratio exigit. Etiam hîc medium tenuiſſe pars beatitatis erit. Id tenebis, ſi ultra quintam Scenam te non ſinas abduci. *Eub.* Quomodo autem una Scena diſcriminanda eſt ab altera? *Eub.* Diſceſſu omnium, aut potiorum perſonarum, & interſtincta novi argumenti varietate.
513

IV. Hodierna conſuetudine, quam *chorô*
Spectatorum radicavit aviditas, quivis Actus inchoatur choro, chorus autem variis ſpectaculis (exhibitiones vocamus) animatur; ſerium quoque Actûs argumentum ludicris abrumpitur, aut ſaltibus, venationi-

búſque interſtinguitur, ut hoc animi, oculorumq́ue diverticulô Spectator ad ſeria feliciùs reſtauretur. De choro non eſt, quod dicam diverſum à dictis 505. 3. de Prologo. Hoc ſolùm addidero. Cura mi Euſebi, ut, velut Prologus totius Dramatis, præcipuè primi Actûs perfecta debet eſſe imago, ita chorus quivis ſequentis Actûs quandam effigiem exhibeat materiâ ex Sacris Litteris, & divina quadam eruditione ita deſumpta, ut in quadam ſymbolorum, effectuum, ſimilitudinum, ſpectaculiq́; pulchritudine correſpondeat, colludat, & quaſi patriſſet argumento hiſtoriæ.

Exhibitionibus 1. Suppoſito genuino ſingularum perſonarum, veſtitu, de quo infra 509. 3. in Exhibitionibus imitare pictores. 1. variô veſtium, armorum, colorúmque diſcrimine blandire oculis. 2. Motum cave, & vacuum: ſupera, & infera ſcenæ pars aut ſignis, aut perſonis occupetur, nemo tamen ſe moveat, ſed motum animi, ſitu corporis quælibet perſona, demonſtret; 3. In ſitu ſpectanda eſt diverſitas, & perſonarum qualitas: unde curandum,

ut

ut ſeſſione, genu flexione, manuum protenſione graphicè differant: Rex medium teneat, proceres circumſtantium coronam. Hæc oculis, iſta menti. 1. Spectetur in mutis ſcenis eruditio, genuina futurorum eventuum imago. 2. In vultu, in corporis ſitu, in amictu, & armis reluceat affectus animi, vel minantis, vel amantis, vel dolentis &c. 3. Quod ſpectetur oculis, in ſcena audiatur cani in choro. Hîc brevitas in utramque partem magna virtus eſt.

2. Ludicra (veteres Melopœiam, noſtri dicunt Intermedia) ſunt inſigne Dramatis condimentum, ſi per vim intruſa non ſunt. Intruduntur autem, ſi ab ultima Thule, ac rebus argumento hiſtoriæ in nullo convenientibus petuntur. Differant ergo perſonæ Melopœiæ à perſonis Comœdiæ, conveniant tamen in quadam argumenti ſimilitudine, & ut hæc ſimilitudo evadat gratior, continuetur per quemvis Actum, ac in quolibet aliqua ſcena Intermedio cedatur. Non ſine ingenti plauſu, & motu animorum ſpectatus fuit cujusdam tyranni in theatro faſtus nu- *Intermedia*

per, non tamen minore voluptate duorum hiſtrionum lepidum certamen de ſuis excellentiis inſtitutum. Hunc tu choragum imiteris velim. Ut autem è vicino argumenti paratu cum lepore tuæ Melopœiæ materiam inveſtiges, ex aulâ e. g. in forum, & tabernas &c. cogitatu diſcede, atque ibi ridicula ex vicinitate hiſtoriæ conquire. Perquires feliciter, ſi argumento ridiculo ridiculos actores ſelegeris, quales ſunt caupones, coqui, perductores, tabellarii, ebrii, ſtolidi, ſurdi, cœci, gibboſi, ſycophantæ, naſuti, & alii, qui riſum etiam invitis extorquere ſolent. Veſtitus, & arma colludant Melopœiæ argumento. Novo lepore augetur Melopœia, ſi ſcena ſubito abrumpatur, interſtinguatur moralibus acroamatis, varietur litteris, novis, nunciis, armis, inſtrumentis, & heteroclitis narrationibus. Tandem ita Intermedia inſtituas, ut non tam riſum, quàm eruditionem in feſtiva ſcena parias, niſi & tu ridendus, & diſceſſiſſe à gravitate religioſa videri velis.

Saltibus

3. Quod ad ſaltum pertinet, licet is potius oculorum oblectamentum, quàm

quàm eruditionem ſpectet, curandum tamen ut eâ non careat, & ex re natus ſit ad decorum, conſuetudinem quandam, ritúmve gentis cujusdam manuducat.

V. *Euſ.* Sed qua dictione ſingulas has Comœdiæ partes, menti, quo apparatu oculis exhibeam? 514 *dictione*

1. *Eub.* Dictio tam in choris quàm in partibus ſit è Poëſi nata, aperta tamen, & elegans, rei dicendæ, & dicenti cognata, figuris variata, & picta floribus ſelectioris Latinitatis. Cæterùm ferme dialogi ratio ſervatur, cui multum decoris accedit, ſi ſingulæ perſonæ loquantur, ſed pauca verbis, multa ſenſu. Frequens quoque eſt illa Everſionis ratio qua alterius dicta repetuntur, ſed adjecta unica, aut duabus voculis refelluntur. e. g. *Rex.* „Parere Regibus ſubditos „decet. *Aulicus.* Parere Regibus ſub„ditos decet, ſi juſta jubent, *aut* pa„rere Regibus ſubditos non decet, „ſi ſcelus jubent.

Porro ſtylus vel jambico metro ligetur, aut ſaltem jambum imitetur, metaphoris ſplendeat, & frequentibus figuris Rhetoricis. In choris, & Epilogo placet præ cæteris Proſo-

popœia, cùm inferi, aut Superi ex diducto theatro ſunt producendi. Helleniſmi, ſi ſui frequentiâ non obtenebrant dictionem, ornatu non carent.

Sententiâ 2. Sed nihil magis animat ſtylum Comicum, quàm ſententia gravis ſuo loco ritè inſperſa, quæ paucis verbis, quid ſequendum, fugiendúmve ſit in moribus, pronunciet. Regula moderandi ſtylum, & ſententias alia non eſt, ac quam ratio ſibi format ex perſonis, & affectibus. Sublimiora itaque verba, & ſenſu quodam magno prægnantia tribues Regi, humiliora verò inferioris ſubſellii miniſtro. Sed huic, & illi alia, & alia, nunc concitatiora, nunc pacatiora, prout affectus videbitur expoſcere. Sícque irato ſuggeres multa per *r r* quas vocant caninas litteras, & timido abruptim ſonantia *verba*, verba commodabis.

veſtibus 3. Dictioni debent reſpondere veſtes, veſtibus mores, moribus theatrum. Quare ſinguli actores perſonam ſuam ipſo amictu exprimant; in quo ritè ſeligendo ſpectari debet natio, & conditio, ſtatus, & dignitas. Alio ergo amictu procedat Hiſpanus, alio Germanus; alio Rex, alio

alio procerum turba; alio Epiſcopus, alio Princeps; alio prætor, alio Judex. Atque ex his eluceat choragi eruditio, & ſeverum judicium. *Euſ.* Sed quomodo conveſtiendæ ſunt perſonæ fictæ? uti ver, vitium, virtutes? *Eub.* Uti exigunt mores affičti.

4. *Euſ.* At quid ſunt hi mores? *moribus* *Eub.* perfecta imitatio, quâ actor ad vivum exprimit perſonam, quàm agit. Unde ſi perſonæ notæ, & viventes producuntur, tales mores, inceſſus, faciésque affingi debent, quales ipſis ineſſe noſcuntur. Si mortuæ exhibendæ ſunt, amictus, & mores ex fama, & vita repetendi ſunt, Fictis perſonis eos mores, & veſtes affingimus, quales expoſcere videbitur veriſimilitudo inſitarum qualitatum. *Euſ.* Sed hîc opus, hîc labor eſt has qualitates perſcrutari. *Eub.* Et labor, ac opus eſt, ſed facilis, ſi ducem admittas artem ſymbolicam, ac uſu teras, & calamô vagum *Symbolum* n. 95. explicatum. Lex tamen univerſim eſto. Eo habitu prodeat, & motu dicat virtus in perſonam effictá, quô prodire ſolent virtutis effecta. Idem dic de vitiis, officiis, & elementis. Virtutes amant muliebrem,

& virgineum tam in veſtibus, quàm moribus cultum; econtra vitia virilem, ſed exuviis animalium fœdatum, aut ſignis ex inferno repetitis.

theatro

5. Theatrum ferme moderna ætas cupit verſatile, ac Regem ſolet in aula, militem in campo exhibere. Conferre probatur hæc induſtria ad motum, ſi expedita eſt, & cavet, ne ſcenæ æquô diutius intercalentur.

Epilogo

6. Tandem drama clauditur epilogo, eóque gemino. Primus eſt ultima pars ultimæ ſcenæ, in qua gravi ſententia ex themate comœdiæ hauſtâ ad inſtituendos mores profertur parergon. Alter agit in theatro, quod in oratione peroratio; cæterà nihil differt à choris, hos tamen motu complecti debet, & majeſtate.

515 Pronunciatione apta

VI. At frigebit & Rhetorica in roſtrô, & Comica in theatro, niſi utraque debita Pronunciatione animetur. *Euſ.* Quid ergo eſt Pronunciatio? *Eub.* Eſt corporis, & vocis juxta rerum, verborúmque exigentiam tum à naturâ, cum ab arte repetita moderatio. Eſtque duplex: geſtûs (actionis alii dicunt) & vocis. Hæc per aures, illa per oculos in animum in-

ingreſſa facilè ſecum omnem affectum trahunt.

1. *Euſ.* Qualis ſit vox? *Eub.* 1. Suavis, & ſonora, quam à natura: dein 2. articulata, quam partim ab arte, partim à natura exquires. 3. pro affectûs, rerúmque varietate varia.

Voce ſuavi articulata varia pro varietate affectûs.

Ad iram provocas? vocem incita, acue, & crebrò incide. Indignationem concitas? vocem ſubitò abrumpe, nunc intende, nunc remiſſiùs age. Moleſtiam amoliris? vocem velut uno tono deducito. Mœrorem oſtendis? Eſto vox flebilis, ſubmiſſa, interrupta, ſuſpiriis interſtincta. Eandem legem tenet vox miſerantis. Ubi autem dilatandus eſt animus gaudio, illabatur auribus vox effuſa, ſolitò altior, hilaris; ſi rogandum eſt, ſit lenis; ſi hortandum, fortis; ſi monendum, gravis; ſi exponendum, lenta; ſi conſolandum, virilis; ſi amandum, ſuavis; ſi ſperandum, clara; ſi deſperandum, elata, & terribilis. Paucis: ut quemque animi motum ſuâ voce, & linguâ, & non quaſi per interpretem loquentem facias, cura ſis imitari, quos in ea re magiſtros noſti. Neſcio num ab ar-

te melior, quàm hæc, regula emendicari poſſit.

partium in Exordio

Varia quoque ſit pro partium varietate vox varia. In Exordio placet vox gravis, virilis, & paulatim exurgens.

Narratione Contentione Epilogo ſine

In Narratione vox adulta ſit, in Contentione acrior, in Confutatione incitatior. Epilogus, in quo dominetur ſemper motus præ aliis partibus, exigit vocem ſuo affectui conformem.

vitiô palmari.

Euſ. Quænam in moderatione vocis cavenda? *Eub.* Nimia affectatio, cantilatio, ſyllabarum præſertim ultimarum truncatio, monotonia, nimia tarditas, deproperatio, & debitæ interpunctionis neglectus, & tandem ante omnia nimia vociferatio.

516 *Geſtu*

2. Jam quod geſtum, ſeu actionem, alteram Pronunciationis partem ſpectat, eſt illa muta totius corporis eloquentia, ac eo ſolò nomine ſummi momenti. Spectetur potiſſimùm in oris debita conformatione, ex quo facilè omnis generis affectus in audientem propagatur. Vultum juvant oculi mirificè, eorumque conjectu, remiſſione, intenſione, & hilaritate varios motus ciemus. Faci-

oris

oculorum

es

cies itaque nunc ſeveritatem, nunc blanditias, nunc mœrorem, nunc lætitiam pro materiæ varietate induat, oculis ad omnia ſingulari quadam (modò affectata non ſit) induſtriâ obſecundantibus.

Ex his capitis diſces officium, eoq́ue annuendo confirmabis, renuendo negabis, in latus inclinando langueſces, avertendo indignaberis, extollendo gaudebis. *capitis.*

A capite ad collum venio, & ad humeros: quorum unum officium eſt obſecundare motui corporis. *colli, & humerorum*

Plus artis, & naturæ exquiritur à manibus. Dextra præcipuè ſit in opere ſiniſtrâ ſolùm ancillante, nec hæc unquam ſola niſi per contemptum agat. Manus nunquam, niſi ſummi dominentur affectus ad capitis altitudinem pertingant. Si ſupplicas, manum protende, vel attolle, vel dextram ſiniſtræ junge. Si interrogas, manum eleva, & ad te converte. Si averſaris, capite ad dextram converſo, & manibus ad ſiniſtram, objectum à te quaſi propelle. Urgeas? crebra manuum impreſſione inſequere. Demonſtres te? manum ad pectus tuum converte: res alias? *manuum.*

ma-

manum exporrige ad locum rei. Confirmes? manibus pronis, gravi quodam, & pulchro motu depreſſis, aut in medio ſupploſis vim argumentis imprime. Omnem quoque animi motum eloquitur manus. Si timemus, manus pectori apprimitur; Si iraſcimur, vultu aſperô parumper in pugnum contrahitur: ſi admiramur, elevatur: ſi minamur, index erigitur,& concutitur: Si pœnitentem exprimimus, manus in crucis modum ante pectus componuntur: ſi deſperamus, jactantur: ſi ridemus, vultu averſo index in partem torquetur: ſi amamus, ſtringuntur: ſi gaudemus, manus expanduntur.

pedum. Eſt & ſuum pedibus, præcipuè in theatro grande munus. Semper ponantur averſi, & reliquo corporis motui colludant. Inceſſu abſtinendum, cùm loquimur. Subitum furorem, contentionem, deſperationem ſupploſi pedes concuſſo theatro graphicè demonſtrant.

corporis totius, ſine Totum denique corpus decenti obſequiô linguæ officium condecoret, ac in ejus motu vigor quidam, ſemper tamen modeſtiâ ſubſtrictus & gravitate, promicet.

Abſti-

Abſtinendum proin nimia geſticulatione, aut perpetua geſtuum intermiſſione. In artem etiam delinquunt ii, qui aut eundem ſemper geſtum reducunt; aut ſi alium, nimis lentè; aut qui jactitant manus ſupra capitis verticem, identidemque pedibus ſubſultant, manúsque complodunt. Aut qui crebro capitis motu, oculorum contorſione, manuum diggladiatione minima quæque à lingua profuſa verba exprimere agendô nituntur. *vitio in*

Stet ergo præco in cathedrâ, ſuſpiciat, agat oculis, manibus, reliquóque corporis motu, ea lege, quam decori ratio, &excellentium Actorum imitatio præſcribit. In Principio dictionis erectus ſpectetur, manus in pulpitum protendat, Auditoribus pro more quadam capitis inclinatione exhibito cultu ordiatur voce virili. Paulatim cum voce creſcat & geſtus, ita tamen ut medio non admodum diſcedas. *Exerdiô*

Narratio poſcit geſtum aliquantò liberiorem, ut & Confirmatio acriorem, & pugnatiorem. In Confutatione concitatiſſimus eſto geſtus. In Epilogo autem velut omnia dicta con- *Narratione* *Confirmatione* *Confutatione*

confluūnt, ita varius ſit geſtus; præcipuè verò affectibus ſuffragetur, ac ex eorum vehementia ſit vehemens, ex varietate varius, ex concitatione concitatus. Hæc, & ſequentia ſub unum aſpectum ponet Tabella Num. VI.

§. IV.

Rei hiſtoricæ Ratio panditur.

317 *Tractare Hiſtoriam ob ſuam neceſſitatem*

I. BLæſa eſt, aut certè balbutie Rhetorica, niſi Hiſtoriæ præſidiô firmetur. Quid ſine hac dignum cothurno in theatrum producet Comica? Theologia fulgentiſſimus ille ſcientiarum ſol quantum ſplendoris detrimentum facit, ſi Hiſtoriæ radiis non fulgeat. Nulla ſcientia, ars quoque nulla, quæ hac altrice non velit adoleſcere. Tolle Hiſtoriam: quantum peribit vitæ humanæ præſidium, morum ſtabilimentum! Jacebunt probitatis ſtudia, ſi proborum deſint exempla. Et niſi objicias improbis præteriti temporis è faſtis repetita ſupplicia, impunitate nutrient peccandi licentiam, nec amplius erit in nefas ruentibus fræ-

num

VI ICHNOGRAPHIA EXHIBENS PRÆCIPUA RHETORICES OPERA.

ante Num. 517

Stylus est genuina scribē di ratio. Aquiritur Amplificatio ne Verborum, et rerum. Ornatur apto usu epithetorum, genitivorum. Sæ verbis in substantiva conversis, enumeratione partium, formarum, tia est Adjunctorum; Hellenismis ad jectivorum substantivorum, et verborum; tandem verbis gravibus, sonantibus, illustri bus, et à vulgi lingua abhor.

Sylva rerum forma 1. propositionem. 2 examinat, an sit cognitionis, an facti: pri mæ argumenta Demonstratio ni, secundæ Deliberationi ap ta inquire. 3 examina Locos ex quibus nata propositio. 4 circumdue eam ad omnes Locos, et mendica argu mentum à Definitione.

Symbolum est imago tum ingenio, cum pe ... hibens per Simi litudinem, Diss ... aut opposito.

Transitio est nexus unius ra tionis cum alia. Est imperfecta quæ sine ambi tu, ducit ad a liud: perfecta, fit Arte per nem rei ratio.

Abbreviatio. Excludit litteras, in termedias: argum gno, pro argume talio. 2 Amove in crementa casuum, et derivatorum.

Affectus sunt mode cim. Amor excitatur bo no præsenti: desideri um, absenti: gaudium recenti: odium, malo præsenti: fuga remo vibili: tristitia præ mente: desperatio inamovibili.

Amplificatio est gravior affir matio, motu, animorum conciliens in dicendo fidem; duplex: Verborum, fit aptis epithetis, genitivis, verbis in substantiva conversis, enumeratione partium, formarum, adiunctorum; Hel lenismis adjectivorum et substan tivorum. Rerum: res ipsa augetur per Congeriem ex eodem Loco.

Argumentatio argumenta unum ex alio deducendo tractat vel 1 per Syllogismum: ex duobus præmissis conclusionem infert; vel 2 per Ratiocinationem tri partitam: simpliciter, syllogis mum profert; vel quadripar titam: probat vel maiorem, vel minorem; vel quinquepartitam ... probat utramque ... Enthymema constat tan tum propositione, et con clusione. 4. Collectio ... 5 complexione. 6. Exem plum ... 7. Sorites per gradus ... 8 Epilo gus ...


Chria explicat per octo ca pita, dictum, et verbalis: est Pöe sis dramati ca in scenam ... **Conmica** ... Constat 1 titu lo: complectitur summam. 2 argumento: historice; 3 Prologo: mysticè exponit comoe diam; 4 Protasi: summam rei exhibet exitu tamen abscondito; 5 Epitasi: rem involvit; 6 Catas tasi: involvit magis; 7 Catas trophe: involuta evolvit; 8 Epilogo: exhibita complec titur. Hæc omnia dan tur in Actus ad mi nimum tres, ad summum quinque discretos choro. Actus distribuuntur in scenas. Ornant Comicam Exhibi tiones, Interlu dia, saltus.

Conflutatio est pars Conten tionis. Amolitur robur causæ enervans; eruitur ex omnibus Locis, velut Contentio, præsertim Ad iunctis incertis, incredibilis, impossi bilis, non cohærentis, indecori, muti lis. Instituitur 1 negando vel aperte vel occultè crimen objectum. 2 redar guendo, factum esse crimen, pug nantia afferri, retorquendo cri men, irridendo, increpando ad versarium seu ineptum.

Contentio est pars Orationis qua per argumenta the sis proposita probatur ex Locis, ut Adiunctis manifesto, probabili, possibili, coherenti, decente, utili, facili, difficili, securo, necessario, iucundo, honesto. Ex definitione, causis, effectis, comparatione consequentibus, testimonio, exemplis. In Demonstratione laus personæ sumitur ex bonis fortunæ, corporis, animi; adven titiis, insitis, medijs, ut officio, virtute, patria, scientia, eiusque capitibus; Operum à nomine, natura etc. gerentis; rei gestæ quidditate, adiunctis, ex partitione, specie, comparatione, tabulis exemplis; ex vagis Elogium, Status, Artis facti ex causis efficiente, finali, partitione, genere, specie, comparatione, adiunctis, et effectus. n. 415.

Propositio generis Demonstrativi, hæc Deliberativi, aut Iudicialis. n. 270. ... Quæstio probetur argu mentis, usque dupli cibus remotis, et proximis.

Pronuntiatio est ... vocis iuxta rerum ver borumque exigentiam tum à natu ra, cum ab arte repetita moderatio. Vox Ora toris sit suavis, articulata, varia pro varietate affectus et partium: hinc alia in Exordio, alia in Narratione, Contentione, et Epilogo. Cavenda nimia affectatio, cantillatio, syllabarum truncatio, monotonia, nimia tarditas, depreparatio, vociferatio, debitæ interpunctionis neglectus, et inversio. n. 515.



Periodus est oratio, quæ ab antecedenti ad consequens velut in orbem artificiosè fertur; est triplex: bimembris, trimembris, et quadrimembris: constat membris, membra incisis: item protasi, et apodosi: hæc illi per sequentes voculas respondens connectitur. tantum, quantum: id, quod: non solùm, sed etiam: quoties, toties: quo, eo: qualis, talis: inde, unde: cum, tum: non minus, quàm: quamquam, etsi: tamen, attamen: quamvis, licet: veruntamen: tametsi: nihilominus: quemadmodum, ac ita: ut, velut, taliter prorsus, ita sane. n. 521.

Oratio est summum Rhetorices opus, quo persuadetur auditor. Est triplex generis Demonstrativi, Deliberativi, et Iudicialis: prima generis suades, aut dissuades; secundi lau das, vel vituperas; tertii accusas, aut defendis. Constat Exordio, Narratione, Contentione, Confutatione, et Peroratione. Ante omnia quæres genuinam propositionem; et propositioni ex Locis sua argumenta: hæc autem alli gabis per crinomenon. Varia figuras, et argu mentationes. Imisce ubique debi tos affectus ... n. 5. c. 7.

Crinomenon est illa propositio, in quam omnis argumentorum vis converti debet. Cognoscitur, si thesis convertitur in Syllogismum, estque illa, cui probabilitas suffraga tur. Sunt quandoque duo crinomena in una Oratione. Est maximi momenti in Ora tione, disputatione, colloquiis etc. n. 288.

Digressio est rei alienæ, ad utilitatem tamen causæ spectantis extra ordinem cri nomenis excurrens oratio; uti si laudans, psalmodiam declines in laudes Davidis. Est pugnæ, quæ in Oratione ipsa certatur, velut quædam velitatio: frequens in materia manœna, inigrata. Discessus autem, et reditus ad thesin significetur sua nota. n. 201.

Dispositio est rerum inventarum in ordinem distributio: hinc alias dispones in Exordium, in Narrationem, in Contentionem, et alias in Perorationem. In Narrationem, et Contentionem dispo ne, quæ fidem; in Exordium, et Perorationem, quæ motū conciliant. Fortia argumenta à fronte, me dioria in medio, fortissima à tergo colloca. Ex dispositione crescent Oratio, Argumenta non so lum unum quod per se, sed etiam unum ex alio deduci debent: attendenda proin argu mentorum connexio, et cognatio: ex utraque transitio. Dispositio alia est tempo ris; alia rationis: illa quæ prius contigere, prius refert: hæc dicenda beneficio artis et iudicii in ordine componit. Et affecto, dominentur potissimum in Exordio et Peroratione, inspergendi tamen etiam sunt cæteris Orationis partibus, præser tim Confutationi et argumē tis Narrationi subiec tis. n. 383 et 442.

Narratio est rei gestæ, vel quasi gestæ perspicua, et or nata expositio: debet exponi usque ad ... Amat ornatum verborum, ut ait, inquit in dialogis præcique: præsens, et plusquam perfectum pro præterito, participia, et infinitivos conglobatos, verba cum dem temporis per Dissolutionem, et Polysyntheton. Expolitur etiam ornatu sententiarum, ut hypoti posis, Dubit. Sustentat. Comunic. Exclam. Prosopopoeiæ. Sit probabilis à narrante re narrata personis earumque adiunctis: brevis à rebus verbis perspicua, ab Adiunctis temporum etc. suavis à figuris, affectibus. Ponitur post Exordium. n. 408.

Inventio finis Oratoris est per suadere dictione: per suasio conficitur fide, et motu: hic paratur Am plificatione, et affectu: illa argumentis, et argumentatione. Singula investiganda sunt ar gumenta tum certa, quam probabilia, ac mixta in Locis Rhetoricis n. 177. Argumentatio ex deductione unius ex al tero, ut in Syllogismo, Enthymemate 275. Amplificatio tam ex rebus, quam verbis 202. in solis rebus magnis, quarum aliæ natura mag næ, uti divinæ, spectantes ad alteram vitam: aliæ ut quæ censentur vehementer prodesse, aut obesse; sic pax, bellum: aliæ inclinatione naturæ, ut proles matri; de in affectus eruantur ex omnibus Locis, rebus magno bo no, aut malo prægnante. In genere Demonstrativo invenies ea solùm, quæ laudem, aut vituperium conciliant: in Deliberativo autem, quibus sua dere, aut dissuadere thesin propositam po tes. Examina prædicatum, subiectum et copulam tuæ thesis primo singula ex suo Loco, in quo, ex natura sua sunt; secundo circumducito per a lios Locos eum investigando rei propositæ causas, effecta, ad iuncta, hominum magnorum ut S.S. Patrum existimationem.

Historia ... Nota Numeri subiecti remittunt benevolum Lectorem ad numeros marginales Artis Memoriæ.

Hieroglyphica sunt imagines, qua ... Est nomen ...

Gestus Est ... corporis ...

Exordium Est Oratio ...

Epistola est mutuus absentium, vel quasi absentium sermo.

Epilogus est artifici ...

Epitaphium ... Oratio ...

Emblema imago ...

S.S. Patrum existimationem. ... sicales connexiones. n. 517 ... nificant. n. 523. ... nebri. n. 516. ... rerū, liberiore verborū amplificatione exornari aptis figur. 398 ratione funebri. n. 526 tur formā debitā. n. 492. ... 469.

num, nec bonis ad virtutis conſilia illicium.

Utilitatem

1. Econtra verò Hiſtoria ritè tractetur, quanta commoda in mores ſimul, & artes omnes derivantur? Computruerit in ſordibus ſuis, neceſſe eſt, qui emorientes probitatis ſpiritus non revocat, cùm, quæ probis præmia, & conſceleratis tormenta omni ævo inflicta ſint, in Hiſtoriis conſiderat. Ut meritò quoque cum magno illo Sanctimoniæ Magiſtro Gerardo Belga in Pſ. 66. exclamem. *Eheu! quem nihil movet, aut trahit tanta copia exemplorum, nec error, aut terror corrigit, & colligit tot deviantium, & pereuntium* - - Speculum námque eſt Hiſtoria minimè fallax. Inſpice, & næ morum tuorum faciem ſyncerè ob oculos ſtatuet. Turpia, & pulchra exhibet eâdem fide. Et licet homines nulla magis, quàm ſui inſcitiâ laborent, hujus tamen ſpeculi probo uſu facilè cognoſces teipſum. Ab hac cognitione deducéris ad cognitionem Dei. Utrâque autem ſtat ſumma Chriſtianæ,& altiſſimæ ſapientiæ. Hac mi Euſebi comparatâ honeſtè multa poteris ignorare. Vix tamen

tamen Hiſtoria (ſi probè ames) ſinet te quidquam eorum, quibus ornari velles, ignorâſſe. Sapientiſſimè námque, & veriſſimè ſcriptum à Nazianzeno? „Hiſtoria conglobata quædam, & coacervata ſapientia eſt, hominúmque multorum mens in unum collecta. Hac imperiis reges, regnis milites, curiis formantur conſules: & ipſa (ut magnis majora dicam) Chriſti Monarchia gubernatur. Cicero ut nihil ignoraret ſuppetias ab Hiſtoria petiit, ac omnia belli, pacíſque exempla memoriâ tenuit. Ut ſuſtinendæ vaſtæ Imperii par moli adoleſceret Leo, à Baſilio Patre *per veteres Hiſtorias ire juſſus*. Et ivit tam feliciter, ut Sapientis cognomentum conſecutus ſit. Adeo nempe in Cæſarum coronis nulla gemma magis fulget, quàm Hiſtoria.

honeſtatem 2. Alias prærogativas non memoro, quia notæ; ſed obſtupeſco, quia magnæ. Quid hoc ſolùm, quòd T. O. M. Deus plerasque fidei veritates per Hiſtoriam ad nos transmiſerit, & etiamnum per eandem dignetur ſtabilire? Si Joſepho fides, is erat Hiſtoriæ apud Chaldæos cultus, & reverentia tanta, ut eam contexendi

xendi provincia non niſi ſolis concrederetur Sacerdotibus divina planè Spiritûs S. imitatione, qui idem munus in Moſes tantùm, in Jobos, in Iſajas, in Heremias, & alios ſanctimoniâ vitæ præclariſſimos depoſuit.

3. Unum tamen eſt, quod mihi maximi ſemper viſum fuit momenti, & te celare non poſſum. Omnes boni libri mel propinant, id tamen (quod mireris) non ab omnibus guſtatur, aut ſentitur. Vin cauſam mali? Præteritæ ætatis Hiſtoriam perſpectam non habent. Si rem ab origine noſſent, ipſo ſuo per mirabiles gradus evecta incremento placeret. Fidem orthodoxam (quo nullum bonum majus dari poteſt) mirantur multi, quia legerunt Martyrum certamina ad propugnandam fidem adita; multi neque cogitant, quia eadem ignorant. Sine tenerrima voluptate nemo leget ordinum Religioſorum mirandam nativitatem, pulcherrimam adoleſcentiam, & adultam tandem ætatem. Si Hiſtoriam nauſeas, pulcherrima te hac voluptate diſpolias. Et hac (ſeu nauſeam Hiſtoriæ dixeris, ſeu inſcitiam) nulla ægritudo citiùs in alias ſcien- *jucunditatem*

tias propagatur, ut adeo eodem ferme tempore incipiat deſipere Rhetorica, Philoſophia, quin & Theologia, quo non amplius ſapiat Hiſtoria. Tanti nempe eſt retinuiſſe guſtum Hiſtoriæ. Atque hæc tanti momenti ratio me compulit, ut iſta tibi etiam extra orbitam profari voluerim. Nunc à prærogativis ad leges pangendæ Hiſtoriæ alacriter veniamus.

518 *definitam* II. *Euſ.* Quid eſt Hiſtoria? *Eub.* Naturâ ab officio ſuo, nomen à Græco verbo ἱϛορεῖν quod Latinis idem eſt, ac memoriæ prodo à me viſa, quòd olim ſolum á teſtibus oculatis conſcriberetur. Aut latiùs ſumpta derivatur ab ἱϛορέω quod eſt *narro.*

expoſitionem rerum geſtarum 1. Ex his patet Hiſtoriam eſſe ſynceram rei geſtæ, ac ab ætatis noſtræ memoriâ remotæ expoſitionem. Atque inde dimanârunt illa præclara elogia, quibus teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis dicitur.

diviſam in chronologiam 2. Atque inde totuplex eſt Hiſtoria, quotuplex eſt ratio exponendi res geſtas. Si in exponendo digeris ſeriem temporis, chronologiam conſtruis. Si eandem ſeriem per mul-

multos annos contexis, Annales; ſi per menſes, Calendaria; ſi autem per ipſos etiam dies ſingulos diſpenſas, Ephemerides diceris efformare. Huc ſpectant vitæ virorum illuſtrium, eorúmque facinora ſingularia (Exempla vocant) ac ea vel tragica, aut feſtiva.

Annales *Calendaria*

Ephemerides.

Sed primam in re Hiſtorica ſedem tenet Hiſtoria plena, qua e.g. Regnorum, ordinum Religioſorum &c. ortus, & progreſſus narrantur. Talis eſt hiſtoria Gentis Anglicæ Ven. Bedæ: è profanis Titi Livij, Curtij. Atque hæc ratio Hiſtoriæ præclariſſima ex præmiſſis materiam repetit, ac ex iis conſurgit arte formam, & decorem ſuggerente.

plenam

III. *Euſ.* Quibusnam ergo regulis innititur Ars Hiſtorica? *Eub.* Quinque: primò Narratione rerum geſtarum, plana, graphica, & exquiſita. *Euſ.* Quî concilianda eſt Narrationi trina hæc dos.? *Eub.* Imprimis ſtude nitori dictionis; utque majeſtas in verbis, veritas in rebus eluceat, cura. De rebus geſtis nonnunquam judicium tuum interſere, cauſas eventila, inexſpectato rerum eventu ciebis admirationem, ſenten-

319 *arte, uti narratione geſtorum genuina*

tiis, & apophthegmatis interſtingue narrrationem, prolixam præcipuè tœdio levando.

deſcriptione rerum graphicæ

Altera lex complectitur deſcriptiones ingens I. Hiſtoriæ ornamentum. Hæ pro rerum deſcribendarum varietate ſunt variæ. Si locum, faciem terræ nunc in colles tumeſcentis, nunc in montes exſurgentis, nunc in valles deſcendentis, nunc in flumina diffluentis, aut in aliam formam abeuntis delineas, dicitur Topographia. Si verò perſonam quandam depingis, ejus habitum, inceſſum, imaginemque mentis, & corporis ob oculos ponis, Proſographia eſt. Si prælia, cædes, ſitus caſtrorum, genus armorum, robur pugnantium, turbatio fugientium &c. deſcribenda ſunt, dicitur Machographia. Si vis exponere affectuum certamina, uti timoris ſollicitudines, odii furores, amoris labores &c. Pathographiam conſtruis. Cæteris deſcriptionum formis haud immoror: una omnibus adumbrandis lex eſt, licet varii colores.

Nam quævis rerum deſcriptio cupit eſſe brevis. Sit etiam è re nata, & ad rem quampiam illuſtrandam

dam neceſſariò adducta. Præſcindenda proin eſt e. g. Topographia, ſi ſine ejus præſidio e. g. prælium quoddam proferre potes; ſumenda, ſi non potes. In picturanda Proſographia, delineanda eſt gens, patria, ætas, ſexus, ſtudia, conditio, mores, dotes corporis. In deſcriptione rerum inanimatarum e. g. montium, conſiderandæ ſunt partes, eæque vel quadam magnitudine, fæcunditate, aut eventu quodam nobiliores. Materiam quoque ſuggerunt Adjuncta: Locus, tempus, modus, inſtrumenta, cauſa. In rebus autem animatis perpendes formam externam, commoda, virtutes &c. Univerſim pro deſcriptione vide ſis quæ de Hypotypoſi n. 346. & Narratione oratoria n. 408. diximus, à quibus Hiſtoria aptam materiam repetit, licet earum phaleras detrectet.

2. Tertia lex jubet Hiſtoriam colorare, & variare concionibus, ne, ſi perpetua narratione defluere ſinatur, in tœdium devehat legentem. *Euſ.* Quid ſunt conciones Hiſtoricæ? *Eub.* Oratiunculæ, quibus præcipua aliqua Hiſtoriæ perſona e. g. in caſtris *concione perſonarum diſertâ.*

Dux, in curia conſul, in Synodo Præſul inducitur loquens. Ejusmodi orationculæ bifariam inſtituuntur directè, vel indirectè. Directa eſt, cùm ſua e. g. Duci verba damus, ut directè milites alloquatur. Indirecta eſt, cùm Hiſtoricus Ducis verba per infinitivos refert. Hujus pulcherrimum exemplum præbet Alexander apud Curtium l. 3. c. 10. & Darius l. 5. c. 1. Illius autem Amyntas l. 7. c. 1. & Parmenio l. 4. c. 11. Ex quatuor his exemplis patet, has orationculas conſurgere prægnantibus argumentis ex quovis Loco, eóque optimo erutis, eáque magis ſpargi ſententiis, quàm extendi amplificationibus. Amant quoque hæ orationculæ exornari brevibus dictis, apophthegmatis &c. Præterea ſtabiliendæ ſunt veterum exemplis, ſimilitudinibus, eruditionibus. Miram vim, & decorem recipiunt, ſi afferuntur ſupplicum preces, bene merentium conſilia &c. Ex his quoque vides huic ornatui haud eſſe in Hiſtoria locum, niſi referenda ſit res magni momenti, & concitandis affectibus apta.

laudatione actio:um eximia.

3. Quarta lex diſpenſat elogia. Cùm enim magni cujusdam herois gran-

grande facinus retuliſti, ratio jubet, ut eum non ſtatim ex oculis dimittas, ſed dignis encomiis è vario titulo repetitis proſequaris. Sed laus hæc debet eſſe brevis, ne in panegyrin, è re nata, ne in adulationem delabaris. Erui autem poteſt ex omnibus locis, quos à n. 420, ad uſque n. 435. recenſui. Ad laudem reducuntur judicia, quibus Hiſtoricus breviter mentem ſuam aperit, quid de narrato facinore ſentiat. Ex his diſces turpi cuidam facto ſuum quoque vituperium ſubdendum eſſe.

4. Ultima, & omnium operoſiſſima lex eſt ſtylus excultus, quo ſi laboret Hiſtoria, jacet, & exſucca fit narratio. Is ergo ſit elegans, maſculus, Atticus, & non Laconicus, numero, & phaleris Rhetoricis emunctus, ſuavis & pro rei varietate aſper. Verùm his omnibus dotibus ſtylum venuſtare, labor eſt longè maximus, & ferme regularum impatiens. Certam ego aliam tibi vix ſuggeſſero, quam multam lectionem, ſedulam imitationem Principum in re Hiſtorica, & conſtantem exercitationem. Hoc tamen non fuerit absque re monere, ut inſigniores phra- *Venuſtate ſtyli excultâ.*

ſes narrandi, modos tranſeundi, laudandi, aut vituperandi ad uſum, & imitationem expeditiorem excerpas. Sanè, ſi unquam aliàs, calamus tibi erit fauſtiſſimus Magiſter. Interpellandæ quoque ſunt, ne ſtylus humi ſerpat, nonnunquam figuræ Rhetoricæ, verborum, & ſententiarum, quales frequentiores ſunt Exclamationes, Obteſtationes, Interrogationes, Comunicationes, Hypotypoſes, & Præteritiones. Sed hîc memento brevitatis, & libertatis: omnis decor coactus dedecorat. Figuras verborum liberiùs admittit Hiſtoria præcipuè in partibus Rhetoricæ magis cognatis.

526 veritate ſynceram IV. Atque hæc eſt ſyzygia Hiſtoriæ. Jam quibus hæc eadem exornari debet, margaritas producamus. Prima ergo gemma, ſine qua omni fulgore caret Hiſtoria, eſt veritas. Niſi hæc ubique calamo præluceat, potius fabulam aut (nequid deteriùs dicam) mendacia, quàm Hiſtoriam condes. Apage proin omne partium ſtudium ſimultatem, & adulandi infamiam. Hiſtoricus præprimis colat veritatem, & tum primùm excolat arte rerum eventus. Nihil unquam falſi audeat ſcribere, &

& nihil unquam veri non audeat. Dubia dubiô, certa certô, incerta incertô calamô adumbret. Omnia rerum eventa luce veritatis fulgeant, quo conſiliô; qua ratione geſta ſint, velut in ſpeculo exhibeas. Non ſolùm de induſtria ulli velis imponere, ſed ne errore quidem. Cura igitur, ut ordinem temporum, ſcribentium ætatem, patriam, religionem, mores, & ſtudia perſpecta habeas, ne ex putido fonte pura puta mendacia, aut ficta pro factis propines. Ars, ſermonis byſſus, & phalaræ uſurpandæ ſunt ut veſtes, quibus ornanda, non falſificati proſtituenda eſt hiſtoria. Procul eſto ab eorum numero, & infamia, qui narratiunculis ſuis ludentem verbis, & ſenſu illudentem majeſtatem quærunt potius futili famæ ſuæ quàm utilitati veritatis ſcribentes.

1. Altera gemma eſt ordo, quâ rutilabit tua Hiſtoria, ſi annorum, temporúmque ſeriem ſuo numero pertexas; ſi regiones, flumina, montes, alioſque locos non ſolùm ſuo loco, ſed etiam ſuo ordine deſcribas, incipiaſque à partibus nobilioribus, ac notioribus, pergáſque *ordine planam*

ſine ulla polylogia, ad minus notas præſentem tamen eventum illuſtrantes. Quamvis digreſſiones, præcipuè ſi raræ ſunt, & ſubſtrictæ, non penitus averſetur Hiſtoria, eæ tamen ordini rerum filô quodam ſententiarum ſint alligatæ. In enarrandis rerum eventibus identidem tibi in mentem revoca principium, media, & finem. Primo itaque occulta quædam futurorum eventuum ſemina jacienda ſunt; tum cauſæ, conſilia breviter evolvenda. Rectà dein eundum ad geſta, modúmque geſtorum, tandem ipſe pandendus exitus eſt.

gravem judiciô

2. Tertia gemma eſt gravitas judicij, quæ tribus nititur; ipsâ rerum pulchra texturâ, reflexionibus moralibus, & ſuperfluarum circumſtantiarum exauctoratione. Illa diſpoſitione, iſta eruditione, hæc ratione aquiritur. E judicio quoq; factis diſcrimen, & lumen adhiberi debet; nec bona laudibus, nec mala cenſuris prives, ita nimirum ut hæc (breviter tamen, & quaſi per tranſennam) probes, iſta damnes. Virtutes non ſileas etiam in inimico. Vitia liberè producito, & modeſtè, ut Hiſtoricus, non

ut judex. Facinus facinori ſic conſocia, ut ex pravo ſit poſteritati metus, ex probo imitatio.

3. Quartam gemmam inſerit Hiſtoriæ integritas ſanè fulgentiſſimam. Itaque perſequéris perſonas, partes, temporum momenta, rerum inclinationes, mutationes, & res ipſas ſingulares eo ſtudiô, ut tota Hiſtoriæ facies integrè ob oculos ponatur, ac nihil ſit ex defectu mutilum, aut ex ſuperfluo monſtroſum. Sic illuſtrium virorum interſtinguenda eſt elogiis Hiſtoria, & improborum vituperiis, ut potius ſuaviter invitata veniant, quàm coacta videantur. Illis, & iſtis locus peropportunus poſt cujusdam obitum, aut poſt quoddam illuſtre facinus. Ut in Hiſtoriis multa dicenda ſed breviter, & quò breviùs, eò diligentiùs: ita quoque multa ſunt omittenda, ſed prudenter, & quò plura, eò prudentiùs. Pro utroque duplex eſt regula, uſus, & judicium. *integram rebus*

Sed quæres, quidnam in ſtudio rei hiſtoricæ ſit primò ſpectandum? Et aio, veritas; ut ſecundo loco decor. Ut autem exercitatio tua hiſtorica verô non exerret, ante omnia paranda eſt notitia Hiſtoriæ univerſalis *notitiâ Hiſtoriæ univerſalis comparatâ*

ſalis. Inſignem tibi ſe ducem præbebit ſuis Notis chronicis noſter Gilbertus, Genebrardus viâ ſanè compendiariâ. Editæ ſunt Pariſiis, & Coloniæ, Ex hac notitia univerſali facilè verum à falſo diſcriminabis in Hiſtoria particulari. Curandum dein, ne notitia hæc ſit ſalebroſa, ſed ſtylo genuino excolenda erit. Sed, quî ais? non duco te ambages; lectione floridi Hiſtorici, qualem noſti Curtium, Baraclaium, & Famianum Stradam; ſimul & quotidiana exercitatione, quam tibi familiari uſu p. 2. hujus mei libri, notandíque ſtudiô non potes non reddere expeditam, & jucundiſſimam.

lectione Hiſtorici probi, & probati

exercitatione quotidiana in notando, aut componendo

§. V.

Varia orationis ornamenta producuntur.

521 *Exornare compoſitionem figuris debitis*

E*Ubulus*. Hactenus ex Locis Rhetoricis velut ex copioſis lapidicinis ad ſtructuram cujuslibet thematis ſaxa (argumenta dico) eruimus: Diſpoſitione in varias Panegyris, Invectivæ, Epiſtolæ, Comœdiæve formas eduximus. Didicimus quoque hæc omnia figuris Rhetoricis velut vari-

variegatis periſtromatis exornare: Nunc, ut quamvis Rhetorici artefacti partem ſcias artificioſis interſtinguere imaginibus, breviter inſtituendus es, & diligenter.

I. Primam ejusmodi imaginem dico Periodum, quæ ab antecedente ad conſequens, quaſi in orbem fertur, donec tota abſolvatur ſententia. Ab Oratore Romano dicitur oratio in quodam quaſi orbe incluſa procurrens quoad inſiſtat in ſingulis perfectis ſententiis. *Euſ.* Quotuplex eſt Periodus? *Eub.* triplex. *Periodis*

1. Ticolos, cui duo; Tricolos, cui tria; Tetracolos, cui quatuor ſunt membra. *Euſ.* Quid autem eſt Membrum? *Eub.* Senſus numerô concluſus. Seu extra periodum eſt oratio longior commate: in periodo utcunque perfecta ſenſu, ſed tamen particulâ aliquâ ſuſpenſa, & ex reliqua periodi ſtructurâ dependens, ita ut niſi abſolvatur, manca relinquatur oratio. En Exemplum. *Quamvis ſtudio demiſſionis ingentia ſint emolumenta repoſita.* En particula *quamvis* ſuſpendit ſenſum, qui eâdem ablatâ redit. Ut autem eadem ſervatâ perficiatur ſenſus, addendum eſt. *Eadem* *triplicibus conſtructis per Membra, &*

dem tamen paucis in deſiderio ſunt. Membrum eſt duplex: ſimplex, & compoſitum.

Inciſa Illud unico commate, ſeu unico prædicato,& ſubjecto abſolvitur; hæc verò pluribus interciditur,unde & Inciſa dicuntur, ſúntque pars membri, ac nunquam poſſunt perfectum ſenſum efformare.

bimembribus En ad priora exemplum, in quo, & deinceps Membra hoc I, Inciſa 1. numero diſcriminabo. I „Hanc 1 „incuriam, 2 cæcitatem, 3 & turpiſ„ſimam ſocordiam ſi ex æquo arbi„traremur: II. nullam jacturam 1. „tanto dolore, 2. tot lachrymis, 3. „& deteſtatione ferremus. Si jam hac ratione tria membra colligas, trimembrem; ſi quatuor, quadrimembrem Periodum contexis. Utriusque exemplum det iterum Humilitas.

trimembribus. „I. Etenim ſi 1. contemptu vera „gloria, 2. ſui odiô Dei gratia, 3. ſuí„que cognitione ſolida comparatur „ſapientia; II. neceſſe eſt eum, qui „1. perituris opibus deſideria, 2. va„nis honoribus affectuum, & futili „rumoris auræ animum affigit; III. „inopem 1. ſe, 2. inglorium, 3. & „contemptibilem eſſe fateatur.

„I. Si,

„I. Si, 1. quantùm in aulis principum ambitio, & 2. in profanis caſtris audet præſumptio; II. tantùm in piorum cœtibus 1. animi demiſſio, & 2. ſui deſpectus valeret; III. abundaret ille 1. & bonis gratiæ, 2. & fortunæ contemneret; IV. qui nunc 1. cum inopia litigare, & 2. vitiis ignominiosè compellitur. *quadrimembribus*

2. Quamvis autem omnes Periodi ſint pulcherrimum orationis ornamentum, omnium tamen frequentiſſima eſt bimembris, in qua, ut mox dicam, ratio Protaſis, & Apodoſis diligenter habenda eſt. *conſtantibus Protaſi, & Apodoſi.*

3. Nota námque Periodum eſſe compoſitum ex partibus principalibus quantitatem habentibus, & minus principalibus. Principalis eſt, ſine qua nequit conſiſtere periodus. Eſtque duplex antecedens, & dicitur Protaſis, quæ Periodum inchoat, & ſuſpendit: & conſequens, ſeu Apodoſis, quæ ſenſum pendentem abſolvit. Inter has duas partes poſſunt interiici duæ aliæ minus principales, uti in tricolo, & tetracolo, quibus ſublatis manet Periodus, cùm tantùm ſint partes membri principalis antecedentis, aut conſequentis. Ex his patet

tet in omni Periodo Protaſin, & Apodoſin maximè ſemper elaborandam eſſe. *Euſ.* Quibusnam particulis Protaſis reſpondet Apodoſi

Protaſis	Apodoſis
Tantùm	Quantùm
Id	Quod
Non ſolùm	Sed etiam
Quoties	Toties
Quò	Eò
Qualis	Talis
Unde	Inde
Cum	Tum
Non minus	Quàm
Quamquam, Etſi	Tamen, Attamen,
Quamvis licet	Verumtamen,
Tametſi	Nihilominus.
Quemadmodũ	Ac, Ita, Sic,
Ut, velut, Sicut,	Taliter prorſus,
Haud ſecus,	Hac via, pacto,
Haud aliter	& ratione.

Ex his vides Protaſin, aut Apodoſin divisè trimembrîs Periodi contexi ex duobus membris; & tam Protaſin, quàm Apodoſin quadrimembrîs ſemper diviſim duobus membris.

Contextis ſelectu verborum

3. Ad contexendam autem Periodum non admittenda ſunt quælibet obvia verba, ſed ea, quibus ineſt

vis

vis quædam in exponendo, ſplendor in ſignificando, majeſtas in ſonando, & venuſtas in conjungendo. Hunc ſelectum diſces uſu, & lectione.

4. Ex his omnibus patet, quid ſit inciſim, quid membratim, quid periodicè dicere. Periodicè dices in Exordiis, in Contentione, cùm argumenta non admodum vibrantur. Membratim autem in Narrationibus, Contentionibus, Dialogis, Epiſtolis &c. Inciſim tandem, cùm multa per aſyntheta ſunt recenſenda. *Periodis* *Membris* *Inciſis,*

5. Demum ex debito Periodi uſu, aurium judiciô, & lectionis, ac exercitationis induſtriâ hauritur Numerus oratorius in certa ſyllabarum quantitate conſiſtens, ac vocum idonea collocatione auditum ſuaviter afficiens. Sed cave, ne nimiâ numeri religione orationem videaris in metri vincula conieciſſe. *Numero oratoriô.*

522

II. Alterum in omni eloquentiæ genere frequentiſſimum ornamentum eſt Sententia: Græcè dicitur διάνοια, à verbo διανοέω *animadverto*, quod ad ſenſus ſpectat. Ex quo intelliges, ſententiam debere tam certa veritate niti, quaſi oculis cer- *Sententiis*

neretur : ac proin definitur oratio brevi verborum complexu quandam morum veritatem explicans. *Euſ.* Quid eſt veritas morum? *Eub.* Effatum, quo, quid è virtutis ductu agendum, omittendúmve ſit, oſtenditur. Ex his vides materiam ſententiæ eſſe omnia bona, & mala moralia, ut DEUS, & peccatum, virtus, & vitium, honeſtum, & inhoneſtum. Atque ob hunc omnium bonorum, & malorum complexum poteſt educi ex omnibus Locis Rhetoricis, & omnibus rebus, uti è cœlô, terra, elementis, moribus, regnorum conſuetudinibus, eruditionibusque.

apertis

1. *Euſ.* Quotuplex eſt Sententia? *Eub.* Duplex: aperta, & occulta. Illa eſt oratio brevi verborum ſed univerſali quamdam veritatem de bonis expetendis, & malis fugiendis complexu oſtendens. Exemplum ſit hæc propoſitio: *non poſſumus omnes pari felicitate frui*, & effare ex Similitudine. *Vita humana grande theatrum eſt: alius Codri, alius Regis perſonam agit.*

occultis

Occulta econtra ſolvitur generali, & particulari perſonæ, loci, temporis,

ris, alteriúsve adjuncti locutione producitur. e.g. *Non potes Paule in clauſtro bene vivere, niſi vivendo diſcas mori.* Sententia occulta frequens, & mirùm efficax eſt in Suaſione, & diſſuaſione, in Epiſtolis; in comica econtra frequentior eſt aperta tribuitúrque potiſſimùm viris magnæ auctoritatis, & morum moderatoribus, qui velut ex muneris ſui ratione oracula fundere ſolent.

2. Utraque autem ex fine dividitur in Hortantem, Dehortantem, & Enunciantem; ex materia verò in Simplicem, & compoſitam, ac rurſus in Veram, Probabilem, & Superlatam. *variis ex fine: ut*

Hortatoria eſt, qua ad aliquid faciendum, aut omittendum incitamus, qualis eſt illa Catonis. *Amicum delige, qui te, non tua diligat.* *Hortatoriis*

Dehortatoria eſt, qua aliquem à malo avocamus: ut illa Cic. de Senect. *In voluptatis regno non poteſt virtus conſiſtere.* *Dehortatoriis.*

Hortatoria, & Dehortatoria ſuadet aliquid agendum, vel omittendum practicè, Enuncians ſolùm in-

 tellec-

tellectum ſpeculativa veritate imbuit: qualis eſt hæc.

Non eſt, crede mihi, multos qui poſſidet agros,
Dives, ſed dives, cui ſatis unus ager.

materiâ: Simplicibus

3. Simplicem dicimus, quæ unico ſenſu, & interpunctô abſolvitur, ut: *ſæpe peccatum pro diſciplina eſt.*

Compoſitis

Compoſita econtra pluribus ſenſibus contexitur, velut hæc: „quis„quis ſe nimium quærit, ſemet amit„tit, & non tam eſt ſuus, quàm vo„luptatum.

Veris.

Omnis quidem ſententia quandam veritatem pandere debet; alia tamen ex objecto ſuo aut certô aut contingenti certa, ſeu vera, vel probabilis eſt. Sic vera eſt, quæ vel auctoritate dicentis DEI, qui eſt prima veritas, vel ex objecto neceſſario nunquam poteſt eſſe falſa; ut illud Sap. 6. *Judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet.* Et. *Sapientem docent, quæ nocent, & ex detrimentis lucrum capit.*

Probabilibus

Probabilis econtra eſt, quæ in uno Adjuncto poteſt eſſe vera, in alio

alio falſa : uti vides in hac. „Peri-
„cula non uno ab omnibus animo
„excipiuntur, hos armant, exarmant a-
„lios. Et. „Sæpe nocentiùs ſævit in
„animas blanda felicitas, quàm longa
„calamitas,

Tandem Superlata eſt, quæ rem aſſertam per Hyperbolen adauget, qualis eſt illa Auſonij. *Ingrato homine terra nihil creat peius.* Aut: *nulla tygris irato homine immitior eſt.* *Superlata*

4. *Euſ.* Quo autem artificio conſtruenda Sententia eſt? *Eub.* Diſcute Locos Rhetoricos ſuo ordine, & argumentum erutum in modum effati pronuncia. Exemplum eſto hæc theſis. *Virtus eſt præſtans.* Quid eſt ex definitione? veſtis. Dic ergo. „Purpura Reges, virtus men-
„tes ornat. Ex Annotatione dicitur à viro. Dic iterum: „virtus à vi-
„ro nomen habet: dedignatur effæ-
„minatos animos. Ex Enumeratione. „Fides facem moribus præfert,
„& Spes periculis anchoram præbet.
Ex Conjugatis. „Peſſimus conſul-
„tor, qui ſibi non conſulit. Prælati
„pereunt, ſi exemplis non præeunt.
Et ſic deinceps per alios Locos ire lice- *eruitu ex Loco quovis.*

licebit. Illuſtriorem tamen præ cæteris materiam præbent Conjugata, Similitudo, Contraria, & Exempla. En pro ſingulis normam. „Fruſtra „nomen chriſtiani geris, ſi virtutum „greſſibus Chriſtum non ſequeris. „Non tot hortus pingitur floribus, „quot anima juſti virtutibus. Supprimit probos, quisquis in altum „tollit improbos. Non una in terris eſt „Hieroſolyma: ibi Chriſtus ſuffigi„tur cruci, ubi vacatur voluptati.

adhibendis loco debito, præcipuè in Narratione Peroratione

5. Cæterùm ſententiis non ſolùm locus eſt in omni orationis genere, ſed etiam in omni ejusdem parte: potior tamen in Narratione & Peroratione, ut bene monet Ariſtoteles 3. Rhet. In Epiſtolis autem, Comicis, ac in Contentione orationis pulcherrimè conglobantur Sententiæ; unâ verò graviter concluditur gravis quædam ratio, aut Narratio hac vel ſimili forma; *Adeo nempe, Itaque. Sic. Sic ruat, neceſſe eſt, quisquis per ſuperbiæ gradus in altum enititur.*

Apophthegmatis

6. Tandem pro coronide notes Sententiam iisdem capitibus, quibus chria verbalis, amplificari; differre autem ab apophthegmate, quòd hoc unum aliquod viri magni ſit dictum, illa autem è calamo, & ore privati fluat.

fluat. Sic S. Benedicti apophthegma erat. *In omnibus glorificetur DEus.* S. Adelhaidis Abbatiſſæ Vilicen. perpetuo in ore fuit illud Luc. 12. *cui multum donatum eſt, multùm requiretur ab eo.* B. Ferdinandi noſtri in duriſſima captivitate illud Jobi. *Sicut Domino placuit, ita factum eſt.* Ex quo vides Apophthegmata eſſe illuſtre Eruditionis armarium, & digna, quibus totus Vagus *Proverbia* n. 97. conſecretur. Stabiliunt non minus rationes, quàm figuras exornant, & eruditionem Sacram reddunt ſuavem, ac variam.

III. Poſt Sententiam orationi magnam lucem inſpergunt Symbola, Emblemata, Hieroglyphica, & nonnunquam etiam Ænigmata, licèt raró. 523 *Symbolis*

1. *Euſ.* Quid eſt Symbolum? *Eub.* Imago tum ingenio, cum penicillo picta, qua per ſimilitudinem rei uſu rationis carentis exhibemus oculis vitam, mores, ac indolem rei virtute intelligendi pollentis.

Ex his vides duo in Symbolo (id quod etiam de Emblemate dixeris) conſideranda eſſe: objectum, ſeu id quod exhibetur: & medium, ſeu quo exhibetur. Objectum itaque eſt ſo-

lus Deus, Angelus, & homo cujusvis ſtatûs, & conditionis. Medium autem, & colores, quibus Deus, angelus, vel homo repræſentatur, eſt quævis res inanimata, ut arbor, lapis, gemma, cœlum, aſtra, mundus; & quævis animata, vi tamen intelligendi carens, ut ſunt omnia animalia, quadrupedum, avium, & piſcium omnium ſpecies.

Emblematis

2. Econtra verò Emblema eſt imago, quæ pet ſimilitudinem rei intelligendi virtute pollentis vitam, ac mores intelligentis explicat, & exhibet. Atque adeo Emblematis objectum ſunt Deus, angelus, & homo: iique non ſolùm veri, ſed etiam vel per Pöeſin ficti, ut ſunt Mars, genii, Ganymedes; vel per Metonymiam concepti, ut eſt omne vitium, & virtus in modum perſonæ cujusdam efformata: uti ſunt Religio, Caſtimonia, Muſæ &c.

Hieroglyphicis

3. *Euſ.* Quid autem eſt Hieroglyphicum? *Eub.* Imago, quâ rem quampiam velut figuris pictis ex libera hominum inſtitutione inſtar vocum ſignificantibus exhibemus. Sic veteres beneficia tribus virginibus Hieroglyphicè repræſentârunt, quæ junctis

junctis manibus ſuaviter corridebant, easque Gratias dixerunt, ut memineris gratiam memoriâ recolere, ore laudare, obſequio mutuo demereri. *Tres* pingebantur, ut noſſes tria beneficiorum genera, promerentium, conferentium, accipientium, & refundentium ſimul. Et porro *Virgines*, ut noſſes beneficia ex ſyncero, & minimè adulterato affectu naſci debere. *Corrident*, ut noſſes, beneficia hilariter danda, accipienda, & uſurpanda eſſe.

Ex his vides in Hieroglyphicis non tam artem quærendam eſſe, quàm induſtriam. Cùm enim ſignificent ex inſtitutione hominum, à nobis non tam fiunt, quàm facta excoluntur. *Euſ.* Quî excoluntur? *Eub.* Aptâ paraphraſi, cujus exemplum hîc de gratiis, leges autem n. 485. habes. Tuæ autem induſtriæ erit, illuſtriora Hieroglyphica, ſi legenti occurerint, excerpere. *Euſ.* Ad quem titulum? *Eub.* Ad *Symbolum*, de quo n. 95. ubi latè ſumitur, & complectitur etiam Emblemata.

4. Ænigma tandem eſt imago, quæ per ſimilitudinem, aut diſſimilitudinem, aliúmve locum ex qua- *Ænigmatis*

vis re creata ſumptum repræſentat alterius mores, & naturam obſcurè, ingenioſè tamen propter mirabilem conſpirationem Locorum. Amant enim Ænigmata obſcuritatem, non quidem illam, quæ eſt ex parte cognoſcentis, ſed quæ naſcitur ex occulta connexione objecti, & imaginis repræſentatæ cum medio, ſeu re ſignificante.

124 erutis ex tropologia

5. *Euſ.* Quomodo autem ejusmodi Symbolorum, Emblematum, & Ænigmatum imagines ſunt efformandæ? *Eub.* Eo modo, quo earundem objecta orator eleganter per tropos deſcribit. E. g. Orator per Metaphoram dicet humilitatem ſpicam. Nam ut hæc quò pluribus granis turgeſcit, eò depreſſior erit: ita humilitas quò perfectior, eò demiſſior eſſe cupit. Si igitur pingas ſpicam plurimis granulis fæcundatam demiſſo humi vertice, habes Symbolum.

ſignatis Lemmate

6. Verùm cùm Symboli, & Emblematis potior virtus ſit claritas, imaginis ſenſus declarandus eſt Lemmate, ſeu brevi quopiam, ac ſententioſo diverbio, quò imago ad varias res ſignificandas apta, & indifferens,

ad

ad hoc, quod præ manibus habes, objectum reſtringatur. Exemplum eſt noſtra ſpica; ſi aſcribas. *Curvatur onuſta.* Humilis enim tantò ſe infra alios curvat, quantò plures fert virtutum fructus. Quod jam dixi de Metaphora, dices de aliis Tropis. Singuli námque picturandis Symbolis, & Emblematis colores ſuppeditabunt. Si ergo pingas cauſam pro effectu, effectum pro cauſa, continens pro contento, poſſeſſorem pro poſſeſſione, ſignum pro ſignato, Symbolum tuum ſumis ex Metonymia. Si autem exhibeas partem pro toto, totum pro parte, unum pro pluribus, ſpeciem pro genere &c. Synecdochen uſurpas.

7. Sciendum porro, velut tropi ſumuntur ex Locis Rhetoricis, ita quoque ex iisdem eruenda eſſe Symbola, Emblemata, & Ænigmata. Sic ex Effectis virtutem dicimus florem: quia hic, & illa intuentes rapiendô in effectum ſimilitudine conveniunt. Curandum igitur, ut tam imago, quàm res per imaginem exhibita in eodem loco colludant, aut ſi Symbolum ex Loco Contrariorum, aut Diſſimilitudinis eſt, ſe mutuò contrariis effectibus prodant.

productis ex Loco Rhetorico

8.

colludentibus ſimilitudine Locorum tam in Symbolo, quàm

8. *Euſ.* Declara mihi dicta exemplis. *Eub.* Paupertatis Religioſæ ſtudioſus opes abjicit: abjicit & naufragus. En ſimilitudo cauſarum. Vin' ut cauſam primam ſtringam in leges Metonymiæ? dico. *Paupertas religioſa.* Vin' ut alteram ponam in loco Synecdoches? & dico: *navis naufragans.* Ut jam Paupertas hac navi Symbolicè exprimatur, pingenda eſt in mediis fluctibus ejectis mercibus exonerata. Ne autem potius ænigma, quàm Symbolum fabrices, cura ſis, ut in eodem Loco *Paupertas* colludat *Navi*, qui eſt Effecta nempe opum abjectarum. *Euſ.* Qui inſtituo hanc colluſionem? Pinge in antenna Paupertatem, hoc eſt puellam humili amictu, capite, brachiis, & pedibus nudis Crucifixum manibus præferentem. Etſi autem hac imagine aliqua non tamen omnis obſcuritas ablata eſt: ut ergo omnis auferatur, ultimam manum, & lucem appones eleganti lemmate. In exemplo pono iſthoc, in quod Paupertas dextram intendit. *Ne mergar, mergantur opes.*

Emblemate, ac

9. Iisdem legibus, & coloribus utéris, ut Emblema de quavis re elegan-

ganter efformes. Fit enim ut ſupra n. 518. per ſimilitudinem, diſſimilitudinem, oppoſitionem &c. rei intelligentis ad intelligentem. Si itaque velis Paupertatem per Emblema repræſentare, non jam navim, aliámve rem inanimatam pinges, ſed intelligentem e. g. pauperculam Ruth in agro ſpicas colligentem cum Lemmate. *Eligor, dum negligor.* Nam velut ita tunc electa eſt in Reginam, cùm ab omnibus neglecta ſpicas colligit: ita religioſæ paupertatis cultor cùm neglectus, & deſpectus, mundo legit ſpicas bonorum operum ad cœleſte regnum evocatur.

10. Ænigma autem cùm non ambiat claritatem, averſatur Lemma, & ſolâ convenientia proprietatum, effectuum, ſimilitudinis, & diſſimilitudinis elegantiâ gloriatur, eámque maximè virtutem amat, quam Poëſis. Exprimi cupit continuata metaphorâ, eâque tam ſingulari, ut non niſi uni rei poſſit tribui. Ænigma proponens dicitur Sphinx, qui diſſolvit, Oedipus. Ut ergo omnibus numeris conſtet, evolvat neceſſe eſt Oedipus in paraphraſi omnes proprie-

tates,

tates, quas Sphinx in Ænigmate involverat. En exemplum

Sum ego fæcundi nobilis filia Solis.
Qui me multo coluére labore,
Ab iis diripior, ſpolior.

Vertice demeſſo fœtenti mergor cloaca.
Submerſa producor, & cadaver
meum exponitur omnibus
cœli injuriis.

Tum primùm incipit grandis tortura:
Conteror, flagellor, nihil mei
Retinens ſervo nomen meum,
Et patientiam.

Multâ tractor manu, ligor, & ligo.
Tandem captivor, & captivo.
Meis ligata funibus in ſolem producor:
Nigra prius, à Sole candeſco.

Suſpice
Prodigium patientiæ!
Jam
Æmula Virgineæ Matris.
ſinu meo claudo
Altiſſimum.

Oedipe dic mihi tam præclaræ filiæ nomen? Linum eſt, ex quo conficitur linteum illud, quod nos corporale, vocamus, in cujus gremiô ſacerdos pro aris faciens Chriſtum Evchariſticum deponit. Lege, & propoſiti Ænigmatis proprietates lino reſpondiſſe videbis.

11. Ex

11. Ex his vides frequentem eſſe in his ornamentis figuram Proſopopœiam. Similiter quoque cadentia, & deſinentia. Lema inſuper cupit paucis verbis, & ferme hemiſtichiô exprimi. Porro licet dixerim Symbola, Emblemata. Hieroglyphica, & Ænigmata pingenda eſſe; non tamen ita intelligendum, quaſi cujusdam Apellis penicillo ſemper opus foret, ſed poſſunt etiam verbis ab oratore per ſelectiorem figuram depingi. Si verbis pingas, argumentum, & pars ſunt orationis: ſi coloribus, ſunt ſpecialis ingenij exercitatio, & oculos ſimul rapiunt, ac animum imbuunt.

interſtinctis figura debita

Lemmate brevi

12. Ut autem iſthoc oculi, & animi aſſequare illicium, notes, neceſſe eſt artem pictoriam eſſe velut tacentem Rhetoricam; & velut hujus materia eſt omne id, de quo inſtitui quæſtio, ac quo intellectus poſſet perſuaderi: ita quoque illius materia eſt omne id, quod oculis exhiberi, & animum ad delectationem afficere poteſt; uti DEUS, homo, animal, elementum &c. Velut autem Rhetorica loquens ſua artefacta, hoc eſt orationes, Chrias, Epiſtolas &c. ædi-

pictis vel colore ſermonis

ædificat argumentis : ita tacens ſua fingit ex gypſo, ſaxo : argillâ, ære &c.

penicilli ex 13. Si Rhetorica tacens opus ſuum educit è ligno, ſaxo, & dolabris, ac aſciis in certam formam elaborat, dicitur Statuaria : ſi ex ære liquato, dicitur Fuſoria, & artifex fuſor : ſi autem è ligno, oſſe, ebore ſculpantur ſcalpro forma, ſigna, ſigilla &c. Sculpturam nominamus. Econtra verò ſi formas ſuas artifici colorum mixtura oculis ſubjicit, pictoriam dicimus: variam, ſi variis coloribus, monochromaton autem, ſi uno ſimplici, e. g. rubro, cæruleo. Monochromata multi ſuis Symbolis, & Emblematis ſeligunt. Hæc quoad materiam, nunc ad formam Pictoriæ.

lege pictoriæ 14 Imprimis nulla ſit in tabella pars vitioſè vacua, ſed quævis aliquid toti imagini colludens oculis repræſentet. 2. Cùm imago ſit velut facti imitago, & factum quoddam, vel quaſi factum, ut ſunt fabellæ, non faciendum exhibeat, in quavis facie ſituque corporis jubeatur pictor eos motus exprimere, quos ratio facti expoſcit. 3. Phrenoſchemata, arma, ſigna, veſtes eæ appingantur, quæ pro temporis, natio-

nis

nis, conditionisque ratione fuerunt in uſu. Hinc malus pictor, qui Davidem bombardæ invento noſtræ prope ætatis aflantem pinxerat. 4. In ſituatione perſonarum attende decorum, conſuetudinem, & mores: ita ut Rex medium, latus occupent aulæ proceres. 5. Si tota vitæ hiſtoria e. g. S.P. Benedicti hiſtoria pingenda foret, & Emblematis illuſtranda, ſervetur ordo naturæ, & Chronologiæ,& huic forma, ſtatura, facies, totúsque habitus ex æquo reſpondeat. Curandum porro, ne quid aberret, decedat, aut abludat à prototypo. 6. Harmogen, hoc eſt colorum mixturam in omnibus cura, ita ut ſplendida ſplendidis, cœleſtia cæruleis adumbrentur. Cavendum autem hîc, ne diſcriminativum visûs deficiat. 7. Si in una tabella plures facies pingendæ ſunt, catagraphiâ ſeu vario ſitu decorentur, ita ut una ſuſpiciat, deſpiciat altera, & alia reſpiciat relucente in qualibet debito affectu. Unde iratum pinges caperata fronte, gaudentem ſubridente ore: univerſim facies, oculi, frons, labra exactiorem penicillum exigunt. 8. In pingendis animalibus nativus pellis color, corporíſque ſitus, in avi-

bus caput, & pennæ præcipuè ad examen vocentur. 9 Si tandem inanimata pingenda ſunt, ut horti, campi, ſylvæ, montes, ad leges Optices reſpiciendum eſt, ut, quæ longiùs diſtant, minora, quæ propius adſunt, majora pingantur. In hortis exquiruntur ſalientes fontanæ, & viſus ab obtutu per quosdam receſſus in opacum longiùs abducendus eſt. Hortus quoque aut in æquor per inſignes ſibíque ex ordine colludentes arbores diffundatur, aut hinc in colles tollatur, inde deprimatur in valles. 10. Demum Rhetorica tacens potiſſimùm in eo eſt, ut omnium corporum ſitum ad leges Geometriæ, quam oculorum arbitrio haurire ſolet, expendat; lucem, radios &c. ad deceptiones opticas ponit; & quæ rectà pinguntur, ad unum punctum reducit.

526 Epitaphius IV. Ultimum Orationis præſertim funebris, & hujus loci ornamentum eſt Epitaphium, ſic dictum à Græco ἐπιτάφιον, quod Latinis ſonat ad vel ſuper tumulum: definitur proin oratio defunctorum laudes complexa, & ſepulchris inſcripta.

ſimplicibus 1. Dividitur in ſimplex, & compoſi-

poſitum. Illô complectimur ſolum nomen defuncti, nec ſortitur rationem proprii Epitaphii, cùm laude careat: quale eſt hoc

Hîc
Jacet Tullia Tullii
Filia
jam
Magni nominis umbra.

Compoſitum eſt, quod argutiis, figuris pingitur, & magnis defuncti laudibus adornatur. Exemplis abſtineo: paſſim ſunt obvia. *compoſitis*

Aliud quoque Epitaphium eſt ſerium, aliud jocoſum. Illud probis, hoc etiam improbis per Ironiam inſcribitur, aut cuidam improbitati e. g. gulæ, ſuperbiæ &c. *ſeriis, & jocoſis*

Aliud demum eſt ſcriptum, quo defuncti laudes vel ſoluta, vel ligata oratione complectimur: pictum eſt, quo defuncti laudes ſculpturâ, fuſoriâ, vel pictoriâ exprimuntur: uti ſi circumferiæ ſaxo incidas ab Alexandro M. devicta regna, in medium autem hoc Lemma exares hoc modo *ſcriptis, & pictis*

Hic
Victus jacet à morte
Victor Alexander.

adornatis ex materia Epidictica

2. Materia adornandis Epitaphiis hauritur ex iisdem fontibus, ex quibus eruitur Epidictica oratio. Vide proin de hac re p. 3. c. 7. §. 5. 6. & 7. à n. 419. ad n. 449. Laus autem debet continere nomen defuncti, gentis, familiæ, genus diemque mortis, & præcipua vitæ facinora.

formâ Proſopopœja

3. Formam Epitaphia ſumunt variam Nonnunquam ſimpliciter narratur nomen, & conditio defuncti, & inde dicitur ſimplex Epitaphium. Aliquando per Proſopopœjam vel defunctus, vel lapis ſepulchralis loquitur cum viatore, eumque ſtare jubet. Quandoque eadem Proſopopœjæ vis tribuitur ſignis, inſtrumentis, & ſymbolis, quæ non ſine decore Epitaphiis appinguntur. Sed ne potius Ænigma condas, hæc ſigna, ut Hieroglyphica ſolent, ſignificent ex inſtitutione. Sic olim militi frameam, paſtori baculum, ruricolæ aratrum appingebant: modernis verò moribus tumulo Pontificum imprimimus triplicem tiaram, Epiſcoporum familiæ, & diœceſeos ſigna gentilitia, Sacerdotum claves, aut calicem, Ducibus Aquilam, vel Leonem, militibus gladium &c.

Symbolorum

Por-

Porro ut Epitaphia oculis ſimul, & intellectui allubeant, ac voluntatem paſcant; abundent neceſſe ſententiis, & doctrinis moralibus hauſtis vel de vitæ brevitate, vel virtutis immortalitate; argutiis quoque, & acuminibus aſpergantur: non rectis, ſed parùm inflexis lineis exarentur, ac inæqualibus, ita ut verba, vel verbum efficaciùs ſignificans in medium conjicias. Ipſa autem inæqualitas non ſit arbitraria, ſed ſymetriæ, & viſiognomiæ ſubſtricta.

allubeſcente viſui intellectui, & voluntati.

Quòd ſi Epitaphium proſâ complectaris, elogii: ſi verò metro aſtringas, Epigrammatis leges exambit, ejusq́ue ſtylum, & ornamenta. Dictorum paradigmata non affero: ſi legere non renuas, paſſim in libris, & templis incides in has artificioſas mortuorum umbras.

ſubſtrictâ regulis encomii, aut epigrammatis.

§. VI.

Operi colophon imponitur, & ea, quæ hactenus dicta ſunt, in facillimum uſum deducendi methodus oſtenditur.

I. EUbulus. Ut omnia, quæ hactenus latè diſſeruimus Euſebi, 527

Diſcere praxin notandi ob

velut ſub unum tibi conſpectum exhibeam, admonendus es tuî, & quem operi præfiximus, finîs. Is eſt ſacram, profanamque eruditionem facili librorum tractatione comparare, & comparatam in uſum expeditum, ac vitæ tuæ rationi conformem deducere.

Euſ. Hunc finem, ut conſtanter inſecter, & tandem feliciter aſſequar, quid mihi primis curis faciendum cenſes?

utilitatem, & neceſſitatem

1. *Eub.* Imprimis tum neceſſitatem, cum utilitatem notandi charam habeas, & perſpectam. Utrumque (ni mea me fallant) habebis, ſi primam hujus operis partem per otium legeris, & magnorum virorum, qui ferme omnes ſententiæ meæ ſubſcribunt, conſiliis animum dederis.

lectione partis primæ, & ſecundæ

2. Si feliciter (undecunque demum) perſuaſus operam tuam libris, & manum tabulis ſeriò addixiſti, aggredere partem ſecundam à n. 71. noſtra diſſertatione usque ad n. 146. tractatam, ac eandem alternis otiis à capite ad calcem evolve. Comparatis hac ratione velut rudibus regularum, quas tradidi imaginibus, eandem partem ſecundis, ſed jam maturi-

turioribus curis ſtudioſè pelleges, ac regulas uſu frequentiores memoriæ commendabis.

3. Tum librum non tantùm lectu dignum, ſed etiam expertu è viri bonorum tuorum cupidi conſilio ſeliges: quales ſunt, qui de virtutibus, & peccatis, ac horum, & illarum ſpeciebus tractant; uti ſunt. Superbia, Luxuria &c. Charitas, Humilitas, Patientia &c. *libri apti*

4. Ea, quæ, dum legis, memoriæ tuæ digna, & uſui neceſſaria repereris, indiciô quodam, ſeu notulis è pargameno formatis excerptioni deſignabis. Deſignata ſuo, non lectionis tempore in apto titulô annotabis. *deſignatione notandorum.*

5. In primis notandi rudimentis ſuaſerim, ne laboris te ſuperflui è deprehenſis erroribus pœniteat, ut nullus titulus dodrantalibus litteris exaretur, donec de regularum, & artis notitiâ certus ſine errandi metu excerpas. Tum cura, ne titulos Specificos Tranſeuntes nimium multiplices. Ad quid enim e.g. *Gulam* efformes in Tranſeuntem. Cùm juxta n. 91. pari felicitate referre poſſis ad *Intemperantiam.* *efformatione titulorum*

6. In ipſo autem notandi exerci- *variatione modorum*

 tio

tio non unam ſemper viam ingredieris, ſed nunc brevem, nunc breviorem, nunc breviſſimam, velut n. 73, & ſeqq. oſtendi, teres. Hac compendiaria ratione, & variatione conſuetudinem excerpendi vel ex brevitate jucundiſſimam reddes, cui multum quoque compendii addit ſolertia Abbreviandi. Eam his regulis complex⁹ ſum.

323 Abbreviatione

II. Abbreviatio eſt compendiaria orthographiæ ratio ex reſciſſione litterarum, & ſyllabarum conſurgens. Is itaque omnium optimè abbreviat, qui omnium plurimas ſyllabas, aut litteras in verbis excludere ſatagit. Ut hocce compendium aſſequare, curandum, ne verba abbreviata æquivocationem, aut obſcuritatem inducant. Ac proin.

Subſtantivorum

1. Omittes litteras intermedias, quoties initiales, & finales nomenquodpiam ab alio ſufficienter diſtinguunt e. g. *Argumentum*, dele *ument*, & ſcribe *argum*: *argumentatio* ſcribe *argao.*

2. Ut ipſo viſu nomen abbreviato à non abbreviato diſcrimines, illud quodam circumflexo notabis.

3. Omnia incrementa nominum tertiæ declinationis excluduntur. Sic ex regula prima ſcribes *charitas chartas*, & *charitatem* ſcribes ex hac

char-

chartem. Siq́ue deſinentia in *atio* cùm ex prima regula abeant in *ao*, habent in incremento, *ais, ai, aem* &c. ſcribésque pro *diſputationis*, *diſputais*, aut *diſpais*, *diſpai*, *diſpaem* &c.

4. Subſtantiva plurium ſyllabarum, quàm ſunt adjectiva, à quibus deducuntur, rejiciunt præter ſuum incrementum ſyllabas ſuis adiectivis majores. Atque adeo ab *altus altitudinem* ſcribis *altem.*

Si verò ſubtimeas æquivocationem, relinques ſubſtantivo ſyllabam, aut litteram diſcriminativam, ſicq́ue à *magnus magnitudinem*, non ſcribes *magnem* (ſic enim ſcribimus magnetem) ſed *magnitem.*

5. In abbreviandis adjectivis licet aliquanto audaciorem. Eorum enim ſignificatio ob adjunctum ſubſtantivum non admodum expoſita eſt æquivocationi, & ab illo illuſtratur. Hinc ex regula prima *Amabilis DEus* ſcribes *Abilis Ds*, *Abili Do.* *adiectivorum.*

6. Adiectiva comparativa ſequuntur quoad incrementum regulam tertiam, quoad ſe autem repudiant ſolâ litterâ *r* retentâ cæteras comparativi notas ſicq́ue *triſtioribus* ſcribes *triſtribus*; *pulchrioribus* *comparativorum*

plchribus, aut ut infra reg. 8. dicemus *plchribs*; *formoſiora*, *froſra*.

ſuperlativorum 7. Superlativa autem deſinentia in *ſſimus*, *frantiſſus*; *in illima*, *illa*; in *errima*, *rra*. *dulciſſimus*, *dulciſſus*; *humillima*, *humilla*; *pulcherrima*, *plchrra*.

compoſitorum 8. Univerſim tam ſubſtantivorum, quàm adjectivorum obliqui terminati in *bus* formantur *bs*, uti *informibus*, *infribs*; & compoſita ſuorum *ſimplicium* ſimplicium leges retinent; unde quia *forma* ſcribitur *fra*, *formæ*, *fræ*, & *formis fris*, *informis* ſcribitur *infris*.

pronominum 9. Nonnulli, totum pronomen *qui*, *quæ quod* uno *q* exprimunt caſum, genus, & numerum ex ſenſu colligentes, alii ſignum addunt, & ſcribunt *qi*, *qæ*, *qd*, *cujus c9*; *quam*, *qam*; *quibus*, *qbs*.

adverbiorum 10. Adverbia compendiantur lege ſuorum, à quibus derivantur, nominum. Sic ex regula *omni* ſcribis *oi*; *potentia potia* & ex 8. ſcribis *omnipotentiam*; *oipotiam*: ergo *omnipotenter*, ſcribis *oipoter*, aut quod in omnibus deſinentibus in *er*, obſerves, *oipotr*. Et ex hac lege *omnino oio*; *formoſè*, *froſè*.

verborum 11. Verba imprimis è lege prima abbreviato, ex qua cùm *terminum* ſcribas

ſcribas *trum*, formabis ex *terminare, trare.* Deſinentia in *ant, ent, unt,* omittunt conſonantem *n.* & ſcribis audiũt, docẽt, dIgũt.

Tertia perſona numeri pluralis in præterito, & pluſquamperfecto, ejicit *er*, & pro amaverunt, dicit *amavunt* Idem notes in aliis perſonis per Conjunctivum, & pro *audiveris* ſcribis *audivis.* Verba terminata in *antur*; & *entur*, omiſſis vocalibus efferes, & ſcribes *amabantur, habebantur, poliebantur, amabntr, hbbntr, poliebntr.* Plura docebit uſus ſtudiô brevitatis.

12. Longè compendioſior via ſcribendi eſt integra nomina unico elementô efferre. Sic Articulus ſcribitur a: Quæſtio, q: Lex, l. Integras quoque conſtructiones ſolis litteris initialibus efferebant veteres. *Sic Senatus populúsque Romanus condit.* Scribebant S. P. R. R. c. De his notis apud veteres inſigni compendiô frequentatas vide ſis epiſtolam 27. Juſti Lipſij in Cent. 1. Si & tibi, quasdam hujusmodi notas ſelegeris, poteris memoriæ ergo notare ad vagum *Clavis* e. g. mihi *D* ſignificat DEUM, ad *D* litteram.

notarum

III.

Orthographia

III. Tanti ſemper orthographia viris magnis viſa eſt, ut eam non perfunctoriè ſuis diſcipulis traderent, quin etiam grandævi diſcere non erubeſcerent. Noſter Magnus Aurelius Caſſiodorus Senator cùm orbem meritis, & merita litteris implêſſet, ac jam tertium ſupra nonageſimum ætatis annum attigiſſet, haud alienum à nomine ſuo exiſtimavit ſcribendi rationem examuſſim diſcere, & docere, ac utrumque tam diſcendi, quàm docendi ſtudium litteris commendare. Et videtur quidem ut minutus, ita etiam nulla neceſſitate aſſumptus labor ſyllabarum: tanti tamen eſt, ut ſine eô laboret omnis ſcribendi ratio, manca, & tœdioſa reddatur lectori, animos potius avertat, quàm trahat. Velut enim periodus membris, membra inciſis conſtant: ita conſtructio quævis ſuis voculis, hæ ſyllabis conſurgunt: ut autem periodus ſolutis membris fit obſcura, ita voculæ diſſipatis ſyllabis evertuntur. *Euſ.* quî diſſipantur ſyllabæ? *Eub. Adjectione*; ut ſi contra majorum inſtitutionem addas ſyllabam, dicasque pro animal, aninimal: exſpecto, pro expecto: *diſſolutione*, ut ſi dicas

pro

pro exhæredidatio exhære-didatio, *diviſione*, ut ſi in fine lineæ ſcribas *comiſſ-* & initio ſequentis *us*. De adjectione, & diſſolutione, nil eſt, quod dicamus: uſu, lectione tam hæc, quàm illa facilè evitatur. Lege quoque laudatum Caſſiodorum de Orthographia: major neceſſitas, & difficultas eſt in genuina vocum diviſione: pro qua has regulas obſerva.

1. Dictio conſtat tantùm ſyllabis, ac proinde in eas tantùm reſolvi poteſt: ſyllaba autem litteris, vel conſonantibus, vel vocalibus. Hæ ſolæ conſtituunt ſyllabam, e. g. *a ni ma* ubi primum *a* ſeorſim ſyllaba eſt: illæ autem cum iſtis ut *ni ma*, ubi *n* cum *i*, & *m* cum *a* ſyllabam facit, ita ut ſemper vocalem oporteat poſtponere conſonanti. Tot ergo Euſebi dictionem quandam dividendi Locos habebis, quot in eadem ſyllabas. En Hieroſolymitanus. *Hi e ro ſo ly mi ta nus*. Abſetzen.

2. Duæ vocales ſi in diphtongum quales ſunt æ, ei, eu, œ, au, yi abeunt, unam ſyllabam conſtituunt e. g. Præeminentia *Præ e mi nen ti a*. Omneis *Om ne is*: Eurus *Eu rus*: amœnus *a mœ nus*: aurum *au rum*: Harpyia *Har pyi a*.

3.

3. Vocalis inter duas conſonantes ultimum locum ſervat, & ſequentem conſonantem in alteram lineam rejicit, ſic a inter m & b *ama bit.*

4. Si vocalem ſequuntur duæ conſonantes, harum una retinetur, altera removetur in ſequentem lineam e. g. omnia *om nia.*

5. Excipiuntur ab hac lege, ſi una conſonantium ſit liquida *l.* vel *r*, ſicque patrem *pa trem* non *pat rem* ſcribes: *Cy clops*, non *Cyc lops aſſe cla*, non *aſſec la.* Licet aliqui ab hac religione abſtineant, & univerſim ſequentem lineam à talibus conſonantibus inchöent, à quibus aliqua dictio incipi poſſet. Sic ergo *omnia* diſſecant *O mnia*, & proſtant *pro ſtant*, quia dicitur mnemnoſynon, ſtant. At melius inhærens naturæ ſyllabarum ſcribes *om ni a* & *proſ tant.*

6. In compoſitis dividuntur partes, ut circumdo, *circum do:* præeo, *præ eo*, transtulit, *trans tulit:* excipe voces, quarum poſterior compoſitionis pars incipit à vocali & prior finit à duplici conſonante, & pro *trans eo ſcribes tran ſeo*, bene

autem

autem *trans gredior*, & non *tranſgredior*.

7. Si vocalem ſequuntur tres, pluréſve conſonantes retinet vocalis unam conſonantem, cæteras in lineam ſequentem amandat. Emunctus Emun ctus, & non emunc tus.

8. Monoſyllaba nunquam poſſunt dividi, proin retineantur in una linea, ſcribaturque haud non *ha ud*

9. Regula univerſalis. Nunquam duæ conſonantes, qui initiò ſimul pronunciari non poſſunt, ſerventur in lineam ſequentem, ſic quia duo ſigmata initio non formant ſonum, nunquam potes ſcribere *commi ſſus*, *perco- ntumax*, ſed commis ſus, percon tumax.

10. Demum pars diviſa ſignatur notâ ſimplici in orthographia latinâ, duplici in germanica. Sic glorio-ſus Glor= würdig / & non glorio =ſus, aut Glor- würdig : in latinâ, nominibus propriis perſonarum, & rerum præfigitur prima littera major, ut Saulus, Roma; econtra major littera puncta majora ſubſequitur, ut vides hîc initio cujusvis numeri: appellativa verò, omniaque verba efferun-

feruntur minoribus litteris, excipe vernaculam, in qua omnia ſubſtantiva majori littera inchoantur, uti Glaub/ non glaub: Ehr/ non ehr. Appellativa excellentiæ ſemper inchoantur ſigno majuſculo, ut Deus, Rex, Papa, Abbas; non deus, rex, papa, abbas: ſi verò idolum denotes, deus, non Deus ſcribendum. Sunt, qui crinomenon ſemper majuſculis efformandum cenſeant, ut ſi in panegyri probes. *Eccleſia eſt fæcundus ager*: aiunt appellativum *ager* per totam orationem majuſculo A ſcribendum, *Ager*. Sed his minutiis haud diutius inhæreſco.

529 *exercitatione virtutis*

IV. Verùm ut non tantùm incipias, velut multi ſolent, legere, & excerpere, ſed & pergas; ita vitæ tuæ rationes ſunt inſtituendæ, ut verè, & conſtanter ſcientias poſſis amare. Ad quod ſummè neceſſarium eſt, ut illis inferiora non ames, aut certè animum non affigas. Id impetrabis ſedula virtutis exercitatione, ſine qua omnis ſcientia marcida eſt, & vitioſa: conſiliô quoque, & conſuetudine docti, probíque viri, ſine qua virtus ſæpe non eſt prudens, aut ceſſat eſſe virtus. Utrumque in uſus tuos deduces, ſi ita legas

legas in commoda proximi, ut tua non negligas. Præſuli huic rei à n. 146. ad 177. Atque ſic Excerpta erunt inſignis bibliotheca tuis, & aliorum, ſi ita vitæ tuæ ratio ferat, comendis moribus aptiſſima. Optem hîc ego mihi, & experientiæ integram fidem.

1. Sed latior, & longior labor eſt, ea, quæ legendo, & excerpendo didicimus, in uſus, & ſalutem multarum animarum derivare. Excienda eſt tum, niſi temerariè ad prodigia confugere velimus, tota Rhetorica, quæ ipſa ſcientiis difficillimis accenſetur. Auſerim tamen tibi fidem interponere, fore, ut ſi Arte notandi bene utaris, maximæ difficultates magna ſui parte cadant. Hæ námque ex multitudine rerum prope omnium, quarum ſi non expeditam, certè inchoatam notitiam habeat orator neceſſe eſt, emergunt. Hanc autem notitiam ſi non ſemper facili, ſanè tamen nunquam non jucundo labore, eóque gemino comparabis, uſu nempe Locorum Rhetoricorum, & Excerptionum. Ex his facilè diſces cujusque rei quæ in quæſtionem poſſit adduci proprietates, cauſas, fines, effectus, adjuncta, *Rhetorices ad*

contraria, objecta &c. Qui hæc in unaquaque re norit, næ is facilè ex quolibet Loco tum ad probandum, cum infirmandum contrariam ſententiam plurima argumenta eruderabit, ac cuique themati ſylvam, ut vocamus, rerum parabit.

formandam propoſitionẽ, & quæſtionem

2. Si itaque orationem quampiam præ manibus habes, ante omnia formabis propoſitionem Rhetoricam juxta datas à n. 399. ad n. 407. toto §. 2. p. 3. c. 7. regulas. Habebis dein exactam rationem, an eruta propoſitio ſit quæſtio facti, vel cognitionis, velut n. 270. monui.

facti, vel cognitionis.

firmandam ex Locis per

3. Propoſitionem ſic formatam circumduces ad Locos Rhetoricos, & ad eos primò, ex quibus ipſa nata eſt. Nam, ut ſæpiùs dixi, nihil dici poteſt, niſi ex quopiam loco. Sic *Homo peccat* eſt ex triplici fæcundiſſimo Loco Adjunctorum, cauſæ efficientis, & effectuum. Ab adjuncto hominis peccantis perges ad locum, ad tempus &c. peccati. Tum conſiderabis hominem peccantem ut cauſam tum phyſicam, cum moralem ut n. 235. 236. 237. diximus. Dein ibis ad effectum, ipſum nempe peccatum juxta leges n. 241. datas, ac ab eis te ſines ite-

iterum duci ad Adjuncta peccati, & ejusdem terribiles effectus. Ex quibus ingentem argumentorum farraginem erues; ſi tamen nondum ſatisfactum foret deſideriis tuis, & plura velles, omnium Locorum opem interpellabis, & profectò ad multas orationes abundantem materiem educes.

4. In ipſis autem argumentis debet eſſe ordo, & nexus quidam, quo ſimul memoriæ conſulatur, & motui. Uterque conſurgit ex argumentis proximis, quæ primò inveſtiganda ſunt, & operâ ſolidiore. Sintque nec pauciora, quàm duo, nec plura, quàm quatuor. Si inveniſti proximas has rationes, iisdem ſtabiliendis conquire remotas, ut n. 273. & ſeq. vidiſti. Ut labor iſte non jucundus minus, quàm fæcundus evadat, curabis, ut Locos, quos à n. 177. ad 397. toto c. 3. p. 3. verſavimus, perſpectos habeas. *argumenta proxima* *remota*

5. Verùm in hac Locorum exercitatione ingentem remoram, & difficultatem ciebunt Loci extrinſeci præſertim *Exemplum*, & *Teſtimonium*, quibus ferme quamlibet orationem ſacer orator ſtabilitam cupit. Licet enim *Exempla*, de quibus n. 286. & *Teſtimonium*, de quo n. 253. *Notatis.*

verſes, & reverſes, inde tamen tu nullam e. g. fidei orthodoxæ hiſtoriam, aut ſententiam S. Scripturæ, aut cujusdam S. Doctoris dictum eruderabis: cùm enim earum rerum indoles, & circumſtantiæ non ſint ipſi rei in quæſtionem adductæ à natura inſitæ, ſed ex hominum inſtitutione inditæ, aut ex quodam eventu evolutæ, non poſſunt à nobis erui, minus fingi, ſed è libris repeti debent. Aſt ex his repetere apta ſemper cuique materiæ teſtimonia, & hiſtorias, prodigioſæ memoriæ gratia eſt, quæ cùm ſit rariſſima, pro regula ſanciri non poteſt. Ergo unicum præſidium repeti poteſt ex Arte Memoriæ; ex quo vel per tranſennam vides hujusce rei neceſſitatem ſummam, & parem utilitatem. Satages proin ſtatim in rudimentis notandi præ aliis rebus hiſtoriarum, & ſententiarum copiam parare.

530 *Diſpoſitionem rerum inventarum in genera ſcribendi*

6. Argumenta eum in modum ex Locis eruta, aut ex Notis parata diſpones dein pro rei exigentia aut in orationem, eamque vel demonſtrativi, vel Deliberativi generis de qua re toto c. 7. p. 3. aut in Chriam de qua n. 481.

n. 481, aut in Epiſtolam, de qua n. 492, aut in Comœdiam, de qua n. 510. efformabis.

7. Ne autem argumenta potius philoſophico more ſpargas ad luxum, quàm Oratorio ad motum, eorum aliqua efferenda ſunt in Exordia (de qua re n. 384) alia ſtabiliendæ Contentioni danda ſunt, de qua à n. 415. ad 469. *Exordia contentiones &c.*

8. Ut porro hæc argumentorum tractatio non maneat informis quædam rationum farrago, per Amplificationem, quam n. 292. verſavi, illuſtrandus eſt intellectus, & per Argumentationem, cui n. 275. dedimus, ſtringendus. Sed maximè impellenda eſt audientium voluntas artificioſa affectuum tractatione. Eos habes n. 254. Cúmque hæc omnia ſine figurarum ornatu haud poſſimus aſſequi, is nunquam ex oculis, & tabulis dimittendus eſt. Figuras vide ſis latè ventilatas à n. 304. ad n. 383. Ingentem inſuper ſplendorem orationi conciliant Symbola, Emblemata, Hieroglyphica, de quibus ſupra § 5. n. 523. *uſum Amplificationis* *Argumentationis* *Affectuum* *Figurarum* *Emblematum Symbolorum, & Hieroglyphicorũ*

9. In ipſo autem ſtylo curanda, ne eodem ſemper paſſu ad tœdium feratur oratio, varietas. Eam conciliat æquus Periodi, & Sententiæ breviter in- *Periodi, Sententiæ*

 ſper-

ſperſæ uſus. De illa egi n. 521. de hac n. ſeq.

Epilogi

10. Porro cùm Epilogo debeamus voluntatis, in cujus victoria ſtat ſummaRhetorici certaminis, triumphum, omnis in eo eloquentiæ vis exſerenda eſt. Modos oſtendi n. 469.

exercitationem variam

V. His legibus obſervatis Euſebi facillimè hauries illam voluptatem, quæ in Rhetorices, & Excerptionum tractatione poſita eſt, ac ſi non ſine labore, eô tamen certè non injucundo, quodvis thema ad regularum normam, & audientium emolumenta feliciter ædificabis. Atque hoc, ſibi perpetuò Notarum, & Rhetorices ſuccollantium uſu diſces non ſolùm in roſtro rem divinam facili operâ tractare; ſed etiam, ſi catecheſis ad pueritam habenda, colloquium cum æqualibus inſtituendum, vel quidpiam in deliberationem adductum erit dijudicandum, aut moribundis adhortatione abitus muniendus; vel divinarum rerum meditatione animus paſcendus eſt; haud infæcundus, aut de dicendis anxius adſtabis. Nullum námque vel dictionis, vel ſcriptionis genus inveniri poteſt, cui proferendo ſua argumenta ex Locis, vel lectis non

ſint

ſint eruenda. Si itaque inſtituenda ſit catechetica dictio, eventilabis quatuor potiſſimùm Locos.

1. Diſcute *Definitionem*, quid ſit e.g. fides, atque hac quæſtione ex regulis n. 177. explicatâ perges ad fidei *Effectus*, quos partitione non fusè minus, quàm utiliter explicabis. Tum hæc *Similitudinibus* illuſtrabis aut parabolis Chriſti exemplo in hac re frequentiſſimi. Tandem dictis illuſtrandis, & confirmandis produces ex Notis apta Exempla, & hiſtorias. Cæterùm catecheſin multùm firmant Contraria, Teſtimonia veterum, & S.S. P.P. Quamvis autem Catecheſis figuras operoſas repudiet, ambit tamen ultro venientes, eásque breves, affectus autem præcipuè in fine de induſtria ſunt accerſendi. Exordium capitur ferme à dictis in antecedenti Catecheſi, aut ab Adjunctis temporis, loci, perſonarum &c. vel quæſtione quadam. In Epilogo dicta breviter complecteris. Ut hæc omnia & uſui, & memoriæ expedita habeas, juvat titulum materiæ pertractandæ tecum ad Catecheſin deferre. *catechizandi*

2. Idem judicium eſt de colloquiis. Quæ cùm ſint in omni ferme ſtatu *colloquendi*

frequentia, & multorum malorum incentivis expoſita, ut adeo rem ille longè maximam præſtitiſſe divino dicatur oraculo, qui linguâ non offendit, vel hoc nomine Artem Memoriæ maximi ducendam exiſtimant, quòd colloquiis utilibus, & cacogogiâ emunctis materiam ſimul, & voluptatem ferant. Nam obvium quodque ſubſtantivum in medium adducito, e.g. Sylvam, & polliceor tibi, prius te tempus, quàm materia dicendi deficiet: in Definitione invenies, quid ſit ſylva: in partitione, quàm varia ſit; in Similitudine, quibus rebus poſſit conferri, in Adjunctis, quàm ſit variarum avium cantu vocalis. Quid de cauſis dicam? videbis eas eſſe mirabiles, multas &c. Effecta ſanè miraberis, cùm dices ex ſylvis tot artibus materiam parari, calefieri caſas humiles, & Regum aulas, & hyemem, immitiorem illam anni partem velut ab uſu hominum proſcribi. Quid ſi his omnibus jungas eruditionem notandô paratam in Vago *Eventus*, *Auctores*, & *Apex*, dicáſque patràta in ſylvis facinora? quis primus inventor, cultor, incola &c.? Quæ, & ubi ſit ſylva maxima, fæcundiſſima &c.? Taceo alios titulos, quorum

rum nullus non materiam dicendi dabit. Dabit *DEUS*, ut conditor, *Chriſtus* ut incola, *B. V.* imagines in ſylvis inventæ, *Angeli* in ſylvis conſpecti *Sancti* in ſylvis abſtruſi, *virtutes* in ſylvis exercitæ, *ſcelera* in ſylvis patrata novo colloquio jucundiſſimam copiam diſcendi præbebunt. Solus liber nonus de *Profanis* multarum dierum colloquio ſufficiet, ſi velis, leges, pacta, terminos, varias gentium conſuetudines de ſylvis afferre. Nec exiſtimes velim eum in harum rerum diſſertatione fore mutum, qui earum Notas nondum collegit. Nam cùm omnia, quæ ſeu viſu, ſeu intellectu conſpicimus à ſe mutuo ceu cauſæ, aut effectus, aliáve Loci ſpecie dependeant, qui de uno poterit diſſerere, poterit & de alio, ſi modo ipſam connexionem, & dependentiam ex Locis Rhetoricis, & Titulis Notatorum perſpectam habeat, licet ipſos Titulos re, de qua inſtituitur Diſſertatio, penitus vacuos norit.

3. Ut autem longè major eſt conſultandi, quàm colloquendi: ita quoque major eſt ad conſultationem quàm ad colloquium materiam parandi neceſſitas. Dici non poteſt quàm *532 conſultandi*

heteroclita nonnunquam capiantur conſilia, dum in conſultandi leges delinquitur. Quarum prima, & maxima eſt negotii in deliberationem. Sed quis hanc in eo quærat, qui neſcit, quid res, & quotuplex? qui ignorat ejus Adjuncta, fines, & media aſſequendi? Rem ipſam intueri debemus, non partem rei: huic partiali obtutui à Conſequentibus poterit etiam peccatum videri bonum, ſed quantum malum eſt in Effectis? Ergo iterum appellandum eſt ad Artem Memoriæ, qua doceare rem totam intueri: & quidem quid ſit in Definitione, quotuplex in Partitione, an ſit genus, & ſi ſpecies, à quo genere fluat: quas ſortiatur cauſas, præcipuè quam finalem; & quos effectus: an adſint adjuncta, & media aſſequendi finem. A Contrario eruere debebis, quænam poſſint fini obluctari; ex Adjunctis, Cauſis efficientibus depromes ea, quibus fini obluctantia effringantur. E Tabulis, Exemplis, Teſtimoniis, & univerſim ex Notis dilucidè tibi ob oculos ponetur, quid majores noſtri in ſimili cauſa judicârint. His omnibus loco, tempori, & negotio applicatis conſilium haud pœnitendum

dum dabis. Ex iſtis, ſi cauſam Finalem, & Adjuncta ritè inſpicias, videbis magis expedire humilem, quàm magnificam monaſteriorum fabricam: videbis ex Effectis, & Adjunctis malè morigeratos non eſſe recipiendos in ordinem mitigatum: ex Conſequentibus, Effectis, & Adjunctis ſomnum pomeridianum, hauſtúmque eſſe ad Endymiones proſcribendum: ex cauſis, & Effectis valetudinem plus ſobrietate, quàm medicamine curari: ex Genere, & Adjunctis virtutis ſtudium omnibus aliis bonis præferendum.

4. Pari felicitate uteris Arte Memoriæ, ſi triſtem conſoleris, delinquentem redarguas, torpentem animes, aut morientem confirmes: *Euſ.* Intelligo conſilii tui rationem, ſed ignoro inchoandi. *Eub.* Sermonem tuum ſine multa anxietate incipies à Loco, è quo res fluit. Ad morientem evocaris? En Adjuncta. Pro ſacro tribunali graviſſimum ſcelus aperitur? En Speciem. In probitati valedi centem incidis? En Finem. Velis jam hunc animare, iſtum reprehendere, illum roborare? incipies in primo exemplo à fine probitatis, ſines

533 adjuvandi triſtem, delinquentem, torpentem, morientem

nes te dein duci ad effecta hujus finis, ut eſt æterna beatitudo. Si effecta dixiſti, nullus erit Locus, qui ſuam tibi operam non feliciter commodabit. Si Speciem intueris, digredi poteris in varia virtutum exercitia. Si Contraria, depinges oppoſitorum vitiorum fæditates: Si Cauſas, explicabis vim gratiæ divinæ, Dei miſericordiam &c. ſi Exempla, ſi Teſtimonia, ſi Tabulas, referes Sanctorum facta, dicta, & ſcripta. Atque ſic mentem reflectendo ad cæteros Locos extemporanea eloquentia ad probitatis ſtudia haud infeliciter concitabis.

Eandem methodum ſervabis in altero exemplo, ac pœnitenti ipſam peccati ſpeciem breviter depinges. Atque hæc Species deducet te regia via ad Effecta, aliósque ordine Locos, quos ſola mentis reflexione advocare licebit: Frequentior eſt uſus primi exempli, & longè facilior, ſi modo Adjuncta non dimittas ex animo. Dices ergo ex hoc Loco. „Venimus in hunc fili dolorum articulum. Venimus & miſſi, & dimiſſi ab eo, qui neminem deſerit, neminem opprimit T. O. Deo. Tum

potes

potes ſermonem dimittere vel in temporis vel Dei adjuncta, & partitiones, prout ſtatus morientis exegerit. Si Deum conſideras, dices. „Suſpi-„ce Dei miſericordiam: ſi omnium „hominum comiſiſſes ſcelera, pœni-„tenti miſericorditer ignoſceret. Ti-„me Dei juſtitiam: quidquid hîc pa-„tientiâ, & pœnitentiâ non expi-„atum fuerit, plectet ſine miſericor-„diâ. Hoc ritu perges ad Charitatem, Providentiam, Omnipotentiam Dei aliáque Attributa. Si autem immoreris tempori, ne hoc Adjunctum elingue maneat, Partitione vocale reddes dividendo in præteritum, præſens, & futurum, dicésque. „O „Deus! quidquid unquam contra le-„gem tuam, contra voluntatem tuam, „contra virtutem tuam egi, execror „illud, deteſtor. Utinam tempus il-„lud peccatis impenſum revocare „poſſem! Quidquid boni unquam „geſſi, totum tibi mi Deus offero in „teſtimonium meæ ſubjectionis, ut „jam me ducas, quocunque velis. Do-„leo ipſa bona mea non fuiſſe ſine „maculis, & ſæpe non ſine malis. „Ah Jeſu tuis vulneribus immergo, ab-„lue, expurga tuo pretioſo Sanguine.

Tum

Tum abis ad tempus præſens per Locum Speciei, ſeu varias virtutes moribundis neceſſarias. „Nunc igi-„tur Domine animo ſerio, & totis vi-„ribus me ad te converto, ut negli-„gentiæ meæ damna ſaltem ultimis „hiſce conatibus redimam. Credo „mi JESU, quidquid mihi per Eccle-„ſiam tuam credendum propoſuiſti. „Fidem meam unio fidei S. S. Marty-„rum, & quia meum ipſorum pro „fide fuſo ſanguini affundere non „poſſum, hos in fidei meæ declara-„tionem dolores libens fero, exoſcu-„lor, amplector. Eadem ratione per-ge ad Spem, Charitatem, conformi-tatem, conſtrictionem, oblationem, ad Religionem cultum, com̃endationem ſub tutelam Humanitatis Chriſti, B. V. Mariæ, Angeli Cuſtodis, Sanctorum Tutelarium &c. Poſthac te convertes ad tempus futurum, ejúsque partes, & adjuncta hoc modo conferes. „O „JESU! quando anima mea tuo im-„perio juſſa diſcedet ex hac miſera vi-„ta, abſconde eam contra dæmonum „terrores intra tua vulnera. O Maria „conſolatrix afflictorum &c. cùm ſta-„bo coram divino Judice, oſtende tua „ubera, excuſa mea crimina. Quam-

diu

„diu ſpirabo in te ſperabo &c. Non „timebo hoſtes meos, quia tu me-„cum eris velutbellatrix fortis.

Atque ſic deinceps ſola mentis applicatione ex ſingulis Locis intrinſecis abundè, quod præfervidè dicas, erues. Sed longè fæcundior, & utilior tua evadet exhortatio, ſi eandem per intervalla noveris diſcriminare Locis extrinſecis, hiſtoriis, dictis, factisque Sanctorum ex apto Notarum ticulo depromptis.

5. Pari felicitate rerum divinarum meditatio tractari poteſt. Exemplum ſit hodierni Evangelij (hoc eſt 25. Aprilis, quo hæc in feſto S. Roberti noſtri anno 1714. ſcribo) dictum. *Ecce nos reliquimus omnia.* Matt. 12. Ut jam tres animæ potentias (ſingulis enim in meditatione negotium eſt) probè inſtituere poſſis, incipis ab intellectu, eúmque præfato dicto illuminas. *Euſ.* Quomodo? *Eub.* ratione, & argumentis ex Loco *ſuo* eruis, qualis hic eſt in *nos* Adjunctorum, in *reliquimus* cauſæ efficientis, in *omnia* cauſæ materialis. Conſiderabis ergo in Adjunctis perſonam, h. e. Petrum loco omnium Apoſtolorum loquentem, tempus quoque, locum, affec-

meditandi pro intellectu

affectum dicentis. Quis porro ſit is, cui dixit. Tum cauſam efficientem eventila, ac dic. *Expoliavimus nos ſponte omnibus bonis &c.* Aggreſſus *omnia* per Partitionem divide bona, & conſidera, quàm hæc fuerint modica. Accerſes dein alios Locos, & à Conſequentibus dices, quàm magna rependat Deus pro parvis bonis ſui amore relictis: cauſam finalem, ut poſſimus terrenis impedimentis exonerati Chriſtum expeditiores ſequi: Effecta, ut ingentia pauperibus Evangelicis promiſſa bona conſequamur, qualia ſunt in hac ingens animi quies &c. in altera vita, ineffabilis gloria, poteſtas judiciaria &c.

Velut ſpeculativè inſtituto hac ratione intellectu pergis ad ipſam praxin priori Locorum ordine, ac ex Adjunctis examen inſtituis, quî *tu* reliqueris omnia, quo animo &c.? an eum animum adhuc conſerves? Ex cauſa efficiente inquire, quali modo ſis animo? an alicui rei affectu adhæreas? & quænam illa? Eſtne vilis, futilis, turpis? Unde ſubnata eſt rerum terrenarum cupido? Quanto ſtudio eandem vis reſcindere? Quid, & quantum audebis hunc in finem? In cauſa

mate-

materiali examina, quænam ſuperflua retineas &c?

Ex his ſponte fluunt affectus, quibus voluntas debet inflammari; propoſita, & teſſeræ, ſeu aſpirationes per diem repetendæ, quæ memoriæ commendandæ, ut id, quod ſalubriter in meditatione ſancitum eſt, in actionem per diem fortiter, & feliciter redigatur. Erubeſces igitur 1. coram DEO, de defectibus inventis, de peccatis dolebis, de bonis gratias ages. 2. opem ad vitæ tuæ emendationem nunc ab angelis, nunc à Sanctis, DEO, & Deipara Virgine emendicabis. 3. Ratihabebis Sanctorum in Evangelicam Paupertatem ſtudia, gratulaberis illis inde paratam gloriam, coronam &c. 4. Mentem in actum fidei, ſpei aliarúmque virtutum effundes, quibus tanti boni poſſeſſio adiri poteſt. Ne autem hæc affectuum ſolertia ſit potiùs mentis tortura, quàm eſca, ſinguli ex ſuis Locis debent amplificari. e. g. Si gratularis Cœliti donum quodpiam, Adjunctis inhærens in cœlum ſubvoles, ac materia gratulationis è loco, tempore, modo &c. deſumpta, quantùm ex ejus bonis læteris, demonſtres.

voluntate

memoriâ

Ut autem memoria factum propoſitum fideliter per diem ad exercitium ſuggerat, non qualicunque, ſed efficaci quadam teſſera debet expergefieri. In quam rem utilem, & jucundam operam commodabit Vagus *Proverbia*, & ſedula ad Locum Rhetoricum quendam mentis reflexio. Atque hac ratione Locos, & figuras non ſolùm in fideli memoria, ſed & facili uſu habebis. Quod ſi verò vel illa, vel iſta (ut in humanis fieri ſolet) inciperet hebeſcere, inſtaurabis facilè damna tua, ſi tabulas Rhetoricas per otium non graveris relegere. Ut autem hocce relegendi ſtudium evadat jucundum, & expeditum, præſtat has tabulas in apto tui muſæi loco ſuſpenſas oculis objicere, & nonnunquam per otium revolvere. Facies hoc Euſebi non ſine magna utilitate; quam dum tibi ex ſyncero, rerumque tuarum ſtudioſo animô precor, & opto, ex eodem affectu te rogo, ut me ad majora, & ſacratiora properantem fuſis ad DEUM precibus comitari digneris.

oMnIa è DeI aC VIrgIneæ parentIs affeCtV.

INDEX

INDEX

Rerum, & Verborum pro tertiâ parte.

Numerus primus eſt marginalis, ſecundus medianus. Si unus numerus ponitur, intelligitur marginalis toto libro.

A.

ABbreviatio quî debet inſtitui 528
Abſetzen Wort im Schreiben 528
Accuſare aliquem Oratione 462. n. 2.
epiſtolâ 498. n. 1.
Actus Comicæ quid? 512
habituum uti vitiorum, & virtutum quî notandi? 84.
Acyrologia 329
Adjuncta quid ſunt, & quot? 215
conferunt materiam ad Exordia 389. ad laudem, & commendationem 456
inſita
adventitia 421
media
Adjunctio figura verborum 321
Adjuvare morientem extemporaneâ eloquentia 533
Admonere aliquem Oratione 458
Admonitio figura Sent. 381 n. 3.
Æmulatio affectus 268
Ænigmata quid, quomodo conſtruuntur? 523. n. 4.
Affectio definitur 435.
Affectus animi deſcribuntur 255
reſident in appetitu concupiſcibili, & iraſcibili 255
ſunt triplicis generis 255.
concitari debent ab Oratore, & quomodo? 256.
Admirationis 268.
Æmulationis 268.
Amoris 257
Audaciæ 267
Commiſerationis concitatur 267.

Deſiderii 258.
Deſperationis 266.
Fugæ 261
Gaudij 259
Indignationis 267
Invidiæ 268
Iræ 263
Odij 260
excitatur
Pudoris 268
Spei 265
Timoris 264
Triſtitiæ 262
Deliberatione 451
excitatur in Epilogo 469
Exordio 398
tacens, & loquens explicantur 378
Allegoria tropus 309
Amplificatio definitur 292
eſt duplex Verborum, Rerum 292
Verborum per epitheta 292
Enumerationem partiũ formarum 293
adjunctorum
Genitivos 292
helleniſmum 294
Rerum deſcribitur 296
â congerie 296 & ſeq.
incremento 301
ratiocinatione 302
Adhibetur in Epilogo 469
quibusnam rebus maximè danda eſt? 451
Anaclaſis figura 328
Anagramma 186 & 428
Anaphora figura 312
Animalia quî laudantur? 440
Annotatio Locus fœcundus 184
ſervit ad laudandum 428
Antecedentia Locus fœcundus 227
temporis, & 228
illationis 229
Antiphraſis figura Verborum 329
Antiſagoge figura Verborum 326
Antitheſis figura Sent. 331
Antitheta figura Verb. 325. n. 4.
Antonomaſia 308
Apodoſis Exordii deſcribitur 385
in exordio Chriæ 482
in periodo 521. n. 3.
Apologia quid ſit? 463. n. 3.
Apophthegmata? 522. n. 6.
Apoſiopeſis figura Sent. 378
Apoſtrophe figura celebris 361
frequens in Scripturis Sacris ibid.
efficax in Epilogo 470

Aqua quomodo laudatur ? 441. n. 4.
Argumentatio quid ſit, & quotuplex ? 275
dividitur in collectionem 277
Dilema 283
Enthymema 276
Epicherema 284
Inductionem 285
Oppoſitionem 282
Soritem 278
Subjectionem 280
Submiſſionem 279
Syllogiſmum 275
Violationem 281
fit facillima Crinomenô 288
Argumentum quid ſit ? 273
proximum / remotum quid ? 273
proxima repetuntur in Epilogo 469
variari debent argumentatione 289
Comicæ quid ſit ? 510. n 2.
Argutiæ ornant Narrationem 409. n. 7.
Artefactum & 438
Artes 437 quomodo laudantur ?
Aſſerendi ratio oſtenditur 455
Aſyntheta pulchra in Partitione 189. & 320
Attemperatio 341
Attentio Auditorum paratur rebus, & verbis 407

B.

Bellum 347. n. 5.
Benedictus Patriarcha Sanctiſſimus decoratur variis elogiis ordine alphabetico 400. n. 3.
deſcribitur in curru triumphali 403
est { Abraham 288
columnaEccleſiæ 399
Pater admirabilis 444
Sol 442. n. 3. }
videt eſſentiam Dei 402
re
Benevolentia captatur à perſona 407
adjunctis utriusque
Bona { animi, corporis, fortunæ } 420
{ adventitia, inſita, media } 421 430

C.

Captatio benevolentiæ in Exordio 385
Caſſiodorus noſter amans litteratum 528
Caſtitas S. Bened. laudatur

394. n. 5. & 395. n. 6. & 7.
Catecheſis amat per chriam proponi 491. n. 9
Catechizare extemporaneâ eloquentiâ 531. n. 1.
Catachreſis figura 308
Cataſtaſis & n. 2.
in comicâ 511.
Cataſtrophe n. 3.
Cauſæ Locus celeberrimus 231.
Efficiens deſcribitur 235.
est duplex Phyſica / moralis. 236
ampliſſima 237
redigitur in verſum 236.
Finalis declaratur 238.
honeſti / jucundi / utilis. 238.
& econtra inhoneſti / injucundi / inutilis 239
est fæcunda ad laudandum / vituperandum / movendum / amplificandũ 240.
cognoſcitur ex notis 239
Formalis deſcribitur 234
eſt triplex ſeſſentialis / accidentalis / artificialis 234
Materialis delineatur 231
naturalis / artificialis
ex qua eſt alia tranſeuntis / permanentis 231
inſervit laudi / vituperio 231
in qua ſunt ſubjecta accidentium, ſeu in quibus recipiuntur formæ accidentales, uti ſunt omnes ſcientiæ, & virtutes 232
circa quã in ſcientiis / habitibus / potentiis / internis, & / externis 233
præbet Exordiis amplam materiam 393
Chriæ deſcribitur 486
exigit illuſtriores figuras n. 2
Charitas erga inimicos oſtenditur mirabili exemplo 489. n. 4.
Chiaſmus figura 367
Chria deſcribitur 481
eſt triplex verbalis / activa / mixta 481

con-

Encomio 482
Paraphraſi 483
Cauſa 486
Contrario 487
conſtat octo partibus
Similitudine 488
Exemplô 489
Teſtimoniô 490
Epilogô 491
quando potiſſimùm condenda eſt? 491. n. 9.
Claves Sacræ Scripturæ ſunt ſeptem
æſtimatio
lectio
labor 154
exercitatio
ſtudioſitas
parſimonia temporis
ars memoriæ
Cœlum quomodo laudatur? 441. n. 4.
Collectio ſpecies Argumentationis 277.
Colloquia inſtituuntur utiliter 531. n. 42.
Sacra promoventur excerptis 61.
ſunt utilia 62.
Comica exhibet facta, & quid eſt? 510.
Conſtat titulo
argumento 510
prologo
protaſi
epitaſi
cataſtaſi 511.
cataſtrophe
actibus
ſcenis 512.
choris
adornatur exhibitionib⁹ 513
intermediis 513
ſaltibus
dictione
ſententiis
veſtibus 514
moribus
theatro
Epilogo.
Commendare alicui aliquem per epiſtolam 496
per Orationem 456
Comminatio figura 381. n. 4.
Comminari alicui pœnam per orationem 465
per epiſtolam 500
Commiſeratio excitatur 268
Commoratio figura 377
Comparatio Locus fœcundus eſt triplex parium, majorum, & minorum 244
petitur ab Exemplis 246
ſervit ad laudandum 428
Compati afflictis 459
Complexio eſt duplex: in eodem verbo, & diverſo 314
Apodoſis, & Protaſis. 385
Compoſitio quî faciliter adeunda, & pangenda? 269

Communicare conſilium 498
Communicatio figura 328 & 332
ornat Narrationem 410. n. 4.
Epilogum 470 n. 1.
Conceſſio figura celebris 333
Conciliare ſibi amicum.
per epiſtolam 495
per orationem 457
irritatos
per epiſtolam 495
Concitare vindictam 468
Concluſio: vide Perorationem, & n 496
Conduplicatio eſt ſexduplex 315
Confirmatio quid? 415. n. 1.
Confutatio deſcribitur
eruitur ex Locis n. 1.
inſtituitur per cauſas n. 2,
negando 418, & 455.
redarguendo n. 3.
elevando
exornatur figuris n. 4.
debet eſſe modeſta n. 5.
Congeries eſt inſignis ſpecies amplificationis. 296
à definitionibus conglobatis
frequentatione contrariorum
pugnâ contrariorum 298
enumeratione cauſarum
effectuum 298
adjunctorum
varietate ſimilitudinum
exemplorum 299
comparationum 300
Conjugata Locus fœcundus
ſerviunt probationi 192
cognitioni
ornatui 193
amplificationi
Conſequentia Locus amplus 227
temporis 228
illationis 229
Conſolari eloquentiâ extemporaneâ triſtem 533
per orationem 459
per epiſtolam 494
Conſulere aliquem per epiſtolam 498. n. 9.
Conſtantia virtus 380
Conſultare eloquentia extemporanea 532
Contentio oratoria quid eſt? 415
conſtat propoſitione, confirmatione, & confutatione 415
hauritur ex Locis Rhetoricis 416
augetur verbis 417

varia-

argumentis
variatur autem 417
argumentatione
Generis demonſtrativi 419. usque ad 449.
Deliberativi 449 ad 469
Contradicentia 211
ornat Narrationē 409. n.7.
Contraria vide oppoſita, & 206
in Chria 487
Converſio figura verborum 313
Corpus quomodo reficiendum? 161 & 162
eſt mancipium 163
aſinus 164
terra 165
viator 166
Correctio figura 334, & 329
Corrigere delinquentem 533
Crapula 389. n. 1.
Crinomenon quid? eſt ſummi momenti 288

D.

Damna belli 347. n. 5.
Dedicare librum 506
Defectio ſeu Synecdoche 322
Defendere ſe ſe contra accuſantem per epiſtolam 502 n. 6.
per orationem 463
Definitio Locus celebris 177
præbet materiam argumentis proximis 179 & ſeq.
producitur ex omnibus Locis 177
Dehortari aliquem 454
Dejectio figura 338
Demonſtratio in hypotheſi quid? 346
Deprecari 461. n. 1
Deprecatio 382
Deſiderium quî excitatur? 258
Dialogus quî inſtituitur? 360
Diaporeſis 379
Dicere inciſim
membratim
periodicè quid eſt? 521 n. 4.
Dictio Comica qualis 514
Difficile ſtabilit Contentionem
Deliberationis 452
Digreſſio quid, & quando inſtituitur 291
Dilemma ratio argumentandi 283
Diſcriminatio figura 329
Diſpoſitio oratoria quid, & quomodo inſtituitur 383
Diſputare cum aliquo per epiſtolam 498. n. 10.
Diſſuaſio quibus argumentis ſtabilitur? 453

Diſſimilitudo Locus ſuavis quid? 203
differt à Similitudine 204
Diſjunctio figura
Diſſolutio figura celebris 320
ornat Narrationem 409. n. 6.
Diſtributio figura 335
Diviſio inſigne medium ad laudandum 442
modus amplificandi 303
vocum quî inſtituenda? 528
Docilitas paratur clara propoſitione 407
Dubitatio figura celebris 329 & 379
ornat epilogum 470
Narrationem 410. n. 2.

E.

Ebrietas grande, & fædiſſimum vitium 389. n. 2.
Eclypſis ſeu Synecdoche 322
Effecta Locus celebris 241
uſurpatur trifariam n. 2.
cauſæ formalis & materialis 242
amplificant
definiunt 242
deſcribunt
refellunt 243
Effictio in hypotypoſi quid? 346
Elocutio eſt neceſſaria 304
quid eſt? 304
conſiſtit in puritate Latinitatis, ſuavitate figurarum 304
Elogium format propoſitiones inſignes in demonſtratione 400. n. 3.
Emblemata conſtruendi ratio oſtenditur 523. n. 2.
ſerviunt ad laudandum 428
Emphaſis quid eſt? 367
Encomium celebris chriæ, & prima pars 482.
Enthymema Species argumentationis 276
Enumeratio partium quid? 187
eſt triplex: in toto generis, artis, & moris 187
neceſſaria in Epilogo 469
inſtituitur in vocibus ſignificantibus univerſalitatem 188
politur figuris; & quibus potiſſimùm? 189
uſurpatur diviſione antecedentium, conſequentium, adjunctorum, effectorum, generum, definitionum. 190
Epanalepſis figura qualis? 314
Epicherema ſpecies argumentationis 284

Epi-

Epilogus : vide Peroratio, & 469
est ultima chriæ pars 491
Epinicion eſt oratio gratulatoria 445
Epithonema quid 368
Epiploce figura 369
Epiſtola quid & quotuplex 492
eſt triplicis generis, velut oratio, deliberativi, demonſtrativi, & judicialis 492
generis deliberativi ſunt hæ
Suaſoria 492. n. 1.
Diſſuaſoria
Hortatoria 493
Dehortatoria
Officioſa 493. n. 3.
Conſolatoria 494
Conciliatoria
Deprecatoria 495
Petitoria 495. n. 6.
Commendatitia 496
Dimiſſoria 496
Mandataria 497
Prohibitoria 497
Communicatoria 498
Diſputatoria 498. n. 10.
Judicialis ſunt hæ
Accuſatoria 499. n. 1.
Invectiva n. 2.
Comminatoria 500
Reprehenſoria 501
Indignatoria 502
Defenſoria 502. n. 6.
Demonſtrativi ſunt hæ
Laudatoria 503
Gratulatoria 504
Evchariſtica 505
Nuncupatoria 506
Dedicatoria 506
Narratoria 507
ſunt etiam aliæ 508
debent omnes eſſe
elegantes
breves
perſpicuæ
ſimplices
venuſtæ 508
decentes
eruditæ
emunctæ
inſignitæ debito titulo 509
vinculatæ genuinâ connexione 509. n. 2.
Epitaphia ex quibus regulis debent conſtrui? 526
Epitaſis in Comica quid eſt? 511. n. 1.
Epizeuxis figura 315
Erotema quid eſt? 372
Eruditiones quomodo aptè uſurpandæ? 183
ornant Narrationem 409. n. 7.
Eſus extra tempora menſæ eſt nocentiſſimus
litteris, &

litteratis 160
concitatur à dæmone 161
Ethopoeia inſignis figura 354
repetenda eſt à 357
perſonis 357
temporibus 358
paſſionibus 359
Excerpta ſeu notata debent uſurpari 147
in ſcientiis 146
ad utilitatem propriam 148. toto c. 1.
debent relegi, & quomodo? 149
ordine 149
cum reflectione 150
cum mora 151
parùm 151
ſæpe 152
ſuo tempore. 152
Excitare torpentem quibus regulis debes? 533
Exclamatio inſignis figura 380
ornat Narrationem 410. n. 5.
Exempla ſunt Locus fœcundus 397
Species Inductionis 286
Chriæ ſexta pars 489
Exhibitiones in Comica quid? & quomodo fiunt 513. n. 1.
Exiſtimatio communis quid? 249
Exordium quid eſt? 384

Principij
Inſinuationis 384
Ex abrupto

Moratum 390
eruitur ex omnibus Locis Rhetoricis 385. & 387.
Adjunctis 389
Antecedentibus 392
Cauſis omnibus 393
materiali 393
formali 394
efficiente 394
finali 395
Conjugatis 387. n. 3.
Comparatione 396
Conſequentibus 392
Contrario 388
Definitione 385
Diſſimilitudine 387. n. 6
Diviſione 386
Effectis 397. n. 7.
Genere 387. n. 4.
Locis extrinſecis 397

Ænigmate
Apophthegmate
Conſuetudine
Eruditione 397
Fabula
Judicio

Repugnantibus 388. n.8.
Similitudine 387. n. 5.
Specie 387. n. 4.
Moratum ducitur à virtutibus
officio Oratoris 390
genere
excoluntur figuris, & quibus? 398
Expolitio ſeu Commoratio figura 377
Exquirere conſilium in dubiis 498
Exprobrare alicui crimen 466

F.

Fabula ſervit ad laudandum 428
Facilitas ſtabilit Contentionem Demonſtrationis 452
Facinus quodpiam ſingulare quî laudatur, aut vituperatur? 435
Fama Locus Extrinſecus 249
Figuræ ſunt variæ.
Verborum ſunt triplices per adjectionem
detractionem 311
ſimilitudinem
Adjectionis c. 6. §. 2.
Repetitio 312. n. 1.
Converſio 313
Complexio 314
Conduplicatio 315
Traductio 316
Synonymia 317
Polyſyntheton 317. n. 7.
Gradatio 318
Disjunctio 319
Detractionis c. 6. §. 3.
Diſſolutio 320. n. 1.
Adjunctio
Zeugma
Protozeugma n. 1 321
Meſozeugma n. 2
Hypozeugma n. 3.
Syllepſis n. 3.
Synæcioſis
Synecdoche 322
Reticentia
Similitudinis c. 6. §. 4.
Paronomaſia 323. n. 1.
Similiter cadens 324
Similiter deſinens 325
Antitheta 325. n. 4.
Antiſagoge 326
Iſocolon 327
Anaclaſis 328
Relatio 328
Acyrologia
Antiphraſis
Diſcriminatio 329
Dubitatio
Correctio
Sententiarum quid ſunt?
differunt à figuris verborum 330
ſunt præſtantes

tri-

triplicis generis,& quidem
ad docendum 330
Antitheſis 331
Communicatio 332
Conceſſio 333
Correctio 334
Diſtributio 335
Occupatio 336
Oppoſitio 337
Dejectio 338
Rejectio 338. n. 2.
Suppoſitio n. 3.
Paraphraſis 339
Præteritio 340
Præciſionis
Pœnitentiæ 341
Attemperationis
Subjectio 342
ad delectandum 345
Hypotypoſis 346
Iconis
Effictionis
Notationis 346. n. 2.
Demonſtrationis
Ethopœia 354
Idolopœia 355
Proſopopœia 356
Dialogus 360
Apoſtrophe 361
Ironia 365
Chiaſmus 367
Emphaſis 367. n. 2.
Epithonema 368
Epiploce 369
Hyſterologia 370
Parentheſis 370. n. 6.
ad movendum 371
Erotema 372
Suſtentatio 376
Commoratio 377
Reticentia 378
Diaporeſis 379
Exclamatio 380
Licentia 381
Optatio n. 2.
Admonitio n. 3.
Comminatio n. 4.
Deprecatio n. 5
Imprecatio n. 6.
Confutationis quæ? 418. n. 4.
dominantur potiſſimùm in Peroratione, uti ſunt
Interrogatio
Ironia
Apoſtrophe 469
Præteritio
Aſyntheta
Anaphora
Demonſtrativâ hæ
Apoſtrophe
Communicatio 470
Dubitatio
Hortatio 471
Interrogatio 472
Optatio
Proſopopoeia 473
Repetitio

Deli-

Deliberativâ ad malum diſſuadendum
Apoſtrophe
Correctio 474
Dubitatio
Exclamatio
Interrogatio 475
Proſopopoeia
Subjectio 476
ad bonum autem ſuadendum hæ.
Apoſtrophe
Conceſſio 477
Exclamatio
Obteſtatio
Optatio
Paraphraſis 478
Proſopopoeia
Subjectio
amplificant inſigniter 303
ornant Narrationem oratoriam 410
Fontes Hypotypoſis 347
quî laudantur 441. n.4.
Formulæ variæ orationis : vide Praxis
Fortitudo dividitur in varias virtutes 113
Fructus Rhetorices ſunt omnes ſcientiæ humaniores 480
Fuga quomodo concitatur? 261

G.

Gaudium quî excitatur? 259
Genus Locus Rhetoricus inſignis 194
eſt triplex perſonarum habituum 195
rerum
Orationis eſt triplex 271
Demonſtrativum
Deliberativum 272
Judiciale
Geſtus totius corporis in perorando 516
Gradatio figura, ejusque quatuor ſpecies 318
Gratias agere epiſtola 505
Gratulari per epiſtolam 504

H.

Helleniſmus quid? 294
Hieroglyphica quomodo conſtruuntur? 523. n. 3.
ornant orationes generis demonſtrativi 428
Hiſtoria, ſeu ars hiſtorica definitur 518
dividitur 518. n. 1.
eſt neceſſaria 517
utilis n. 1.
honeſta n. 2.
jucunda n. 3.
contexitur arte, & genuina

narratione
deſcriptione
concione 519
laudatione actorum
venuſtate ſtyli
debet eſſe ſyncera veritate
plana ordine
gravis judicio 520
integra rebus
aquiritur lectione
notitiâ hiſtoriæ univerſalis
exercitatione 520
Honeſtas ſtabilit Contentionem Deliberationis 452. n. 8.
Hortationis ornat epilogum 471
Hortari ad aliquid per orationem 454
Humilitas eſt præſtans 521. n. 1.
Hyperbaton tropus 309
Hyperbole tropus, eſt duplex 310
Hypotheſis quomodo ad theſin reducenda? 195
Hypotypoſis figura celebris 346
amat definitiones
effecta
adjuncta 351
comparationes conglobatas
dominatur in maximis affectibus 350
eruitur ex partitione
adjunctis
negationibus 347
affirmationibus
definitionibus
exhibet geſtus 352
colloquia præterita
tempus
fictum 353
locum
Hyſterologia quid? 370

I.

Ichnographia vide Tabula Rhetorica
Icon in hypotypoſi quid? 346
Idolopœia quid? 355
Ignis quomodo laudatur? 441. n. 4.
Impoſſibile ſtabilit Contentionem generis Deliberativi 452. n. 4.
Imprecatio quid? 382
Inciſum quid eſt? 521. n. 1.
Incredibilia non ſunt materia Confirmationis 415. n. 1.
Incrementum ſpecies amplificationis 301
eſt duplex
augens, & 301
inferens

Indig-

Indignatio quomodo concitatur 268
Indignari per epiſtolam 502
Inductio quid? 285
Infinitivi ornant Narrationem 409 n. 4.
Ingratitudo eſt materia Exprobrationis 466
Intermedia in Comicis 513. n. 2.
Interpretatio 339
Interpunctiones quî fiunt? 382. n 7.
Interrogatio figura celebris 372
movet
delectat 372
urget
fit quatuor modis 373
ornat epilogum 472
Invehi in alterius vitium 460
per epiſtolam 499. n. 2.
Inventio eſt neceſſaria 172 & ſeq. & 177. & ſeq.
inſtituitur examine prædicati, ſubjecti & copulæ 485
Inverſio quid? 418. n. 3.
Invidia concitatur 268
Invocatio Exordij 385
S. Joannis Gualberti noſtri charitas in inimicum 489. n. 4.
Ira quomodo concitatur? 303
Ironia tropus 310. n. 9.
eſt duplex n. 9.
figura Sententiarum pulcherrima 365
Iſocola quid? 327
Jucundum ſtabilit Contentionem Deliberationis 452. n 7
Judicium hiſtorici 519. n. 3.
Juſjurandum Locus extrinſecus 252

L.

Latinitas genuina aquiritur 292, & toto c. 5. §. 6.
Laudare aliquem per epiſtolam 503. n. 1.
Laus eſt objectum Demonſtrationis 419
Animalis 440
Artefacti 438
Artium 437
Defuncti 448
Operum ſingularium
ab Adjunctis gerentis, & rei geſtæ 435
Partitione
Specie
Comparatione 436
Similitudine
Cauſa finali
Contrario
Effectis
Perſonarum potiſſimùm at-

tendi-

tenditur 420. ab Ætate
431 : veluti
Pueri 431. n. 1.
Adoleſcentis n. 2.
Viri n. 3.
Senis n. 4.
Conditione, ut
Belliducis 434. n. 1.
Principis n. 2.
Regis n. 3.
Reginæ n. 4.
Sexu, 433. uti
Virginis n. 1.
Fæminæ n. 2.
Viduæ n. 3.
Virtutibus : eas ſingulas quære infra
à divitiis 431. n. 6.
educatione 430. n. 5.
felicitate 431. n. 9.
honoribus 431. n. 7.
nativitate 430. n. 3.
nobilitate 431. n. 8.
nomine 430. n. 4.
officiis 429.
parentibus 403. n. 2.
patria 403. n. 1.
ſcientiis 428
à virtutibus 422. & 428.
Theologicis 424. & 425.
Moralibus 426.
Beneficentia 424
Caſtitate 427
Charitate DEI 423
proximi 424
Clementia 426
Contemptu ſæculi 425
Fide 423
Fiducia 425
Fortitudine 422
Gaudio 424
Juſtitiâ 422
Liberalitate 427
Manſuetudine 482
Miſericordia 424
Modeſtia 427
Munificentia 427
Pace 424
Pietate 427
Prudentia 422
Puritate cordis 425
Religione 426
Spe 423
Temperantia 422
Zelo 424
Regionum 441. n. 1.
Rei inanimatæ 441
Scientiarum 437
Templi 439
Urbis 438
Lectio Excerptorum eſt utilis & fiat ſuo ordine 149
cum reflectione 150
aſpectu titulorum 150
cum mora 151
moderatè 151
frequenter 152
tempore deſignato 152
Lemma in Symbolo 524
Licentia figura 381

Loci Rhetorici deſcribuntur 177
ſunt duplices:
intrinſeci à 177. ad 247
extrinſeci à n. 247. ad 254
intrinſeci ſunt ſequentes
Adjuncta 215
Annotatio 184
Antecedentia 277
Cauſæ 231
materialis 231
formalis 234
efficiens 235
finalis 238
Comparatio 244
Conjugata 192
Conſequentia 277
Definitio 177
Diſſimilitudo 203
Effecta 241
Genus 194
Oppoſita 206
Contraria 207
Privantia 209
Relativa 210
Contradicentia 211
Partitio 187
Repugnantia 212
Similitudo 199
Species 197
extrinſeci declarantur 247
Auctoritas 397
Exempla 397
Fama 490
Jusjurandum 252
Præjudicium 248
Quæſtio 251
Fabulæ 250
Teſtimonia 253, & 397.
Quinam ſunt muti? 303
Communes ſtabiliunt Contentionem Deliberationis 459. n. 2
Locus phyſicus eſt triplex 389. n. 2.

M.

Mandare aliquid 497
Manifeſta non ſunt materia Contentionis 415. n. 1.
Manſuetudo eſt Sacrificium gratiſſimum 482. per totam Chriam.
Materia generis Demonſtrativi 419
Deliberativi 449
Maxima Rhetorices quæ? 270
Media conſervandæ valetudini ſuggeruntur 168
Meditari facilè 534
Melopœja in Comica quid? 513. n. 2.
Membrum in Periodo quid? 521. n. 1.
Meſozeugma figura 321
Metalepſis tropus 308
Metalla qui laudantur? 441 n. 4.

b Meta-

Metaphora tropus 305
præbet materiam formandis propoſitionibus Rhetoricis 400
unde ducitur? 305
Meteora quî laudantur? 441 n. 4.
Metonymia fit quinque modis 307
inſervit amplificationi
Mores in Comica quid 514 n. 4

N.

Narrare aliquid alicui per epiſtolam 507
Narratio definitur 408
eſt duplex hiſtorica, & Oratoria 408
eſt duplex:
formativa Cauſæ 408
firmativa
confirmandi & 480
digrediendi
amat ferme ultimam proximam in oratione 408, n. 2.
expolitur initio inſigni 408 n. 3.
ornatu verborum 409
Præſens, & Plusquàm perfectum pro Præterito 409 n. 2.
infinitivi n. 4. & participia conglobata n. 5.
Diſſolutio n. 6.
Polyſyntheton n. 7.
Ait, inquit n. 1.
exornatur figuris Sententiarum:
Hypotypoſi n. 1.
Dubitatione n. 2.
Suſtentatione n. 3. 410
Communicatione n. 4.
Exclamatione n. 5.
Proſopopœiâ n. 6.
ſit *probabilis* à probitate
narrantis & rei narratæ 411
brevis rebus, & verbis 412
perſpicua ab Adjunctis verborum
temporum
rerum
connexionum 413
diviſionum
perſonarum
materiæ
ſuavis à figuris
affectibus 414

Neceſſarium ſtabilit Contentionem Deliberationis 452 n. 5.
Nomen dupliciter imponitur 444
Notatio in hypotypoſi quid? 346
Numerus Oratorius 521 n. 5.

O.

Objurgari aliquem 464
Obſecratio quid? 382
Obteſtatio 382
Occupatio quid? 336
Odium quî excitatur? 260
Offerre ſua obſequia 493 n. 3.
Omnia ſunt ad utilitatem noſtram condita 148
Onomathitæ varii 444
Onomatopœja quid? 308
Oppoſita Locus celebris 206
differunt à Repugnantibus 207
Oppoſitio figura 337
ſpecies argumentationis 282
Optatio figura inſignis 381
ornat Epilogum 473
Opus bonum eſt præſtans 485 n. 10.
ſingulare quî extollitur? 435 n. 1
Oratio eſt varia
Accuſativa 462 n. 2
Admonitoria 458
Aſſertativa 455
Commendatoria 456
Comminatoria 465
Compaſſiva 459
Conciliativa 457
Concitatoria 457
Confutativa 455
Conſolatoria 459
Conſultatoria 455
Defenſoria 463 n. 13.
Dehortatoria 454
Deprecatoria 461 n. 1.
Diſſuaſiva 453
quando condenda? 491 n. 9.
Euchariſtica 445
Exprobratoria 446
Funebris 448
Genethliaca 443
Gratulatoria 445
Hortatoria 454
Invectiva 460
Luſtrica 444
Mentalis promovetur dictis 447
Mixta 454
Objurgatoria 464
Panegyrica
Euchariſtica 446
Funebris 448
Genethliaca 443 n. 1
Gratulatoria 445
Luſtrica 444

Panegyrica quando condenda? 491 n. 9.
Peritoria 447
Querulantis 467
Suaſiva ſtabilitur 449 450 451 452
quando condenda? 491 n. 9.
Oratiuncula eſt duplex directa, & indirecta 410 n. 6. & 519 n. 2.
Ordo S. Benedicti
præſtitit multa in Eccleſia Dei 205
Hiſtoriæ eſt magni momenti 520 n. 1.
Orationis eſt duplex temporis, & rationis 442 n. 2
Orthographia eſt magni momenti 528
Otium eſt grande malum 296

P.

Panegyris, ejuſque materia 419
Parabolæ ſerviunt ad laudandum 428
ornant Chriam 488. n. 1
Paradoxum quid 344
ornat Narrationes 409. n. 7
Paraphraſis ſecunda pars Chriæ 483
eſt varia velut naturalis moralis litteralis Spiritualis allegorica anagogica 483
amplificatur variè 484 & 485
figura Sententiarum 339
Parentheſis quid? 370
Paronomaſia quid? eſt quadruplex 323
Parrhiſia quid? 381
Parſimonia temporis eſt neceſſaria 381
Participia ornant orationem 508 n. 6.
Particulæ periodi 521 n. 3.
Partitio Locus fæcundus 187
in totum generis artis moris vocum univerſalium 188
comitur figuris, & quibus 189
creſcit antecedentibus conſequentibus 190
adjunctis effectis 191

Paſſio;

Paſſio: vide affectus
Peccatum eſt horrendum ab
Adjunctis 215
Annotatione 184
Antecedentibus 277
Cauſis 231
efficiente 235
finali 238
formali 234
materiali 231
Comparatione 244
Conjugatis 192
Conſequentibus 277
Definitione 177
Diſſimilitudine 203
Effectis 241
Fama 249
Genere 194
Jurejurando 252
Oppoſitis 206
Contrariis 207
Privantibus 209
Relativis 210
Contradicentibus 211
Partitione 187
Præjudicio 248
Quæſtione 251
Repugnantibus 212
Similitudine 199
Specie 197
Tabulis 250
Teſtimoniis 253
Periodus quid? & quotuplex? 521 n. 1.
Periphraſis quid? 309
Periſſologia 309
Peroratio quid, & quanti momenti? 469
conſtat enumeratione
amplificatione 469
affectu
educitur pulchrè ex effectu ſpeciali 479
in genere Deliberativo ad bonum ſuadendum per
Apoſtrophen
Conceſſionem 477
Exclamationem
Obteſtationem
Optationem
Paraphraſin 478
Proſopopœjam
Subjectionem
malum diſſuadendum per
Apoſtrophen
Correctionem 474
Dubitationem
Exclamationem
475
Interrogationem
Proſopopœjam
478
Subjectionem
in genere Demonſtrativo per
Apoſtrophen
Communicationem 470
Dubitationem

Hortationem 471
Interrogationem 472
Optationem
Proſopopœjam 473
Repetitionem
Perſonæ laudantur variæ ab
Adjunctis inſitis
adventitiis 421
mediis
Bonis animi
corporis & 420
fortunæ
Divitiis 431 n. 6.
Educatione 430 n. 5.
Felicitate 431 n. 9.
Honoribus 431 n. 7.
Inſtrumentis virtutum 420
Nativitate 430 n. 3.
Nomine 430 n. 4.
Opere ſingulari 435
Parentibus 430 n. 1.
Patria 430 n. 1.
Signis virtutum 420
Virtutibus 422, ad 428
Petere aliquid ab aliquo 495 n. 6.
Pictoria quid 525 n. 11.
Plusquam perfectum pro præterito in Narratione oratoria 409 n. 3.
Pœnitentia quid? 341
Polyonymia 317
Polyptoton 316
Polyſyntheton 317 n. 7. & 409 n. 6.
Præciſio quid? 341
Præfatio ad Lectorem quomodo conſtruenda? 506
Præjudicia quid? 248
Præſens pro præterito in Narratione Oratoria 409 n. 2.
Præteritio figura 340
Praxis
abbreviandi 524
accuſandi aliquem per epiſtolam 498. n. 1
Orationem 462 n. 2.
adjuvandi morientem 533
admonendi aliquem oratione 458
amplificandi 296
aſſerendi 455
captandi benevolentiam 385
catechizandi 531 n. 1.
chriæ condendæ 481
commendandi alicui aliquem per
epiſtolam, 496
orationem 456
Comminandi alicui pœnam per epiſtolam 500
orationem 465
Compatiendi afflictis 459
Compoſitionem adeundi 269
Communicandi conſilium 498

Con-

conciliandi ſibi amicum
per epiſtolam 495
per orationem 457
irritatos
per epiſtolam 495
concitandi vindictam 468
confirmandi 415
confutandi 418. & 455
conſolandi triſtem 533
per orationem 459
epiſtolam 494
conſulendi aliquem epiſtolâ 498 n. 9.
conſultandi 532
corripiendi delinquentem 533.
dedicandi librum 506
defendendi ſe contra accuſationem per epiſtolam 502 n. 6.
orationem 463
dehortandi aliquem 454
deprecandi 451 n. 1.
dialogi inſtituendi 360
digrediendi 291
dimittendi famulum 496
diſponendi ordinem Orationis c. 7. n. 383
diſputandi cum aliquo per epiſtolam 498 n. 10.
diſſuadendi epiſtolâ 493
docilitatis parandæ 407
emblemata conſtruendi 523 n. 2.
epiſtolæ efformandæ 492 & ſeq.
epitaphia pangendi 526
excitandi torpentem 533
exquirendi conſilium in dubiis 498
exprobrandi alicui crimen 466
gratias agendi 505
gratulandi 504
hortandi ad aliquid per orationem 454
indignandi per epiſtolam 502
invehendi in alterius vitiũ
per orationem 460
epiſtolam 499 n. 2.
laudandi per epiſtolam 503
orationem 419
legendi libros 128
notata 149
mandandi aliquid 497
meditandi facilè 534
narrandi per epiſtolam 507
objurgandi aliquem 464
offerendi ſua obſequia 493 n. 3.
perorandi 469
petendi ab aliquo aliquid 495 n. 6.
præfandi ad Lectorem 506
prohibendi aliquid 497
querulandi 467
reprehendendi per epiſtolam 501

Privantia quid? 209
Privationes deſcribuntur 349
Problema 405
Prohibere aliquid 497
Prolepſis quid? 336
Prologus Comicæ 510 n. 3.
Pronunciatio quid? 515
Propoſitio momenti magni, & quid? 399
  eſt varia 487
  conſtat paucis verbis, ſed ponderoſis 399
    tribus
      prædicato
      copula 484
      ſubjecto
  debet eſſe
    clara 399
    nova in Demonſtratione 403.
      novitate
        Loci 399. n. 1
        Metaphoræ n. 2
        Elogii 399. n. 3
        Everſionis Rhet. 400.
        Facinoris unici 400.
        Hiſtoriæ ſingularis 400. n. 5.
        Artefacti, aut ceremoniæ 400. n. 6
  in Deliberatione 402
    ſumitur è
      ſubalterno 402
      Paradoxo 402. n. 13
      Problemate 402. n. 14
      Tranſitu de genere ad genus 402 n. 15
    Continuationum 403
    ſtabilitur 415. toto § 4.
Proſopopœia quid 356
  ornat Narrationē 410 n. 6.
    Epilogum 473
Protaſis in Exordio Chriæ 483
  in Periodo bimembri 521 n. 3.
  in Comica 511. n. 2.
Protozeugma quid? 331
Prudentia dividitur in varias virtutes 113

Q.

Quæſtio quid?
  eſt via ad Locos Rhetoricos 269
    duplex:
      cognitionis, & 270
      actionis
Quæſtiones Locus extrinſecus 251.
Querimonia quid? 467
  inſectatur quamlibet injuriam 467

R.

Ratiocinatio figura 375
ſpecies argumentationis 275
tripartita
quadripartita 275
quinquepartita
amplificationis ſpecies 302
Refectio corporis ſtudioſo litterarum quî inſtituenda? 160
fiat ſuo tempore 160
nunquam extra menſam 161
modo debito
loco deſignato
qualitate prudenti 162
quantitate conformi
Regiones quî laudantur? 441 n. 1.
Rejectio quid? 338. n. 2.
Relata quid? 210
ornant Narrationem. 409 n. 7.
Relatio figura 328
Repetitio quid? 312
eſt triplex
inciſi
membri 312
periodi
ornat epilogum 473.
Reprehendere aliquem per epiſtolam 501
Repugnantia Locus in ſignis 212
ab antecedentibus
conſequentibus 213
differunt à contrariis,
& diſſimilibus 214
ornant Exordium 214
Res omnes
poſſunt deſcribi 349
laudari 435
animatæ 440
laudantur
inanimatæ 441
Reſponſio figura 375
Reticentia figura verborum 322
figura Sent. 340, & 378.
Retorſio quid? 418. n. 3.
Rhetores inſignes ſunt
S. Carolus M. Imp.
Gelaſius II. Papa 175
Guibaldus Abb. Caſin.
Jo. Trithemius noſter 173
S. Iſidorus noſter 175
B. Probus noſter 175
S. Wolphelmus noſter 175
Rhetorica eſt
præſtans 172
utilis 480
neceſſaria 173
commendatur à Benedictinis 175
continetur in S. Scriptura 174

diſcitur à S.Carolo M. Imp. 175
docetur à B. Alcuino noſtro 175
Rumor Locus extrinſecus 249

S.

Saltus in Comica 513. n. 3.
Scelera profliganda ſunt c. 7. n. 460.
Scena quid 510. & 512. n. 2.
Scientiæ landantur, & qua methodo? 437
unde ſumunt ſuam præſtantiam 428.
Scriptura Sacra legitur à noſtris olim quovis anno 175
Securitas ſtabilit contentionem Deliberationis 452. n. 6.
Sedulus deſcribitur 152.
Senes 164.
Senſus S. Scripturæ varij 483
Sententia quid, & quotuplex? 522.
conſtruitur qua arte? 522 n. 4.
Comicæ 514.
S. Scripturæ quî explicantur? 483.
ornant Comicam 514. n. 2.
Narrationẽ 409. n. 7
Signum cauſæ finalîs 239
compoſiti moralis 103
Similiter cadens 324
deſinens 325
Similitudo Locus fæcundus 109
quomodo eruitur? 200.
differt à Comparatione 202
Chriæ quinta pars 488.
Sol quomodo laudatur? 441 n. 4.
Sorites quid? 278
Species Locus inſignis n. 197
Spes quomodo concitatur? 265
Suaſio quomodo ſtabilitur? 449. & 450. & 451. & 452
Subjectio argumentatio 280. figura 342.
Summiſſio quid? 279
Superbia diſſuadetur 453
Superior debet præire exemplo. 122.
Suppoſitio quid? 338. n. 3.
Suſtentatio figura 376.
amat Narrationem 410. n. 3
eſt conjuncta Interrogationi 376
Status Vagus
inſervit laudibus concinnandis 428
Stylus Comicæ 514
epiſtolæ debet eſſe
elegans
brevis 508. n. 1.
perſpicuus

ſim-

ſimplex
venuſtus 508. n. 1
hiſtoricus 519. n. 4.
gravis aquiritur amplificatione c. 5. §. 6. n. 292.
Syllepſis quid? 321
Sylva rerum quî formanda? 529. n. 2.
Symbola quid, & quî conſtruuntur? 522
inſerviunt adornandis laudibus 428.
Synæcioſis quid? 321.
Synecdoche 322.
fit octo modis 306
Synonymia quid, & quotuplex? 317

T.

Tabulæ Locus extrinſecus 250
Rhetoricæ ſunt ſex
Locorum 253.
Troporum 311.
Figurarum 383.
Demonſtrativæ 449.
Contentionis
Deliberativæ 469.
Operum Rhetoricorum 517.
Temperantia dividitur in varias virtutes 113
Templum deſcribitur 393.
laudatur 439.
Tempus eſt fugaciſſimum 152. & 166
Termini univerſalitatis, & multitudinis 188
Teſtimonium Locus extrinſecus 252.
minuit adverſa 459
in Chria eſt pars ſeptima 490
producitur pulchrè dialogo 360
Theatrum 514. n. 5.
Theſis quî revocatur ad hypotheſin? 197.
Timor concitatur quî? 264
Titulus in Comica 510. n. 1.
Traductio quid? & eſt quadruplex 316.
Tranſitio quid? 230.
Chriæ c. 8. §. 1.
Epiſtolæ 509. n. 3.
ornant Narrationem 409. n. 7.
Triſtitia quî concitatur 262.
Tropi quot ſunt? 305
conſiſtunt ſeptem in uno verbo
conſtructioni ſymbolorum, & emblematum ſerviunt 524.

V.

Valetudo quibus modis conſervetur? 168
Ver deſcribitur 347
Verba quævis ſunt in Loco Rhetorico 339
qualia uſurpet Orator? 295

eritas in hiſtoria ſummi momenti 520
Veſtis in Comica 514 n. 3.
Violatio quid? 281
Virtutes deſcribi variè poſſunt 349
ingenerant omnibus rebus quandam præſtantiã 435
ſunt neceſſariæ 374
doctis 329
materia generis Demonſtrativi 419
variæ 113
Amicitia 372 n. 3.
Beneficentia 424 n. 6.
Caſtitas 394 n. 5. & 395 n. 6. & 427 n. 6.
Charitas Dei 423. n. 6.
Charitas proximi 424
Circumſpectio 353
Clementia 388 & 426 n. 2.
Contemptus ſæculi 425. n. 3
Diſcretio 351
Docilitas 350
Fides 423
Fiducia 425. n. 3
Fortitudo 373 & 422 n. 3.
Gaudium 424 n. 4.
Gratitudo 362
Humilitas 521 n. 1.
Juſtitia 354 & 422 n. 2.
Liberalitas 427 n. 4.
Longanimitas 379
Magnanimitas 375
Magnificentia 376
Manſuetudo 482 & 392 & 394
Miſericordia 424 n. 2.
Modeſtia 427 n. 7.
Munificentia 427 n. 3.
Obedientia 360
Obſervantia 359
Patientia 376
Pax 424 n. 4.
Perſeverantia 278
Pietas 358 & 427. n. 5.
Pœnitentia 356
Prudentia 422
deſcribitur 346 & 348
Pudicitia 417
Puritas cordis 425 n. 2.
Religio 355 & 422 n. 2.
Securitas 377
Simplicitas 369
Sobrietas 389 n. 2
Solicitudo 352
Spes 423. n. 6
Temperantia 385 & 386 & 387 & 422 n. 4.
Timor Dei 425 n. 4
Veritas 363
Virginitas 396 & 397 & 416 n. 2. & 450 n. 2.
Zelus 424 n. 3.
Urbs laudatur, & ex quibus legibus? 438
Uſus cujúsque ſcientiæ eſt ſummè neceſſarius 146
Utilitas ſtabilit contentionem Deliberationis 452

F I N I S.

Partis tertiæ menda ſic emenda

tobex folio 7. linea 12. obex. affligaris f. 19. l. 13. affigaris. neſſitatis f. 47. l. 8. neceſſitatis. nullum f. 54. l. 2. ullum [illegible] f. 78. l. 29. afferre. inſo lo f. 103. l. 1. in ſolô. proreſ. [illegible] l. 21. prorepit. ſtatim f. 136. l. 17. ſtatuum. poſ[illegible]im f. 164. l. 27. poſſint. amicitam f. 169. l. 19. amicitiam ſevervißimis l. 21. ſeveriſſimis libris f. 244. l. 8. liberis dominare f. 335. l. 8. dominari gemare f. 338 l. 6 gemmare ordiendi f. 384. l. 25. odiendi hac f. 389. l. 18. hæc Ceolu[illegible]ephos f. 393. l. 3. Ceolulphos exipare f. 451. l. 4. expiare abſcendit f. 497 l. 16 abſcindit Quia f. 601. l. 11. 1 Quia l. 12. 2 facilem f. 610 l. 25 facilè potius f. 638 l. 5 potitus quavi f. 653 l. 24 quavis ardiñô f. 658 l. 27 arduîs facta [illegible] 678 l. 26 fata principium f. 691 l. 23 principum hoc f. [illegible]02. l. 10 hac venetis f. 732 l. 15 vinetis ingrediris f. 770. [illegible] 24 ingredieris recapitulantur f. 812 l. 27 recapitulentur [illegible]detas f. 872 l. 8 ſedebas ſolens f. 895 l. 6 ſoles vorios f [illegible]51 l. 5 varios effectum f. 1003 l. 25 affectuum ita f. 100[illegible] 11 illa circumferia f. 1011 l. 24 circumferentiæ Præſuli [illegible] 1025 l. 2 Præluſi f. 1034 l. 4 ſupple poſt deliberationem *in[illegible]gram tenere cognitionem. conſtrictionem f. 1038 l. 17 contri[illegible]onem*

In Indice

Epithonema	*Epiphonema*
Hortationis	*Hortatio*

[C]etera menda benevolus Lector emendet, ut ſæpius q. pro [illegible] velut ſanquis, pro ſanguis : linqua pro lingua : ſſ pro ſ, ut auſſero, pro auſero, quæ tam antigraphi, cum typographi errore irrepſerunt.

✠

Index

Figurarum, Locorum, & Troporum.

quære paginam.

Figuræ

Variæ ſunt

Verborum ſunt triplicis generis per

Adjectionem

Detractionem fol. 350

Similitudinem

Adjectionis ſunt c. 6. § 2.

Repetitio 351

Converſio 352

Complexio 353

Conduplicatio 354

Traductio 357

Synonymia 359

Polyſyntheton 359

Gradatio 360

Diſjunctio 365

Detractionis c. 6. § 3.

Diſſolutio 367

Adjunctio 367

Zeugma 368

Protozeugma 368

Meſozeugma 368

Hypozeugma 369

Sylleþſis 369

Synæcioſis 369

Synecdoche 369

Reticentia 370

Similitudinis c. 6. § 4

Paronomaſia 371

Similiter cadens 374

deſinens 375

Antitheta 375

Antiſagoge 376

Iſocolon 377

Anaclaſis 377

Relatio 378

Acyrologia 380

Antiphraſis 380

Diſcriminatio 380

Dubitatio 381

Correctio 381

Sententiarum definiuntur, & differunt à figuris verborum fol. 382

Sunt præſtantes & generis triplicis: & quidem ad docendum

Antitheſis 383

Communicatio 385

Conceſſio 387

Correctio 389

Diſtributio 391

Occupatio 398

Oppoſitio 401

De-

Dejectio 402
Rejectio 403
Suppoſitio 404
Paraphraſis 406
Præteritio 411
Præciſionis
Pœnitentiæ 418
Attemperationis 414
Subjectio 418
Ad delectandum fol. 426
Hypotypoſis 428
Iconis
Effictionis 429
Notationis
Demonſtrationis
Etopœia 446
Idolopœia 448
Proſopopœia 450
Dialogus 457
Apoſtrophe 460
Ironia 467
Chiaſmus 471
Emphaſis 474
Epiphonema 473
Epiploce 475
Hyſterologia 476
Parentheſis 478
Ad movendum 481
Erotema fol. 482
Suſtentatio 492
Commoratio 496
Reticentia 498
Diaporeſis 501
Exclamatio 503
Licentia 505
Optatio 506
Admonitio 507
Cõminatio 508
Deprecatio 509
Imprecatio 509

Loci *Rhetorici*

Deſcribuntur
Sunt duplicis generis fol. 89
intrinſeci
extrinſeci
Intrinſeci ſunt ſequentes
Adjuncta 172
Annotatio 109
Antecedentia 192
Cauſæ 200
materialis 200
formalis 206
efficiens 209
finalis 215
Comparatio 224
Conjugata 126
Conſequentia 192
Definitio 89
Diſſimilitudo 153
Effecta fol. 219
Genus 131
Oppoſita 157
Contraria
Privanti
Relativa
Contradicentia
Partitio 117
Repugnantia 168
Similitudo 143

Species 138
Extrinſeci declarantur
Auctoritas 228
Exempla 227
Fama 231
Jusjurandum 236
Præjudicium 230
Quæſtio 234
Tabulæ 232
Teſtimonia 237
Tropi
Conſiſtunt ſeptem in uno verbo fol. 338
Allegoria 345
Antonomaſia 344
Catachreſis 345
Hiperbaton 346
Hyperbole 347
Ironia 348
Metalepſis 345
Metaphora 338
Metonymia 342
Onomatopœja 344
Periphraſis 346
Synecdoche. 340
Paſſones, ſeu affectus animi.
Deſcribuntur fol. 240
Admirationis 275
Æmulationis 275
Amoris 246
Audaciæ 273
Commiſerationis 273
Deſiderii 249
Deſperationis 271
Fugæ 258
Gaudii 252
Indignationis 274
Invidiæ 274
Iræ 262
Odii 255
Pudoris 275
Spei 269
Timoris 265
Triſtitiæ 259
Argumentatio
Quid ſit fol. 284
Collectio 290
Dilemma 299
Enthymema 288
Epicherema 301
Inductio 302
Oppoſitio 298
Ratiocinatio 28;
Sorites 292
Subjectio 296
Submiſſio 294
Syllogiſmus 285
Argumentum
Quid? 281
proximum, & remotum
Amplificatio
Verborum, & rerum deſcribitur 317
Verborum 317
Rerum à 323
congerie 324
incremento 330
ratiocinatione 332

FINIS.

Bericht an den Buchbinder.

Weilen erſt nach Verfertigung dieſes Wercks von vielen Liebhaberen es in zwey gleiche Bůnd verlanget wurde / erinnere / daß dieſer Index nach dem 510 Blat / der folgende Titul aber / zu Anfang deß zweyten Bunds geheftet werde.

x655.183